M·TVLLII CICERONIS DE ORATORE LIBRI TRES.

Eiusdem de perfecto Oratore ad M. Brutum liber.

Cum absolutiss. doctiss. uiri Philippi Melancthonis castigationibus & scholijs.



PP Camaldulen PP Varsauien

COLONIAE AGRIPPINAE.

Ad intersignium Monocerotis.

Anno M. D. LXIIII.

~~Post commentarios in Oratorem~~
~~Pulchra de memoria et aliis~~

M. T. CICERONIS AD QVINTVM FRATREM DIALOG. de Oratore, scholijs Philippi Melancthonis illustrati.

COgitanti mihi sæpenumero, & memoria uetera repetenti, perbeati fuisse Quinte frater illi uideri solent, qui in optima Republica cum & honoribus, & rerum gestarum gloria florerent, cum uitæ cursum tenere potuerunt, ut uel in negotio sine periculo, uel in otio cum dignitate esse possent.

Locus cõmunis.

Querimonia.

Ac fuit tempus illud, cùm mihi quoq; initiũ requiescendi, atq; animũ ad utriusq; nostrûm præclara studia referendi fore iustum, & propè ab omnib. concessum esse arbitrarer, si infinitus forensium rerum labor, & ambitionis occupatio decursu honorũ etiã ætatis flexu cõstitisset: quã spem cogitationũ, & consiliorũ meorũ cũ graues communiũ temporũ, tum uarij nostri casus fefellerũt. Nã qui locus quietis, & tranquillitatis plenißimus fore uidebatur, in eo maximè molestiarũ, et turbulentißimæ tẽpestates extiterunt. Neq; uerò nobis cupientibus atq; optantibus fructus otij datus est ad eas artes,

αἰτιολογία.

quibus à pueris dediti fuimus, celebrandas, inter nosq; recolēdas. Nam prima ætate incidimus in ipsam perturbationē disciplinæ ueteris: & consulatu deuenimus in medium rerum oīm certamen, atq; discrimen: & hoc tēpus omne post consulatū obiecimus ijs fluctibus, qui per nos à cōmuni peste depulsi in nosmetipsos redundarūt. Sed tamē in his uel asperitatibus rerū, uel angustijs temporis obsequar studijs nostris, et quantū mihi uel fraus inimicorū, uel causæ amicorū, uel Resp. tribuet otij, ad scribendum potißimū conferā. Tibi uerò frater neq; hortanti deero, neq; roganti: nā neq; authoritate quisquam apud me plus te ualere potest, neq; uoluntate. Ac mihi repetenda est ueteris cuiusdā memoriæ nō sanè satis explicata recordatio, sed, ut arbitror, apta ad id quod requiris ut cognoscas, quæ uiri omniū eloquentißimi, clarißimiq; senserint de omni ratione dicendi. Vis enim, ut mihi sæpe dixisti (quoniā quæ pueris, aut adolescentulis nobis ex commentariolis nostris inchoata, atque rudia exciderunt, uix hac ætate digna, & hoc usu quem ex causis, quas diximus, tot tantisq; consecuti sumus) aliquid ijsdem de rebus politius à nobis, perfectiusq; proferri: solesq; nonnunquam hac de re à me in disputationibus nostris dissentire, quòd ego eruditißimorum hominum artibus eloquentiam contineri statuam, tu autem illam ab elegantia doctrinæ segregandam

Apostrophe.

Propositio.

dam putes, & in quodam ingenij atq; exercitationis genere ponendam. Ac mihi quidē sæpenumero in summos homines, ac summis ingenijs præditos intuenti quærēdum esse uisum est, quid esset cur plures in omnibus artibus quàm in dicēdo admirabiles extitissent: nam quocunq; te animo, & cogitatione conuerteris, permultos excellentes in quoque genere uidebis nō mediocriū artium, sed propè maximarum. Quis enim est qui si clarorum hominum scientiam, rerum gestarū uel utilitate uel magnitudine metiri uelit, non anteponat oratori Imperatorē? Quis autem dubitet, quin belli duces ex hac una ciuitate præstantißimos penè innumerabiles, in dicendo autem excellētes uix paucos proferre poßimus? Iam uerò consilio ac sapientia qui regere ac gubernare Remp. possent, multi nostra, plures patrum memoria, atq; etiam maiorum extiterunt, cum boni perdiu nulli, uix aūt singulis ætatibus singuli tolerabiles oratores inuenirentur. Ac ne quis fortè cum alijs studijs, quæ reconditis in artibus, atque in quadam uarietate literarum uersentur, magis hanc dicendi rationem, quam cum Imperatoris laude, aut cum boni Senatoris prudentia comparandam putet: conuertat animum, & ea ipsa artium genera circunspiciat, quiq; in ijs floruerint, quamq; multi sint: facilimè quanta oratorū sit, semp q; fuerit, paucitas, iudicabit. Neq; enim te fugit, laudandarum ar-

Loci communes.

Oratoris dignitas colligitur ex rei difficultate.

tium omnium procreatricem quandã, & quasi parentem eã, quã φιλοσοφίαν Graeci uocant ab hominibus doctißimis iudicari: in qua difficile est enumerare quot uiri, quanta scientia, quantaq; in suis studijs uarietate, & copia fuerint, qui non aliqua in re una separatim elaborarint: sed omnia quaecunq; essent, uel scientiae peruestigatione, uel disserendi ratione comprehenderint. Quis ignorat, ij qui Mathematici uocantur, quanta in obscuritate rerum, & quàm recondita in arte multiplici, subtiliq; uersentur? quo tamen in genere ita multi perfecti homines extiterunt, ut nemo ferè studuisse ei scientiae uehementius uideatur, quin quod uoluerit consecutus sit. Quis musicis? quis huic studio literarum, quod profitentur ij, qui Grammatici uocantur, penitus se dedidit, quin omnem illarum artium penè infinitam uim & materiam scientia & cognitione comprehẽderit? Verè mihi hoc uideor esse dicturus, ex omnibus ijs, qui in harum artium studijs liberalißimis sint doctrinisq; uersati, minimam copiam poëtarum egregiorum extitiße: atq; in hoc ipso numero, in quo perrarò exoritur aliqs excellens, si diligenter, & ex nostrorum & Graecorum copia comparare uoles, multò tamen pauciores Oratores, quàm poëtae boni reperiẽtur. Quod hoc etiam mirabilius debet uideri, quia caeterarum artium studia ferè reconditis atq; abditis è fontibus

Amplificat ab opportuno.

bus hauriuntur: dicendi autem omnis ratio in medio posita, communi quodam in usu, atque in hominum ore, & sermone uersatur: ut in cæteris id maximè excellat, quod longißimè sit ab imperitorum intelligentia sensuq; disiunctum, in dicendo autem uitium uel maximum sit à uulgari genere orationis, atq; à consuetudine communis sensus abhorrere. Ac ne illud quidem uerè dici potest, aut plures cæteris artibus inseruire, aut maiore delectatione, aut spe uberiore, aut præmijs ad perdiscendum amplioribus commoueri, atque ut omittam Græciam, quæ semper eloquentiæ princeps esse uoluit, atque illas omnium doctrinarum inuentrices Athenas, in quibus summa dicendi uis & inuenta est, & perfecta: in hac ipsa ciuitate profectò nulla unquam uehementius quàm eloquentiæ studia uiguerunt. Nam postea quàm imperio omnium gentium constituto, diuturnitas pacis otium confirmauit, nemo ferè laudis cupidus adolescens non sibi ad dicendum studio omni enitendum putauit.

Amplificatio à præmijs.

Ac primò quidem totius rationis ignari, qui neq; exercitationis ullam uiam, neq; aliquod præceptum artis esse arbitrentur, tantum quantum ingenio & cogitatione poterant, consequebantur. Pòst autem auditis oratoribus Græcis, cognitisq; eorũ literis, adhibitisq; doctoribus, incredibili quodam nostri homines dicendi studio flagrauerũt. Ex

citabat eos magnitudo, & uarietas, multitudoq; in omni genere causarum, ut ad eam doctrinam, quam suo quisque studio consecutus esset, adiungeretur usus frequens, qui omnium magistrorum præcepta superaret. Erant autē huic studio maxima quæ nunc quoque sunt proposita præmia, uel ad gratiam, uel ad opes, uel ad dignitatem. Ingenia uerò (ut multis rebus possumus iudicare) nostrorum hominum multùm cæteris hominibus omnium gentium præstiterunt. Quibus de causis quis non iure miretur, ex omni memoria ætatum, tēporum, ciuitatum, tam exiguum oratorum numerum inueniri? Sed nimirùm maius est hoc quiddam, quàm homines opinantur, & pluribus ex artibus studijsq; collectum. Quis enim aliud in maxima discentium multitudine, summa magistrorum copia, præstantißimis hominum ingenijs, infinita causarum uarietate, amplißimis eloquentiæ propositis præmijs esse causæ putet, nisi rei quandam incredibilem magnitudinem, ac difficultatem? Est enim & scientia comprehendenda rerum plurimarum, sine qua uerborum uolubilitas inanis, atque irridenda est: & ipsa oratio confirmanda non solùm electione, sed etiam constructione uerborum: & omnes animorum motus, quos hominum generi rerū natura tribuit, penitus pernoscendi, quod omnis uis, ratioq; dicendi in eorum, qui audiunt, mentibus aut sedandis aut excitandis: ex-

Vsus.

Causę quę adferunt difficultatem in dicendo.

pri-

primēda est. Accedat eodem oportet lepos quidā, facetiæq; & eruditio libero digna, celeritasq́;, & breuitas & respondendi & lacessendi, subtili uenustate atque urbanitate coniuncta. Tenenda præterea est omnis antiquitas, exemplorumq; uis: neq; legum, aut iuris ciuilis scientia negligēda est. Nam quid ego de actione ipsa plura dicam? quæ motu corporis, quæ gestu, quæ uultu, quæ uocis conformatione ac uarietate moderanda est, quæ sola per se ipsa quanta sit, histrionum leuis ars & scena declarat, in qua cùm omnes in oris & uocis, & motus moderatione elaborent, quis ignorat, quam pauci sint, fuerintq́;, quos animo æquo spectare poßimus? Quid dicam de thesauro rerum omnium memoria? quæ nisi custos inuentis, cogitatis'que rebus & uerbis adhibeatur, intelligimus omnia, etiamsi præclarißima fuerint, in oratore peritura. Quamobrem mirari desinamus, quæ causa sit eloquentium paucitatis, cùm ex illis rebus uniuersis eloquentia cōstet, quibus in singulis elaborare permagnum est: hortemur'que potius liberos nostros, cæterosq́;, quorum gloria nobis, & dignitas chara est, ut animo rei magnitudinem complectantur, neque ijs aut præceptis, aut magistris, aut exercitationibus, quibus utuntur omnes, sed alijs quibusdam se id quod expetunt, consequi posse confidant. Ac mea quidem sententia nemo poterit esse omni lau-

Historia est cognoscenda.

Adhortatio.

de cumulatus orator, nisi erit omniũ rerum magnarum atq; artium scientiã consecutus. Etenim ex rerum cognitione efflorescat, & redundet oportet oratio: quæ nisi subest res ab Oratore percepta & cognita, inanem quandam habet elocutionẽ, & penè puerilem. Neq; uerò ego hoc tantum oneris imponam nostris præsertim Oratoribus in hac tanta occupatione urbis ac uitæ, nihil ut ijs putem licere nescire: quanquam uis Oratoris, professioq; ipsa bene dicendi hoc suscipere, ac polliceri uidetur, ut omni de re quæcunque sit proposita, ab eo ornatè copioseq; dicatur. Sed quia non dubito quin hoc plerisq; immensum infinitumq; uideatur, et quòd Græcos homines non solùm ingenio & doctrina, sed etiam otio studioq; abundantes, partitionem quandam artium fecisse uideo, neque in uniuerso genere singulos elaborasse, sed seposuisse à cæteris dictionibus eam partem dicendi, quæ in forensibus disceptationibus iudiciorum, aut deliberationum uersaretur, & id unum genus oratori reliquisse: non complectar in his libris amplius, quàm quod huic generi, re quæsita, & multum disputata, summorum hominum propè consensu est tributum: repetamq; non ab incunabulis nostræ ueteris puerilisque doctrinæ quendam ordinem præceptorum, sed ea quæ quondam accepi in nostrorum hominum eloquentissimorum, & omni dignitate principum disputatio-

tatione esse uersata: non quòd illa contemnam, quæ Græci dicendi artifices, & doctores reliquerunt: sed cùm illa pateant, in promptu'que sint omnibus, neq; ea interpretatione mea aut ornatius explicari, aut planius exprimi possint, dabis hanc ueniam, mi frater, ut opinor, ut eorum, quibus summa dicendi laus à nostris hominibus concessa est, authoritatem Græcis anteponam.

Cùm igitur uehementius inueheretur in causam principum consul Philippus, Drusi'que tribunatus pro senatus authoritate susceptus, infringi iam ac debilitari uideretur, dici memini ludorum Romanorum diebus L. Crassum quasi colligendi sui causa se in Tusculanum contulisse: uenisse eodē socer eius, qui fuerat Qu. Mutius, dicebatur, & M. Antonius homo, & consiliorum in Republica socius & summa cum Crasso familiaritate cōiunctus. Exierant autem cum ipso Crasso duo adolescentes, & Drusi maximè familiares, & in quibus magnam tùm spem maiores natu dignitatis suæ collocarent, C. Cotta, qui tum Tribunatum Pl. petebat, & P. Sulpitius, qui deinceps eum magistratum petiturus putabatur. Hi primo die de temporibus illis, deq; uniuersa Rep. quam ob causam uenerāt, multū inter se usq; ad extremum tēpus diei collocuti sunt: quo quidē in sermone multa diuinitus à tribus illis consularibus Cotta deplorata, et commemorata narrabat, Dialogi occasio.

ut nihil incidisset postea ciuitati mali, quod nõ impendêre illi tanto antè uidissent. Eo autem omni sermone confecto tantam in Crasso humanitatem fuisse, ut cùm lauti accubuissent, tolleretur omnis illa superioris tristitia sermonis, eaq; esset in homine iucunditas, et tantus in iocando lepos, ut dies inter eos curiæ fuisse uideretur conuiuium Tusculani. Postero autem die, cùm illi maiores natu satis qui essent, in ambulationem uentum esse dicebat, tum Scæuolam duobus spatijs tribúsue factis dixisse: Cur non imitamur Crasse Socratem illum, qui est in Phædro Platonis? nam me hæc tua platanus admonuit, quæ non minus ad occupandum hunc locum patulis est diffusa ramis, quàm illa, cuius umbram secutus est Socrates, quæ mihi uidetur non tam ipsa Aquula, quæ describitur, quã Platonis oratione creuisse: sed quod ille durißimis pedibus fecit, ut se abijceret in herba, atq; ita illa, quæ Philosophi diuinitus ferunt esse dicta, loqueretur, id meis pedibus certè cõcedi est æquius. Tum Crassum, Imò uerò cõmodius etiã, puluinosq; poposcisse, & omnes in ijs sedibus, quæ erant sub platano, consedisse dicebat. Ibi, ut ex pristino sermone relaxarentur animi omnium, solebat Cotta narrare, Crassum sermonẽ quendam de studio dicẽdi intulisse, qui cùm ita esset exorsus: Non sibi cohortandum Sulpitium, & Cottã, sed magis utrunq; collaudandum uideri, quòd tantã

Platonis imitatio.

iam

iam essent facultatem adepti, ut non æqualibus suis solū anteponerentur, sed cū maioribus natu compararētur. Neq; uerò mihi quicquam, inquit, præstabilius uidetur, quàm posse dicendo tenere hominum cœtus, mentes allicere, uoluntates impellere quò uelit, unde autem uelit, deducere. Hæc una res in omni libero populo, maximeq; in pacatis, tranquillisq; ciuitatibus præcipuè semper floruit, semperq; dominata est. Quid enim est aut tam admirabile, quàm ex infinita multitudine hominum existere unum, qui id, quod omnibus natura sit datum, uel solus, uel cum paucis facere poßit? aut tam iucundum cognitu, atque auditu, q̄ sapientißimis sententijs, grauibusq; uerbis ornata oratio, et perpolita? aut tam potens, tamq; magnificum, quàm populi motus, iudicum religiones, senatus grauitatem unius oratione conuerti? Quid tam porrò regium, tam liberale, tam munificum, quàm opem ferre supplicibus, excitare afflictos, dare salutē, liberare periculis, retinere homines in ciuitate? quid aūt tam necessarium, quàm tenere semper arma, quibus uel tectus ipse esse poßis, uel prouocare improbos, uel te ulcisci laceßitus? Age uerò ne semper forū, subsellia, rostra, curiamq; mediteris, quid esse potest in otio aut iucundius, aut magis proprium humanitatis, quàm sermo facetus, ac nulla in re rudis? Hoc enim uno præstamus uel maximè feris, quòd colloquimur inter nos

Laudat eloquentiam συν ἀθροισμῷ.

Publica cōmoda.

Priuata.

& quod exprimere dicēdo sensa possumus. Quamobrem quis hoc non iure miretur, summeq; in eo laborandum esse arbitretur, ut quo uno homines maximè bestijs præstent, in hoc hominibus ipsis antecellat? Vt uerò iam ad illa summa ueniamus, quæ uis alia potuit aut dispersos homines unum in locum congregare: aut à fera agrestiq; uita ad hunc humanum cultum ciuilemque deducere: aut iam constitutis ciuitatibus, leges, iudicia, iura describere? Ac ne plura, quæ sunt penè innumerabilia, consecter, comprehendam breui, sic enim statuo, perfecti oratoris moderatione & sapientia non solùm ipsius dignitatem, sed et priuatorum plurimorum, & uniuersæ Reipublicæ salutem maximè contineri. Quamobrem pergite, ut facitis adolescentes atq; in id studium, in quo estis, incumbite, ut & uobis honori, & amicis utilitati, & Reipublicæ emolumento esse poßitis. Tum Scæuola comiter, ut solebat: Cætera, inquit, adsentior Crasso, ne aut de C. Lælij soceri mei, aut de huius generi, aut arte, aut gloria detraham: sed illa duo Crasse uereor, ut tibi poßim concedere. Vnum, quod ab oratoribus ciuitates & ab initio constitutas, & sæpe conseruatas esse dixisti. Alterum, quòd remoto foro, concione, iudicijs, senatu, statuisti oratorem in omni genere sermonis, & humanitatis esse perfectum. Quis enim tibi hoc concesserit, aut ab initio genus

Vt clarius exponat quid conducant aliarum artium studia ad locupletandam eloquentiam personarum contentionē instituit.

nus hominum in montibus ac syluis dißipatum non prudentium consilijs compulsum potius, quàm disertorum oratione delinitũ, se oppidis mœnibusq; sepsisse? aut uerò reliquas utilitates, aut instituendis, aut conseruandis ciuitatibus, non à sapientibus & fortibus uiris, sed à disertis, & ornatè dicentibus esse constitutas? An uerò tibi Romulus ille, aut pastores, & conuenas congregasse, aut Sabinorum connubia coniunxisse, aut finitimorum uim repressisse eloquentia uidetur, non consilio, & sapientia singulari? Quid in Numa Pompilio? quid in Seruio Tullio? quid in cæteris regibus? quorum multa sunt eximia ad constituẽdam Rempublicam, num quod eloquentiæ uestigium apparet? Quid exactis regibus? tametsi ipsam exactionem mente non lingua perfectam L. Bruti esse cernimus. sed deinceps omnia non'ne plena consiliorum, & inania uerborum uidemus? Ego uerò si uelim & nostræ ciuitatis exemplis uti, & aliarum, plura proferre poßim detrimenta publicis rebus, quàm adiumenta per homines eloquentißimos importata: sed ut reliqua prætermittam omnium mihi uideor, exceptis Crasso uobis duobus, eloquentißimos audisse, Tiberium & C. Sempronios, quorum pater homo prudens, & grauis, haudquaquam eloquẽs, & sæpe aliâs & maximè censor saluti Reipub. fuit: atq; is non accurata quadam orationis copia, sed nutu, atque uerbo

Ademit scientiam Reip. gerendæ.

Ab exemplo.

Libertinos in urbanas tribus transtulit, quod nisi fecisset, Rempublicam, quam nunc uix tenemus, iam diu nullam haberemus. At uerò eius filij diserti, & omnibus uel naturæ, uel doctrinæ præsidijs ad dicendum parati, cùm ciuitatem uel paterno consilio, uel auitis armis florentißimam accepissent, ista præclara gubernatrice, ut ais, ciuitatum eloquentia Rempublicam dißipauerunt. Quid leges ueteres, mores'que maiorum? Quid auspicia? quibus & ego, & tu Crasse, cum magna Reipublicæ salute præsumus? quid religiones, & ceremoniæ? quid hæc iura ciuilia, quæ iampridem in nostra familia sine ulla eloquentiæ laude uersantur? num aut inuenta sunt, aut cognita, aut omnino ab Oratorum genere tractata? Equidem & Seruium Galbam memoria teneo diuinum hominem in dicendo, & M. Aemilium Porcinam, & Cn. ipsum Carbonem, quē tu adolescentulus perpulisti, ignarum legum, hæsitantem in maiorum institutis, rudem in iure ciuili. Et hæc ætas nostra, præter te Crasse, qui tuo magis studio, quàm proprio munere aliquo disertorum, ius à nobis ciuile didicisti, quod interdum pudeat, iuris ignara est. Quod uerò in extrema oratione, quasi tuo iure sumpsisti, Oratorem in omnis sermonis disputatione copiosißimè posse uersari, id nisi hic in tuo regno essemus, non tulißem, multis'que præessem, qui aut interdicto tecum conten-

Adimit scientiam iuris.

Adimit & philosophiam.

tenderent, aut te ex iure manu consertum uocarēt, quòd in alienas possessiones tam temerè irruisses. Agerent enim tecū lege primùm Pythagorei omnes, atq; Democritici, cæteriq; in suo genere Physici, uindicarentq; ornati homines in dicendo, & graues, quibuscum tibi iusto sacramento contendere non liceret. Vrgerēt præterea philosophorū greges iam ab illo fonte & capite Socrate, nihil te de bonis rebus in uita, nihil de malis, nihil de animi permotionibus, nihil de hominū moribus, nihil de ratione uitæ didicisse, nihil omnino quæsisse, nihil scire conuincerent: & cùm uniuersi in te impetum fecissent, tū singulæ familiæ litem tibi intenderent. Instaret Academia, quæ quicquid dixisses, id teipsum negare cogeret. Stoici uerò nostri disputationum suarum, atq; interrogationum laqueis te irretitum tenerent. Peripatetici autem etiam hæc ipsa, quæ propria Oratorum putas esse adiumenta, atq; ornamenta dicendi, ab se peti uincerent oportere: ac non solùm meliora, sed etiam multò plura Aristotelem, Theophrastumq; de his rebus, quàm omnes dicendi magistros scripsisse ostenderent. Missos facio Mathematicos, Grāmaticos, Musicos, quorum artibus uestra ista dicendi uis ne minima quidem societate coniungūtur. Quāobrem ista tanta, tamq; multa profitenda Crasse non censeo, satis id est magnum, q̃ potes præstare, ut in iudicijs ea cau

Relinqt Oratori facultatē tractandi lites.

sa, quamcunq; tu dicis, melior & probabilior esse uideatur, ut in concionibus, ut in sententijs dicendis ad persuadendum tua plurimum ualeat oratio: denique ut prudentibus disertè, stultis etiam uerè dicere uidearis. hoc amplius si quid poteris, non id mihi uidebitur Orator, sed Crassus sua quadam propria, non communi Oratorum facultate posse. Tum ille, non sum, inquit, nescius Scæuola, ista inter Græcos dici, & disceptari solere. Audiui enim summos homines cùm quæstor ex Macedonia uenisse͂ Athenas, florente Academia, ut temporibus illis ferebatur, quòd eadem Carneades, & Clitomachus, & Aeschines obtinebant, erat etiam Metrodorus, qui cu͂ illis unà ipsum illum Carneadem diligentius audierat, hominem omnium in dicendo, ut ferebant, acerrimum & copiosissimu͂. Vigebat auditor Panetij illius tui Mnesarchus, et peripatetici Critolaus, & Diodorus. multi erant præterea præclari in philosophia, & nobiles, à quibus omnib. unà penè repelli uoce Oratorem à gubernaculis ciuitatu͂, excludi ab omni doctrina, rerumq; maiorum scientia: ac tantum in iudicia, et co͂ciunculas, tanqua͂ in aliquod pistrinum detrudi, & compingi uidebam. Sed ego neq; illis assentiebar, neque harum disputationum inuentori et principi longè omnium in dice͂do grauissimo, & eloquentissimo Platoni, cuius tum Athenis dilige͂tiùs legi cum Carneade Gorgiam: quo in

Præfatur de Grȩcis cu͂ quoru͂ sententia co͂fert Scȩuolæ opinionem prius qua͂ diluat.

libro

libro in hoc maximè admirabar Platonē, quòd mihi in Oratoribus irridendis ipse esse Orator summus uidebatur. Verbi enim cōtrouersia tamdiu torquet Græculos homines, contentionis cupidiores q̃ ueritatis. Nam si quis hunc statuet esse Oratorē, qui tantummodo in iure, aut in iudicijs poßit, aut apud populū, aut in Senatu copiosè loqui, tamen huic ipsi multa tribuat & cōcedat necesse est. Neq; enim sine multa pertractatione omniū Rerū p. neq; sine legum, moris, iuris scientia: neq; natura hominum incognita, ac moribus in his ipsis rebus satis callidè uersari, & peritè potest. Qui aūt hæc cognouerit, sine quibus ne illa quidem minima in causis quisquā rectè tueri potest, quid huic abesse poterit de maximarū rerū scientia? Sin Oratoris nihil uis esse, nisi compositè, ornatè, copiosè eloqui: quæro, id ipsum quî poßit assequi sine ea scientia quā ei non conceditis? Dicēdi enim uirtus, nisi ei qui dicit, ea de quibus dicit, pcepta sint, extare nō potest. Quamobrē si ornatè locutus est, sicut fertur & mihi uidetur, physicus ille Democritus: materies illa fuit physici, de qua dixit: ornatus uerò ipse uerborū, Oratoris putandus est, & si Plato de rebus à ciuilibus cōtrouersijs remotißimis diuinitus est locutus, q ego cōcedo: si item Aristoteles, si Theophrastus, si Carneades, in rebus ijs, de quibus disputauerūt eloquentes, et in dicendo suaues atq; ornati fuerūt: sint ea-

Discernit rhetores ac philosophos esse plerosque philosophos, tametsi oratores non sint, & cò paulatim it, vt statuat artes singulas sine eloquētia teneri pos-

se, eloquẽtiam sine illis non posse.

res de quibus disputant, in alijs quibusdam studijs: oratio quidem ipsa propria est huius unius rationis de qua loquimur, & quærimus. Etenim uidemus ijsdem de rebus ieiunè quosdam & exiliter, ut eum, quem acutißimum ferunt Chrysippum, disputauisse: neq; ob eam rem philosophiæ non satisfecisse, quòd non habuerit hanc dicendi ex arte alienam facultatem. Quid ergo interest? aut quî discernes eorum quos nominaui, ubertatem in dicendo, et copiam ab eorum exilitate qui hac dicendi uarietate & elegantia non utuntur? Vnum erit profectò, quòd ij qui bene dicunt, adferunt propriam, compositam orationem, & ornatam, & artificio quodam & expolitione distinctã. Hæc autem oratio, si res non subest ab Oratore percepta & cognita, aut nulla sit necesse est, aut omnium irrisione ludatur. Quid est enim tam furiosum, quã uerborum, uel optimorum, atq; ornatißimorum sonitus inanis, nulla subiecta sententia, nec scientia? Quicquid erit igitur quacunq; ex arte, quocũq; de genere, id Orator si tanquam clientis causam didicerit, dicet meliùs, & ornatiùs, quàm ille ipse eius rei inuentor, atque artifex. Nam si quis erit, qui hoc dicat, esse quasdam Oratorum proprias sentẽtias atq; causas, & quasi certarum rerũ forensibus cancellis circũscriptam scientiam, fatebor equidem in his magis aßiduè uersari hanc nostrã dictionem: sed tamẽ in ijs

Epilogus, quo statuit quæ cõplectatur Oratoris officium, probatq; epilogum argumento tracto à causarũ generib9

ijs ipsis rebus permulta sunt quæ isti magistri, qui Rhetorici uocantur, nec tradunt, nec tenent. Quis enim nescit maximam uim existere Oratoris in hominum mentibus, uel ad iram, aut odium, aut dolorem incitandis, uel ab hisce ijsdem permotionibus ad lenitatem misericordiamq́; reuocandis? quæ, nisi qui naturas hominum, uimq́; omnem humanitatis, causasq́; eas, quibus mentes aut incitantur, aut reflectuntur, penitus perspexerit, dicendo quod uolet, perficere non poterit. Atqui totus hic locus philosophorum putatur proprius: neq; Orator me authore, unquam repugnabit: sed cum illis cognitionem rerum concesserit, quòd in ea solùm illi uoluerint elaborare, tractationem orationis, quæ sine illa scientia nulla est, sibi assumet. Hoc enim est proprium Oratoris, quod sæpe iam dixi, oratio grauis, & ornata, & hominũ sensibus ac mentibus accõmodata, quibus de rebus Aristotelem, & Theophrastum scripsisse fateor. Sed uide ne hoc, Scæuola, totum sit à me: nã ego quæ sunt Oratori cũ illis cõmunia, non mutuor ab illis: isti, quæ de his rebus disputant, oratorum esse concedunt. Itaq; cæteros libros artis isti suæ nomine, hos rhetoricos & inscribunt, & appellant. Etenim cũm illi in dicendo inciderint loci, (quod persæpe euenit) ut de dijs immortalibus, de pietate, de concordia, de amicitia, de communi ciuium, de hominum, de gentium iure, de æquitate, de

Ab exemplo philosophorũ.

temperantia, de magnitudine animi, de omni uirtutis genere sit dicendum, clamabunt, credo, omnia gymnasia, atq; oēs philosophorū scholæ, sua hæc esse omnia propria, nihil omninò ad Oratorem pertinere. Quibus ego, ut de his rebus omnibus, in angulis consumendi otij caūsa disserant, cùm concessero, illud tamen Oratori tribuam & dabo, ut eadē de quibus illi tenui quodam & exiguo sermone disputant, hic cum omni grauitate & iucūditate explicet. Hæc ego cū ipsis philosophis tū Athenis disserebam: cogebat enim me M. Marcellus hic noster, qui nūc ædilis curulis est: & profectò nisi ludos nūc faceret, huic nostro sermoni interesset: ac iam tum erat adolescētulus, his studijs mirificè deditus. Iam uerò de legibus instituendis, de bello, de pace, de socijs, de uectigalibus, de iure ciuium generatim in ordines ætatesq; descripto, dicant uel Græci si uolunt, Lycurgum aut Solonem (quanquam illos quidem censemus in numero eloquentium reponendos) scisse melius quàm Hyperidem, aut Demosthenem perfectos iam homines in dicendo, & perpolitos, uel nostros Decemuiros, qui XII. tabulas perscripserunt, quos necesse est fuisse prudentes. Anteponant in hoc genere, & Ser. Galbæ, & socero tuo C. Lælio, quos constat dicēdi gloria præstitisse. Nunquā enim negabo esse quasdam artes proprias eorum, qui in his cognoscendis, atq; tractandis

Vt de philosophis antea sic & de Iuris consultis hic statuit

dis

dis studium suum omne posuerunt: sed Oratorē plenum atque perfectum esse eum dicam, qui de omnibus rebus possit uariè, copiose'que dicere. Etenim sæpe in ijs causis, quas omnes proprias esse Oratorum confitentur, est aliquid, quod non ex usu forensi, quem solùm Oratoribus conceditis, sed ex obscuriore aliqua scientia sit promendum & assumendum. quæro enim, num possit aut contra Imperatorem, aut pro Imperatore dici sine rei militaris usu, aut sæpe etiam sine regionum terrestrium, aut maritimarum scientia? Num apud populum de legibus iubendis aut uetādis, num in Senatu de omni Reip. genere dici, sine summa rerum ciuilium cognitione & prudentia? Num admoueri possit oratio ad sensus animorum, atque motus uel inflammandos uel etiam extinguendos, (quod unum in Oratore dominatur) sine diligentissima peruestigatione earum omnium rationum, quæ de naturis humani generis, ac moribus à philosophis explicantur? Atque haud scio an minùs hoc uobis sim probaturus. Equidem (non dubito quod sentio dicere) physica ista ipsa quæ paulò antè, & mathematica, & cæterarum artium propria posuisti, scientiæ sunt eorum qui illa profitentur: illustrare autem oratione si quis istas ipsas artes uelit, ad Oratoris ei confugiendum est facultatem. Neq; enim si Philonē illum architectum, qui Atheniensibus armamentarium

Repetit.

Probat à materiæ, seu causarum generibus.

fecit, constat perdisertè populo rationem operis sui reddidisse, existimandum est architecti potiùs artificio disertum, quàm Oratoris fuisse. Nec si huic M. Antonio pro Hermodoro fuisset de naualium opere dicendum, non cùm ab illo causam didicisset, ipse ornatè de alieno artificio copioseq; dixisset. Neque uerò Asclepiades, is quo nos medico amicoq; usi sumus, tum cum eloquentia uincebat cæteros medicos, in eo ipso quod ornatè dicebat, medicinæ facultate utebatur, non eloquentiæ. Atq; illud est probabilius. Neque tamen uerum, quod Socrates dicere solebat, omnes in eo quod scirent, satis esse eloquentes. Illud uerius, neque quenquam in eo disertum esse posse, quod nesciat: neq; si id optimè sciat, ignarusq; sit faciundæ ac poliendæ orationis, disertè idipsum posse de quo sciat, dicere. Quamobrem si quis uniuersam & propriam Oratoris uim definire complecti'que uult, is Orator erit mea sententia, hoc tam graui dignus nomine, qui quæcunq; res inciderit quæ sit dictione explicanda, prudenter & compositè & ornatè & memoriter dicat cum quadam etiam actionis dignitate. Sin cuipiam nimis infinitum uidetur quod ita proposui, quacunq; de re: licet hinc quantum cuique uidebitur, circuncidat, atq; amputet: tamen illud tenebo, si quæ cæteris in artibus aut studijs sita sunt, Orator ignoret, tantum'que ea teneat, quæ sint in discepta

Socraticæ χρείας correctio.

Correctio. Detrahit quædam Oratori,

disceptationibus, aut in usu forensi: tamen his de rebus ipsis si sit ei dicẽdum, cùm cognouerit ab ijs qui tenent quæ sint in quaq; re, multo Oratorẽ melius, quàm ipsos illos quorum eæ sunt artes, esse dicturum. Ita si de re militari dicendum huic erit Sulpitio, quæret à C. Mario affine nostro: & cùm acceperit, ita pronunciabit, ut ipsi C. Mario penè hic melius quàm ipse ille scire uideatur. Sin de Iure ciuili tecum communicabit, teq; hominem prudentißimum & peritißimum in ijs ipsis rebus, quas abs te didicerit, dicendi arte superabit. Sin quæ res inciderit, in qua de natura, de uitijs hominum, de cupiditatibus, de modo, de continentia, de dolore, de morte dicendum sit: forsitan, si ei sit uisum (etsi hæc quidem nosse debet Orator) cũ Sext. Pompeio erudito homine in philosophia communicabit, hoc profectò efficiet, ut quancũq; rem à quoq; cognouerit, de ea re multo dicat ornatiùs, quàm ille ipse unde cognorit. Sed, si me audierit, quoniam philosophia in tres partes est distributa in naturæ obscuritatem, in disserendi subtilitatem, in uitam atque mores: duo illa relinquamus, id' que largiamur inertiæ nostræ: tertium uerò, quod semper Oratoris fuit, nisi tenebimus, nihil Oratori in quo magnus esse poßit, relinquemus. Quare hic locus de uita & moribus totus est Oratori perdiscendus: cætera si non didicerit, tamen poterit si quando uolet, or-

& tamen relinquit omnia tractandi facultatem.

Reliquit ἀδικήρ.

nare dicendo, cùm erunt ad eum delata, et tradita. Etenim si constat inter doctos, hominem ignarum Astrologiæ ornatißimis atq; optimis uersibus Aratum de cælo stellisq; dixisse, si de rebus rusticis hominē ab agro remotißimū Nicandrū Colophoniū poëtica quadā facultate, non rustica scripsisse præclarè: quid est cur non Orator de rebus ijs eloquentißimè dicat, quas ad certam causam, tempusq; cognorit? Est enim finitimus Oratori poëta, numeris adstrictior paulò, uerborum aūt licentia liberior, multis uerò ornandi generibus socius ac penè par: in hoc quidem certè propè idem, nullis ut terminis circunscribat, aut definiat ius suum, quò minus ei liceat eadem illa facultate & copia uagari qua uelit. Nanq; illud quare Scæuola negasti te fuiße laturum, nisi in meo regno eßes, quòd in omni genere sermonis, in omni parte humanitatis dixerim Oratorem perfectum eße debere? Nunquam mehercules hoc dicerem, si eum quem fingo, meipsum eße arbitrarer: sed ut solebat C. Lucilius sæpe dicere, homo tibi subiratus, mihi propter eam ipsam causam minus, quàm uolebat, familiaris, sed tamen & doctus & perurbanus: sic sentio, neminem eße in Oratorum numero habendum, qui non sit omnibus ijs artibus, quæ sunt libero homine dignæ, perpolitus, quibus ipsis si in dicendo non utimur tamen apparet atq; extat, utrum simus earum rerum rudes,

Quid elegantior literatura conferat.

rudes, an didicerimus: ut qui pila ludunt, non utuntur in ipsa lusione artificio proprio palæstræ, sed indicat ipse motus didicerint'ne palæstram, an nesciant: & qui aliquid fingunt, etsi tum pictura nihil utuntur, tamen utrum sciant pingere, an nesciant, non obscurum est. Sic in orationibus hisce ipsis iudiciorum, concionum, senatus, etiamsi propriæ cæteræ non adhibentur artes, tamen facilè declaratur utrum is qui dicat, tantummodo in hoc declamatorio sit opere iactatus, an ad dicendum omnibus ingenuis artibus instructus accesserit. Tũ ridens Scæuola: Non luctabor, inquit, tecum Crasse amplius. Id enim ipsum quod contra me locutus es, artificio quodam es consecutus, ut & mihi quæ ego uellem, non esse Oratoris concederes, & ea ipsa nescio quomodo rursus detorqueres, atq; Oratori propria traderes. Hæc cùm ego prætor Rhodum uenissem, & cum summo illo doctore istius disciplinæ Apolonio ea quæ à Panetio acceperam, contulissem, irrisit ille quidem, ut solebat, philosophiã, atq; contempsit, multaq́; non tam grauiter dixit, quàm facetè: tua autem fuit oratio eiusmodi, non ut ullam artem doctrinam'ue contemneres, sed ut omnes comites ac ministras Oratoris eße diceres: quas ego, si quis sit unus complexus omnes, idémque si ad eas facultates istam ornatißimæ orationis adiunxerit, non poßum dicere eum non egre-

gium

gium quendam hominem, atq; mirandum fore: sed is, si quis esset, aut si etiam unquam fuisset, aut uerò si eße poßet, tu eßes unus profectò, qui & meo iudicio, & omnium, uix ullam cæteris Oratoribus (pace horum dixerim) laudem reliquisti. Verùm si tibijpsi nihil deest, quod in forensibus rebus, ciuilibusq; uersetur, quin scias, neq; eam tamen scientiam, quam adiungis Oratori, complexus es: uideamus ne plus ei tribuas, quàm res & ueritas ipsa concedat. Hic Craßus, Memento, inquit, me non de mea, sed de Oratoris facultate dixiße. Quid enim nos aut didicimus, aut scire potuimus, qui antè ad agendum, quàm ad cognoscendum uenimus? quos in foro, quos in ambitione, quos in Rep. quos in amicorum negotijs res ipsa antè confecit, quàm possemus aliquid de rebus tantis suspicari? Quod si tibi tantum in nobis uidetur eße, quibus etiam si ingenium, ut tu putas, non maximè defuit, doctrina certè & otium, & hercule etiam studium illud dicendi acerrimum defuit: quid censes, si ad alicuius ingenium uel maius illa quæ non attigi, acceßerint, qualem illum & quantum Oratorem futurum? Tum Antonius. Probas mihi, inquit, ista Craße quæ dicis: nec dubito quin multo locupletior in dicendo futurus sit, si quis omnium rerum, atq; artium rationem naturamq; comprehenderit. Sed primùm id difficile factu est, præsertim in hac nostra uita,

Castigatio.

noſtriſq; occupationibus: deinde illud etiam uerendum eſt ne abſtrahamur ab hac exercitatione, & conſuetudine dicendi populari & forenſi. Aliud enim mihi quoddam genus orationis eſſe uidetur eorum hominum, de quibus paulò antè dixiſti, quãuis illi ornatè & grauiter, aut de natura rerum, aut de humanis rebus loquantur. Nitidum quoddam genus eſt uerborum, & lætum, ſed palæſtræ magis & olei, quàm huius ciuilis turbæ ac fori. Nanq; egomet, qui ſerò ac leuiter Græcas literas attigiſſem, tamen cùm Proconſul in Ciliciam proficiſcens Athenas ueniſſem, cõplures tum ibi dies ſum propter nauigandi difficultatem commoratus: ſe cùm quotidie mecum haberẽ homines doctiſſimos, eos ferè ipſos, qui abs te modò ſunt nominati, cũq; hoc neſcio quomodo apud eos increbuiſſet, me in cauſis maioribus, ſicuti te, ſolere uerſari: pro ſe quiſq; eorum, quantum quiſque poterat, de officio & ratione Oratoris diſputabat. Horum alij, ſicut iſte ipſe Mneſarchus, hos quos nos Oratores uocaremus, nihil eſſe dicebat, niſi quoſdam operarios lingua celeri & exercitata: Oratorem autem, niſi qui ſapiens eſſet, eſſe neminem: atq; ipſam eloquentiam, quòd ex bene dicendi ſcientia conſtaret, unã quandam eſſe uirtutem: & qui unam uirtutem haberet, omnes habere: eaſq; ipſas eſſe inter ſe æqualeis & pares. Ita qui eſſet eloquens, cum uirtutes omnes habe-

Ridet Antonius Græculas diſputationes de Oratoris officio proditas.

habere, atq; esse sapientẽ. Sed hæc erat spinosa quædam et exilis oratio, longeq; à nostris sensibus abhorrebat. Carneades uerò multò uberius iisdem de rebus loquebatur, non quò aperiret sententiã suam, (hic enim mos erat patrius Academiæ, aduersari semper omnibus in disputando) sed tum maximè tamen hoc significabat, eos, qui Rhetores nominarentur, & qui dicendi præcepta traderent, nihil planè tenere: neq; posse quenquam facultatem assequi dicendi, nisi qui philosophorum inuenta didicisset. Disputabant contrà diserti homines Athenienses in Rep. causisq; uersati, in quibus erat etiã is, qui nuper Romæ fuit, Menedemus hospes meus: qui cũ diceret esse quandã prudentiam, quæ uersaretur in perspiciendis rationib. constituendarũ & regendarum rerum publicarum, excitabatur homo promptus ab homine abundanti doctrina, & quadam incredibili uarietate rerum & copia. Omnes enim partes illius ipsius prudentiæ petendas esse à philosophia docebat, neque ea quæ statuerentur in Rep. de dijs immortalibus, de disciplina iuuentutis, de iustitia, de patientia, de temperantia, de modo rerum omnium, cæteraq; sine quibus ciuitates aut esse, aut bene moratæ esse non possent, usquam in eorum libris inueniri. Quòd si tantã uim rerum maximarum arte sua rhetorici illi doctores cõplecterentur, quærebat cur de proœmijs, & de epilogis, &

gis, &

gis, & de huiusmodi nugis (sic enim appellabat) referti essent eorum libri: de ciuitatibus instituendis, de scribendis legibus, de æquitate, de iustitia, de fide, de frangendis cupiditatibus, confirmandis hominum moribus, litera in eorum libris nulla inueniretur. Ipsa uerò præcepta sic illudere solebat, ut ostenderet non modò eos illius expertes esse prudentiæ, quam sibi adsciscerent; sed ne hanc quidem ipsam dicendi rationem ac uiam nosse. Caput enim esse arbitrabatur Oratoris, ut & ipsis apud quos ageret, talis, qualem se ipse optaret, uideretur, id fieri uitæ dignitate, de qua nihil rhetorici isti doctores in præceptis suis reliquissent: & uti qui audirent, sic afficerentur animis, ut eos affici uellet Orator, quod item fieri nullo modo posse, nisi cognosceret is qui diceret, quot modis hominum mentes, & quibus rebus, & quo genere orationis, in quamq; partem mouerentur: hæc autem esse penitus in media philosophia retrusa, atque abdita, quæ isti rhetores ne primoribus quidem labris attigissent. Ea Menedemus exemplis magis quàm argumentis conabatur refellere. Memoriter enim multa ex orationibus Demosthenis præclarè scripta pronuncians, docebat illum in animis uel iudicum, uel populi in omnem partem dicẽdo permouendis non fuisse ignarũ, quibus ea rebus consequeretur: quæ negaret ille sine philosophia quenquam

quam scire posse. Huic respondebat, non se negare Demosthenem summam prudentiam, summamque uim habuisse dicēdi: sed siue ille hoc ingenio potuisset, siue id quod cōstaret, Platonis studiosus audiendi fuisset: non quid ille potuisset, sed quid isti docerent, esse quærendum. Sæpe etiam in eam partem ferebatur oratione, ut omnino disputaret nullam artem eße dicendi: idq; cum argumentis docuerat, quòd ita nati eßemus, ut & blandiri & suppliciter insinuare ijs à quibus eßet petendum, & aduersarios minaciter terrere poßemus, & rem gestam exponere, & id quòd intenderemus, confirmare, & id quod contra diceretur, refellere, & ad extremum deprecari aliquid & conqueri: quibus in rebus omnis Oratorum uersaretur facultas, & quod consuetudo exercitatioq; & intelligendi prudentiam acueret, & eloquendi celeritatem incitaret. Tum etiam exemplorum copia nitebatur. Nam primùm quasi dedita opera, neminem scriptorem artis, ne mediocriter quidem disertum fuisse dicebat, cùm repeteret usq; à Corace nescio quo, & Tysia, quos artis illius inuentores, & principes fuisse constaret: eloquentißimos autem homines, qui ista nec didicissent, nec omnino scisse curassent, innumerabiles quosdam nominabat: in quibus etiam siue ille irridens, siue quod ita putaret, atque ita audisset, me in illo numero, qui illa non didicissem,

ſem, & tamen (ut ipſe dicebat) poſſem aliquid in dicendo, proferebat. quorum ego illi alterum facilè aſſentiebar, nihil me didiciſſe: in altero autem me illudi ab eo, aut etiam ipſum errare arbitrabar. Artem uerò negabat eſſe ullam, niſi quæ cognitis, penitusq́; perſpectis, & in unum exitum ſpectantibus, & nunquam fallentibus rebus contineretur. Hæc autem omnia quæ tractarentur ab oratoribus, dubia eſſe & incerta, cùm & dicerentur ab ijs qui ea omnia non planè tenerent, & audirentur ab ijs quibus non ſcientia eſſet tradenda, ſed exigui temporis aut falſa, aut certè obſcura opinio. Quid multa? ſic mihi tum perſuadere uidebatur, neq; artificium ullum eſſe dicendi, neq; quenquam poſſe, niſi qui illa quæ à doctiſsimis hominibus in philoſophia dicerentur, cognoſſet, aut callidè, aut copioſe dicere. Quib. dicere Carneades ſolebat, ingenium tuum Craſſe uehemẽter admirans, me ſibi pfacilem in audiendo, te perpugnacem in diſputando eſſe uiſum. Tumq́; ego hac eadẽ opinione adductus ſcripſi etiã illud quodã in libello, qui me imprudente, & inuito excidit, & peruenit in manus hominũ, DISERTOS me cognoſſe nonnullos, eloquentẽ adhuc neminem, quòd cùm ſtatuebam diſertum, qui poßet ſatis acutè, atq; dilucidè apud mediocres homines ex cõmuni quadam hominum opinione dicere: eloquentem uerò, qui mirabiliùs & magnificentiùs augere

Disertus.

Eloquens.

posset atq; ornare quæ uellet, omneisq; omnium rerum quæ ad dicendum pertinerēt, fonteis animo ac memoria contineret. Id si est difficile nobis, qui ante quā ad dicendum ingreßi simus, obruimur ambitione & foro, sit tamen in re positum, atq; natura. Ego enim, quantum auguror coniectura, quantaq; ingenia in nostris hominib. esse uideo, nō despero fore aliquem aliquando, qui & studio acriore quàm nos sumus atq; fuimus, & otio ac facultate discendi maiore ac maturiore, & labore atq; industria superiore cū se ad audiendum, legendum, scribendumq; maiore opera dediderit, existat talis orator, qualē quærimus: qui iure non solùm disertus, sed etiā eloquens dici poßit: qui tamen mea sententia aut hic est iam Craßus: aut si quis pari fuerit ingenio, pluraq; quā hic, & audierit, et lectitarit & scripserit, paulū huic aliquid poterit addere. Hoc loco Sulpitius, insperanti mihi, inquit, & Cottæ, sed ualde optanti utriq; nostrûm cecidit, ut in istum sermonem Crasse delaberemini. Nobis enim huc uenientibus iucundum satis fore uidebatur, si cùm uos de rebus alijs loqueremini, tamen nos aliquid ex sermone uestro memoria dignum excipere poßemus. Vt uerò penitus in eam ipsam totius huius uel studij, uel artificij, uel facultatis disputationem penè intimam peueniretis, uix optandū nobis uidebatur. Ego enim qui ab ineunte ætate incensus essem studio utriusq; uestrûm,

Dialogi more pergūt instare iuuenes, ut postquā de amplitudine eloquentię dixere, uiā indicent qua consequamur eloquentiam.

ueſtrûm, Craßi uerò etiam amore, cùm ab eo nuſquā diſcederem, uerbum ex eo nunquam elicere potui de ui ac de ratione dicendi, cum & per me ipſum egißem, & per Druſum ſæpe tentaßem: quo in genere tu Antoni (uerè loquar) nunquam mihi percontanti aut quærenti aliquid defuiſti, & perſæpe me, quæ ſoleres in dicēdo obſeruare, docuiſti. Nūc quoniam uterq; ueſtrûm patefecit earum rerum ipſarū aditum quas quærimus, & quoniam princeps Craſſus eius ſermonis ordiendi fuit, date nobis hanc ueniam, ut ea quæ ſentitis de omni genere dicēdi, ſubtiliter proſequamini. Quod quidem ſi erit à uobis impetratum, magnam habeo Craſſe huic paleſtræ, & Tuſculano tuo gratiam, et longè Arcademiæ illi ac Lycio tuum hoc ſuburbanum gymnaſium anteponam. Tum ille. Imò uerò, inquit, Sulpiti rogemus Antonium, qui & poteſt facere id quod requiris, & cōſueuit, ut te audio dicere. Nam me quidē ſemper à genere hoc toto ſermonis refugiſſe, et tibi cupiēti, atq; inſtanti ſæpißime negaſſe, tute paulò antè dixiſti: quod ego non ſuperbia, neq; inhumanitate faciebam, neq; quo tuo ſtudio rectißimo atq; optimo non obſequi uellem, præſertim cùm te unum ex omnibus ad dicendū maximè natū aptumq; cognoſſem: ſed me herculè iſtius diſputationis inſolentia, atque earum rerum, quæ quaſi traduntur in arte, inſcitia. Tum Cotta: Quoniam id quod difficilimū

nobis uidebatur, ut omnino de his rebus Craſſe loquerere, aſſecuti ſumus: de reliquo iam noſtra culpa fuerit, ſi te, niſi omnia quæ percontati erimus, explicaris, dimiſerimus. De his credo rebus, inquit Craſſus, ut in conditionibus ſcribi ſolet, quibus ſciam, poteroq́;. Tum ille: Nanque quod tu non poteris, aut neſcies, quis noſtrûm tam impudens eſt, qui ſe ſcire, aut poſſe poſtulet? Iam uerò iſta conditione, dum mihi liceat negare poſſe, quod nõ potero, & fateri neſcire, quod neſciam. Licet, inquit Craſſus, ueſtro arbitratu percontemini. Atq;, inquit Sulpitius, hoc primùm ex te, de quo modo Antonius

Ridetur uulgaris quæſtio.

expoſuit, quid ſentias quærimus, exiſtimes'ne artẽ aliquã eſſe dicẽdi? Quid mihi nunc uos, inquit Craſſus, tanquam alicui Græculo otioſo, & loquaci, & fortaſſe docto, atq; erudito quæſtiunculam de qua meo arbitratu loquar, ponitis? Quando enim me iſta curaſſe aut cogitaſſe arbitramini? et nõ ſemper irriſiſſe potius eorum hominum impudentiam, qui cũ in ſchola aſſediſſent, ex magna hominũ frequentia dicere iuberent ſi quis quid quæreret. Quod primùm ferunt Leontinum feciſſe Gorgiam, qui permagnũ quiddam ſuſcipere ac profiteri uidebatur, cùm ſe ad omnia, de quibus quiſque audire uellet, eſſe paratum denunciaret. Poſtea uerò uulgò hoc facere cœperunt, hodieq́; faciunt, ut nulla ſit res neque tanta, neque tam improuiſa, neque tam noua

de

de qua se non omnia quæ dici possunt, profiteantur esse dicturos. Quòd si te Cotta arbitrarer, aut te Sulpiti de ijs rebus audire uelle, adduxißẽ huc Græcum aliquem, qui nos istiusmodi disputationibus delectaret: quod ne nunc quidẽ difficile factu est. Est enim apud M. Pisonem adolescentem iam huic studio deditum, summo hominem ingenio, nostriq; cupidißimum Peripateticus Staseas, homo nobis sanè familiaris, ut & inter homines peritos constare uideo, in illo suo genere omnium princeps. Quem tu, inquit mihi Mutius, Staseam, quem Peripateticum narras? Gerendus est tibi mos adolescentibus Crasse, qui non Græci alicuius quotidianam loquacitatem sine usu, neq; ex scholis cantilenam requirunt, sed ex homine omnium sapientißimo, atq; ex eo qui non in libellis, sed in maximis causis, & in hoc domicilio imperij, & gloriæ sit cõsilio linguáque princeps: cuius uestigia qui persequi cupiunt, eius sententiam sciscitantur. Equidem te cùm in dicendo semper putaui deum, tum uerò tibi nunquam eloquentiæ maiorem tribui laudem, quã humanitatis: qua nunc te uti uel maximè decet, neq; defugere eam disputationem, ad quam te duo excellentis ingenij adolescentes cupiunt accedere. Ego uerò, inquit, istis obsequi studeo, neq; grauabor breuiter, meo more, quid quaq; de re sentiam, dicere: ac primũ illud (quoniã authoritatem tuã negligere Scæ-

uola fas mihi esse nō puto) respondeo, mihi dicendi aut nullam artē, aut pertenuem uideri, sed omnem esse contentionē inter hoēs doctos in uerbi cōtrouersia positā. Nam si ars ita definitur, ut paulò ante exposuit Antonius, ex rebus penitus ꝑspectis, planeq; cognitis, atq; ab opinionis arbitrio seiunctis, scientiaq; comprehensis: non mihi uidetur ars oratoris esse ulla. Sunt enim uaria, & ad uulgarem popularemq; sensum accommodata omnia genera huius forensis nostræ dictionis: Sin autē ea quæ obseruata sunt in usu ac ratione dicendi, hæc ab hominibus callidis ac peritis animaduersa ac notata, uerbis designata, generibus illustrata, partibus distributa sunt, id quod fieri potuisse uideo: nō intelligo quamobrem non, si minùs illa subtili definitione, at hac uulgari opinione ars eße uideatur. Sed siue est ars, siue artis quædam similitudo, nō est quidem ea negligenda: uerùm intelligendū est, alia quædā ad cōsequendam eloquentiā esse maiora. Tum Antonius uehementer se aßentiri Craßo dixit, quod neq; ita amplecteretur artem, ut ij solerent qui omnem uim dicendi in arte ponerent: neq; rursum eam totam, sicut pleriq; philosophi facerent, repudiaret. Sed existimo, inquit, gratum te his eße Craße facturū, si ista exposueris quæ putas ad dicendū plus quam ipsam artem poße prodeße. Dicam equidem, quoniam institui: petam q̃; à uobis, inquit, ne has

Decernit ciuiliter quatenus ars sit dicendi ratio.

Extenuatione captat beneuolentiā.

meas

meas ineptias efferatis: quanquam moderabor ipse, ne ut quidam magister atq; artifex, sed quasi unus è togatorum numero, atq; ex forensi usu homo mediocris, neq; omnino rudis, uidear non ipse aliquid à me prompsisse, sed fortuitò in sermonem uestrum incidisse. Equidem cùm peterē magistratus, solebam in prehensando dimittere à me Scæuolam cùm ei ita dicerē, me uelle esse ineptum, id erat petere blandius: quod nisi ineptè fieret, bene non posset fieri. Hunc autem esse unum hominem ex omnibus, quo præsente ego ineptus esse minimè uellem: quem quidem nunc mearum ineptiarum testem & spectatorem fortuna constituit. Nam quid est ineptiùs, quàm de dicendo dicere: cùm id ipsum dicere nunquam sit non ineptū, nisi cùm est necessarium? Perge uerò Crasse, inquit Mutius. Istam enim culpam quā uereris, ego præstabo. Sic igitur sentio, inquit Crassus, naturam primū atq; ingeniū ad dicendum uim afferre maximam: neq; uerò istis de quib. paulò antè dixit Antonius, scriptoribus artis, rationem dicendi & uiam, sed naturam defuisse. Nam et animi atq; ingenij celeres quidā motus esse debēt, qui ad excogitandum acuti, & ad explicandum ornandúmque sint uberes: & ad memoriam firmi atque diuturni. Et si quis est qui hæc putet arte accipi posse, quod falsum est (præclarè enim se res habeat, si hæc accendi aut commoueri arte poßint:

Amplificat à persona Scæuolæ.

inſeri quidem, & donari ab arte non poſſunt omnia: ſunt enim illa dona naturæ) quid de illis dicet, quæ certè cum ipſo homine naſcuntur, linguæ ſolutio, uocis ſonus, latera, uires, confirmatio quædam, & figura totius oris & corporis? Neque hæc ita dico, ut ars aliquid limare non poßit, (neque enim ignoro & quæ bona ſint, fieri meliora poſſe doctrina: & quæ non optima, aliquo modo acui tamen, & corrigi poſſe) ſed ſunt quidam aut ita lingua hæſitantes, aut ita uoce abſoni, aut ita uultu motúque corporis uaſti atq; agreſtes, ut etiamſi ingenijs atq; arte ualeant, tamen in Oratorum numerum uenire non poßint. Sunt autem quidam ita naturæ muneribus in ijſdem rebus habiles, ita ornati, ut non nati, ſed ab aliquo deo ficti eſſe uideantur.

ἐπιφώνημα Magnum quiddam eſt onus atque munus, ſuſcipere atque profiteri ſe eſſe omnibus ſilentibus unum maximis de rebus magno in conuentu hominum audiendum. Adeſt enim ferè nemo, quin acutiùs atque acriùs uitia iudicet, quàm laudet quæ recta uideat. Ita quicquid eſt in quo offenditur, id etiam illa quæ laudanda ſunt, obruit. Neq; hæc in eam ſententiam

Occupatio, non hæc dicit ut deterreat.

diſputo, ut homines adoleſcentes ſi quid naturale fortè non habeant, omnino à dicendi ſtudio deterream. Quis enim non uideat C. Cælio æquali meo maximo honori fuiſſe homini nouo illam ipſam, quamcunq; aßequi potuerit, in dicendo mediocritatem?

tatem? Quis uestrûm æqualem Q. Varium uastum hominem atque fœdum non intelligit illa ipsa facultate, quamcunque habuit magnam esse in ciuitate gratiam consecutum? Sed quia de Oratore quærimus, fingendus est nobis oratione nostra detractis omnibus uitijs orator, atque omni laude cumulatus. Neq; enim si multitudo litium, si uarietas causarum, si hæc turba, & barbaria forensis dat locum uel uitiosißimis oratoribus, idcirco nos hoc quod quærimus, omittemus? Itaque in ijs artibus in quibus non utilitas quæritur necessaria, sed animi libera quædam oblectatio, quàm diligenter & quàm propè fastidiose iudicamus? Nullæ enim lites neque controuersiæ sunt, quæ cogant homines sicut in foro non bonos oratores, item in theatro actores malos perpeti. Est igitur oratori diligenter prouidendum, non uti illis satisfaciat, quibus necesse est: sed ut ijs ipsis admirabilis esse uideatur, quibus liberè liceat iudicare. Ac si quæritis planè quid sentiam, enunciabo apud homines familiarißimos, quod adhuc semper tacui, & tacendum putaui. Mihi etiã quiq; optimè dicunt, quiq; id facilimè atq; ornatißimè facere possunt, tamen nisi timidè ad dicendum accedunt, & in exordienda oratione perturbantur, penè impudentes uidẽtur: tametsi id accidere non potest. Vt enim quisq; optimè dicit, ita maximè dicendi difficultatem, uariosq; euentus

Excursus quo magnitudinem rei ex minore deinde signo colligit.

orationis, hominumq; expectationem pertimescit. Qui uerò nihil potest dignum re, dignum nomine oratoris, dignum hominum auribus efficere atq; edere, is mihi etiamsi commouetur in dicendo, tamē impudens uidetur. Non enim pudendo, sed non faciendo id quod non decet, impudentiæ nomen effugere debemus. Quem uerò non pudet, (id quod in plerisq; uideo) hunc ego non reprehensione solùm, sed etiam pœna dignum puto. Equidem & in uobis animaduertere soleo, & in meipso sæpissimè experior, ut exalbescam in principijs dicēdi, & tota mente atq; omnibus artubus contremiscā. Adolescentulus uerò sic in initio accusationis exanimatus sum, ut hoc summum beneficium Quinto Maximo debuerim, quòd continuò consilium dimiserit, simul ac me fractum ac debilitatum metu uiderit. Hic omnes assensi significare inter sese, & colloqui cœperunt: fuit enim mirificus quidam in Crasso pudor: qui tamen non modò non obesset eius orationi, sed etiam probitatis commendatione prodeßet. Tum Antonius, Sæpe, ut dicis, inquit, animaduerti Craße & te, & cæteros summos oratores, quanquam tibi par mea sententia nemo unquam fuit, in dicendi exordio permoueri. Cuius quidem rei cùm causam quærerem, quidnam eßet, cur ut in quoque oratore plurimum eßet, ita maximè is pertimesceret, has causas inueniebam

duas:

duas unam, quòd intelligerẽt ij quos usus ac natura docuisset, nonnunquam summis oratoribus non satis ex sententia euentum dicendi procedere: ita non iniuria quotiescunq; dicerent, id quod aliquando posset accidere, ne tum accideret, timere. Altera est hæc, de qua queri sæpe soleo: cæterarum hominesartium spectati & probati, si quando aliquid minùs bene fecerunt quàm solent, aut noluisse, aut ualetudine impediti non potuisse consequi id quod scirent, putantur. Noluit, inquiunt, hodie agere Roscius, aut crudior fuit. Oratoris peccatum si quod est animaduersum, stultitiæ peccatum uidetur. Stultitia autem excusationem non habet: quia nemo uidetur aut quia crudus fuerit, aut quòd ita maluerit, stultus fuisse. Quo etiam grauius iudicium in dicendo subimus. Quoties enim dicimus toties de nobis iudicatur. Et qui semel in gestu peccauit, non continuò existimatur nescire gestum. Cuius in dicendo aliquid reprehensum est, aut æterna in eo, aut certè diuturna ualet opinio tarditatis. Illud uerò, quod à te dictum est, esse permulta quæ orator, nisi à natura haberet, non multum à magistro adiuuaretur, ualde tibi assentior: inq; eo uel maximè probaui summum illum doctorem Alabandensem Apollonium, qui cùm mercede doceret, tamen non patiebatur eos quos iudicabat non posse oratores euadere, operam apud sese

perde

perdere, dimittebatq́;, & ad quam quenq; artem putabat esse aptum, ad eam impellere atq; hortari solebat. Satis est enim cæteris artificijs percipiendis tantummodo similem esse hominis, & id quod tradatur, uel etiam inculcetur, si quis fortè sit tardior posse percipere animo, et memoria custodire. Non quæritur mobilitas linguæ, non celeritas uerborum, non denique ea quæ nobis non possumus fingere, facies, uultus, sonus. In Oratore autem acumen dialecticorum, sententiæ philosophorum, uerba propè poëtarum, memoria iurisconsultorũ, uox tragœdorum, gestus penè summorum actorum est requirendus. Quamobrem nihil in hominum genere rariùs perfecto Oratore inueniri potest. Quæ enim singularum rerum artifices singula si mediocriter adepti sunt, probantur: ea nisi omnia summa sunt in oratore, probari non possunt. Tum Crassus, Atqui uide, inquit, in artificio et opera perquã tenui & leui quanto plus adhibeatur diligentiæ quã in hac re, quam constat esse maximam? Sæpe enim soleo audire Roscium, cùm ita dicat, se adhuc reperire discipulum, quem quidem probaret, potuisse neminem. non quò non essent quidam probabiles, sed quia si aliquid modò esset uicij, id ferre ipse nõ posset. Nihil est enim tam insigne, nec tam ad diuturnitatem memoriæ stabile, quàm id in quo aliquid offenderis. Itaque ut ad hanc similitudinem

Conquestio.

huius

huius histrionis oratoriam laudem dirigamus, uidetis'ne quàm nihil ab eo nisi perfectè, nihil nisi cum summa uenustate fiat, nisi ita ut deceat, & uti omnes moueat atque delectet? Itaque hoc iamdiu est consecutus, ut in quo quisque artificio excelleret, is in suo genere Roscius diceretur. Hanc ego absolutionem perfectionemq; in Oratore desiderans, à qua ipse longè absum, facio impudenter. Mihi enim uolo ignosci, cæteris ipse non ignosco. Nã qui non potest, qui uitiose facit, quem deniq; non decet, hunc (ut Apollonius iubebat) ad id quod facere poßit detrudendum puto. Num tu igitur, inquit Sulpitius, me aut hunc Cottam ius ciuile, aut rem militarem iubes discere? Nam quis ad ista summa atq; in omni genere perfecta potest peruenire? Tum ille: Ego uerò, inquit, quod in uobis egregiam quandam ac præclaram indolem ad dicendum esse cognoui, idcirco hæc exposui omnia: nec magis ad eos deterrendos, qui non possent, quàm ad uos qui possetis, exacuendos, accommodaui orationem meam. Et quanquã in utroq; uestrûm summum esse ingenium studiumq; perspexi: tamen hæc quæ sunt in specie posita, de quibus plura fortasse dixi, quàm solēt Græci dicere, in te Sulpiti diuina sunt. Ego enim neminem nec motu corporis, neque ipso habitu atque forma aptiorem, nec uoce pleniorem, aut suauiorem mihi uideor audisse: quæ

Epilogus de ingenio.

παραίνεσις.

Ad secundum locũ de studio.

qui-

quibus à natura minora data sunt, tamen illud asse-
qui possunt, ut ijs quæ habeant, modicè & scienter
utantur, & ut ne dedeceat. Id enim est maximè ui-
tandum, & de hoc uno minimè est facilè præcipe-
re, non mihi modò, qui sicut unus paterfamiliâs his
de rebus loquor: sed etiam illi ipsi Roscio, quē sæpe
audio dicere, caput esse artis, decere, quod tamē u-
num id esse, quod tradi arte non poßit. Sed, si pla-
cet, sermonem aliò transferamus, & nostro more
aliquando, non rhetorico loquamur. Minimè uerò
inquit Cotta: nunc enim te iā exoremus necesse est,
quoniam retines nos in hoc studio, nec ad aliam di-
mittis artem, ut nobis explices quicquid est istud
quod tu in dicendo potes. Neq; enim sumus nimis
auidi ista tua mediocri eloquentia contenti sumus:
idq́; ex te quærimus, ut ne plus nos assequamur,
quàm quantulum tu in dicendo aßecutus es. Quo-
niam quæ à natura expetenda sunt, ea dicis non ni-
mis deesse nobis, quid præterea eße assumendum
putes? Tum Crassus arridens: Quid censes, in-
quit, Cotta, nisi studium, & ardorem quendam a-
moris? sine quo cùm in uita nihil quicquam egre-
gium, tum certè hoc quod tu expetis, nemo unquam
assequetur. Neque uerò uos ad eam rem uideo eße
cohortandos, quos, cum mihi quoq; sitis molesti, ni-
mis etiam flagrare intelligo cupiditate. Sed profe-
ctò studia nihil prosunt perueniendi aliquò, nisi il-
lud

lud quod eò quò intendas ferat deducatq;, cognoris. Quare quoniam mihi leuius quoddam onus imponitis, neq; ex me de oratoris arte, sed de hac mea quantulacunq; est facultate, quæritis: exponam uobis non quandam aut perreconditam, aut ualde difficilem, aut magnificam, aut grauem rationem consuetudinis meæ, qua quondam solitus sum uti, cùm mihi in isto studio uersari adolescenti licebat. Ars.

Tum Sulpitius: O diem Cotta nobis, inquit, optatum. Quod enim neq; precibus unquam, nec insidiando, nec speculando assequi potui, ut quid Crassus ageret meditandi, aut dicendi causa, non modò uidere mihi, sed ex eius scriptore & lectore Diphilo suspicari liceret, id spero nos esse adeptos, omniaq; iam ex ipso, quæ diu cupimus, cogituros.

Tum Crassus, Atqui arbitror Sulpiti, cùm audieris, non tam te hæc admiraturum quæ dixero, quàm existimaturum tum, quum ea audire cupiebas, causam cur cuperes, non fuisse. Nihil enim dicam reconditum, nihil expectatione uestra dignum, nihil aut inauditum uobis, aut cuiquam nouum. Nam principio illud quod est homine ingenuo, liberalitérque educato dignum, non negabo me ista omnium communia, & contraria præcepta didicisse. Primùm oratoris officium esse, dicere ad persuadendum accommodatè: deinde eße omnem orationem, aut de infinitæ rei quæstione sine designa

Duplex quæstio.

gna

gnatione personarum, & temporum, aut de re certis in personis, ac temporibus locata: In utraque autem re quicquid in controuersiam ueniat, in eo quæri solere aut factúmne sit: aut si est factum, quale sit, aut etiam quo nomine uocetur: aut quod nonnulli addunt, recténe factum esse uideatur: existere autem controuersias etiam ex scripti interpretatione, in quo aut ambiguè quid sit scriptum, aut contrariè, aut ita ut à sententia scriptum dissideat: his autem omnibus partibus subiecta quædā esse argumenta propria: sed causarum quæ sint à communi quæstione seiunctæ, partim in iudicijs uersari, partim in deliberationibus. Esse etiam genus tertium, quod in laudandis, aut uituperandis hominibus poneretur: certosq; esse locos quibus in iudicijs uteremur, in quibus æquitas quæreretur: alios in deliberationibus, qui omnes ad utilitatē dirigerentur eorum quibus consilium daremus: alios item in laudationibus, in quibus ad personarum dignitatem omnia referentur. Cumq; esset omnis oratoris uis, ac facultas in quinq; partes distributa, ut deberet reperire primùm quid diceret, deinde inuenta non solùm ordine, sed etiam momento quodam atq; iudicio dispensare atq; disponere, tum ea deniq; uestire atq; ornare oratione, pòst memoria sepire, ad extremum agere cum dignitate & uenustate: etiam illa cognorā & acceperam,

antè quàm de re diceremus, initio conciliandos eorum esse animos qui audirent: deinde rem demonstrandam: postea controuersiam constituendã: tum id quod nos intenderemus, cõfirmandum: pòst, quæ contrà dicerentur, refellenda: extrema autem oratione, ea quæ pro nobis essent, amplificanda & augenda: quæq; eßent pro aduersarijs, infirmanda, atq; frangenda. Audieram etiam quæ de orationis ipsius ornamentis traderentur: in qua præcipitur primùm ut purè, & latinè loquamur, deinde ut planè & dilucidè, tum ut ornatè, pòst ad rerum dignitatem aptè & quasi decorè: singularumq; rerum præcepta cognoram. Quin etiam quæ maximè propria essent naturæ, tamen his ipsis artem adhiberi uideram. Nam de actione, & de memoria quædam breuia, sed magna cum exercitatione præcepta gustaram. In his enim ferè rebus omnis istorum artificum doctrina uersatur: quam ego si nihil dicam adiuuare, mentiar: habet enim quædã quasi ad commonendum oratorem, quo quicq; referat, & quod intuens, ab eo quodcunq; sibi proposuerit, minùs aberret. Verùm ego hanc uim intelligo eße in præceptis omnibus, non ut ea secuti oratores, eloquentiæ laudem sint adepti: sed quæ sua sponte homines eloquentes facerent, ea quosdam obseruasse, atq; id egisse, sic esse non eloquentiam ex artificio, sed artificium ex eloquentia natum

quod tamen, ut antè dixi, non eijcio. est enim etiamsi minus neceßarium ad bene dicendum, tamen ad cognoscendũ non illiberale. Ea exercitatio quædam suscipienda uobis est, quanquam uos quidem iam pridem estis in cursu: sed ijs qui ingrediuntur ad studium, quiq; ea quæ agenda sunt in foro, tanquã in acie, poßunt etiam nunc exercitatione quasi ludicra prædiscere ac meditari. Hanc ipsam, inquit Sulpitius, nosse uolumus: attamen ista quæ abs te breuiter de arte decursa sunt, audire cupimus: quanquam sunt nobis quoq; non inaudita: uerum illa mox, nunc de ipsa exercitatione quid sentias, quærimus. Equidem probo ista, Crassus inquit, quæ uos facere soletis, ut causa aliqua posita consimili causarum earum quæ in forum deferuntur, dicatis quàm maximè ad ueritatem accommodatè: sed pleriq; in hoc uocẽ modò, neq; eã scienter, et uires exercent suas, & linguæ celeritatem incitant, uerborumq; frequentia delectãtur: in quo fallit eos quod audierunt, dicendo homines, ut dicant, efficere solere. Verè enim etiam illud dicitur, peruerse dicere homines, peruerse dicẽdo facilimè cõsequi. Quãobrem in istis ipsis exercitationibus etsi utile est etiam subitò sæpè dicere, tamen illud utilius, sumpto spatio ad cogitandum, paratius atq; accuratius dicere. Caput autem est, quod (ut uerè dicam) minimè facimus (est enim magni laboris, quem pleriq;

Exercitatio.

Declamatio.

rique fugimus) quamplurimum scribere. Stylus optimus & præstantißimus dicēdi effector ac magister, neque iniuria. Nam si subitam & fortuitam orationem commentatio & cogitatio facilè uincit, hanc ipsam profectò aßidua ac diligens scriptura superabit. Omnes enim siue artis sunt loci, siue ingenij cuiusdam atque prudentiæ, qui modò insunt in ea re de qua scribimus, inquirentibus nobis, omniq; acie ingenij contemplantibus ostendunt se & occurrunt: omnesq; sententiæ, uerbaq; omnia quæ sunt cuiusque generis, maximè illustria, sub acumen styli subeant, & succedant necesse est: tum ipsa collocatio cōformatioq; uerborū perficitur in scribendo, non poëtico, sed quodam Oratorio numero & modo. Hæc sunt quæ clamores & admirationes in bonis oratoribus efficiunt: neque ea quisquam, nisi diu multumq; scriptitarit, etiamsi uehementißimè se in his subitis dictionibus exercuerit, consequetur: & qui à scribendi consuetudine ad dicendum uenit, hanc affert facultatem, ut etiam subitò si dicat, tamen illa quæ dicantur, similia scriptorum esse uideantur: atq; etiam si quando in dicendo scriptum attulerit aliquid, cùm ab eo discesserit, reliqua similis oratio consequetur. Vt concitato nauigio, cū remiges inhibuerunt, retinet tamen ipsa nauis motum & cursum suum intermisso impetu, pulsuq; remorū: sic in oratione perpetua,

Stylus.

αὐτιολογία.

cùm scripta deficiunt, parem tamen obtinet oratio reliqua cursum scriptorum similitudine, & ui concitata. In quotidianis autem cogitationibus equidem mihi adolescentulus proponere solebam illam exercitationem maximè, qua C. Carbonem nostrum illum inimicum solitum esse uti sciebam, ut aut uersibus propositis quàm maximè grauibus, aut oratione aliqua lecta ad eum finem quem memoria possem comprehendere, eamrem ipsam quam legissem, uerbis alijs quàm maximè possem lectis pronuntiarem: sed pòst animaduerti hoc esse in hoc uitij, quòd ea uerba quæ maximè cuiusque rei propria, quæq; eßent ornatißima atq; optima, occupasset: aut Ennius, si ad eius uersus me exercerem: aut Gracchus si eius orationē mihi fortè proposuissem. Ita si ijsdem uerbis uterer, nihil prodesse: si alijs, etiam obesse, cū minus idoneis uti consuescerem. Postea mihi placuit, eoq; sum usus adolescens, ut summorū oratorum Græcas orationes explicarē: quibus lectis hoc assequebar, ut cum ea quæ legerē Græcè, Latinè redderem, non solùm optimis uerbis uterer, & tamen usitatis, sed etiam exprimerem quædā uerba imitando, quæ noua nostris essent, dummodo essent idonea. Iam uocis & spiritus & totius corporis, & ipsius linguæ motus, et exercitationes, non tam artis indigent, q̃ laboris: quibus in rebus habenda est ratio diligenter quos imitemur,

Argumenta quibus exerceare.

Actio

mur, quorum ſimiles uelimus eſſe. Intuendi nobis ſunt non ſolùm oratores, ſed etiam actores: ne mala conſuetudine ad aliquã deformitatem prauitatemq́; ueniamus. Exercenda eſt etiam memoria ediſcẽdis ad uerbum quã plurimis & noſtris ſcriptis, & alienis. Atq; in ea exercitatione non ſanè mihi diſplicet adhibere, ſi conſueueris, etiã iſtam locorũ ſimulachrorumq́; rationẽ, quæ in arte traditur. Educenda deinde dictio eſt ex hac domeſtica exercitatione & umbratili mediũ in agmen, in puluerẽ, in clamorẽ, in caſtra, atq; aciem forenſem: ſubeundus uſus omnium, & periclitandæ uires ingenij: & illa commentatio incluſa, in ueritatis lucẽ proferenda eſt. Legendi etiam poëtæ, cognoſcenda hiſtoria, omnium bonarũ artium ſcriptores ac doctores et legẽdi, & peruolutandi, & exercitationis cauſa laudandi, interpretandi, corrigendi, uituperandi, refellendi: diſputandumq́; de omni re in contrarias partes: & quicquid erit in quaq; re quod probabile uideri poßit, eliciendum, atq; dicendum. Perdiſcendum ius ciuile, cognoſcendæ leges, percipienda omnis antiquitas, ſenatoria conſuetudo, diſciplina Reip. iura ſociorum, fœdera, pactiones, cauſa imperij cognoſcenda eſt. Libandus eſt etiam ex omni genere urbanitatis facetiarum quidam lepos, quo tanquam ſale perſpergatur omnis oratio. Effudi uobis omnia quæ ſentiebam: quæ fortaſſe, ſi quemcunque

Memoria

Quæ peregrinæ artes cognoſcendæ.

patremfamiliâs arripuissetis ex aliquo circulo, eadem uobis percontantibus respondisset. Hæc cùm Crassus dixisset, silentium est consecutum: sed quanquam satis ijs qui adderant, ad id quod erat propositum, dictum uidebatur, tamen sentiebant celerius esse multò, quàm ipsi uellent, ab eo peroratum. Tum Scæuola, Quid est Cotta, inquit, quid tacetis? nihil ne uobis in mentem uenit, quod præterea à Crasso requiratis? Imò id me hercule, inquit, ipsum attendo: tantus enim cursus uerborum fuit, & sic euolauit oratio, ut eius uim & incitationem aspexerim, uestigia, ingressum' que non uiderim: & tanquam in aliquam locupletem ac refertam domum uenerim, non explicata ueste, neque proposito argento, neque tabulis & signis propalam collocatis, sed his omnibus multis magnificisq; rebus constructis ac reconditis: sic modò in oratione Craßi diuitias ac ornamenta eius ingenij per quædam inuolucra atque integumenta prospexi: sed ea cùm contemplari cuperem, uix aspiciendi potestas fuit, ita neq; hoc poßum dicere, me omnino ignorare quid poßideat, neque planè nosse ac uidisse. Quin tu igitur facis idem, inquit Scæuola, quod faceres si in aliquam domum plenam ornamentorum illam uenisses? Si ea seposita, ut dicis, eßent, tuq; ualde spectandi cupidus eßes, non dubitares rogare dominum ut proferri iuberet, præsertim si

tim si eßet familiaris: similiter nunc petes à Craßo, ut eam copiã ornamentorum suorum, quam constru ctam uno in loco quasi per transennam prætereuntes strictim aspeximus, in lucem proferat, & suo quicq; loco collocet. Ego uerò, inquit Cotta, à te peto Scæuola (me enim, & hunc Sulpitiũ impedit pudor) ab homine omnium grauißimo, qui genus huiusmodi disputationis semper contẽpserit, hæc quæ isti forsitan puerorũ elementa uideantur, exquirere. Sed tu hoc nobis da Scæuola, & perfice, ut Crassus hæc quæ coarctauit, perangustè refersit in oratione sua, dilatet nobis, atq; explicet. Ego mehercule, inquit Mutius, antea uestra magis hoc causa uolebam quàm mea. Neq; n. tantopere hanc à Crasso disputationẽ desiderabam, quantopere eius in causis oratiõe delector. Nunc uerò Craße mea quoq; etiã causa rogo, ut quoniã tantum habemus ocij, quantũ iamdiu nobis non contigit, ne grauere exædificare id opus q̃ instituisti. Formã. n. totius negotij opinione maiorẽ melioremq; uideo, quam uehementer probo. Enimuero, inqt Craßus, mirari satis nõ queo etiã te hæc Scæuola desiderare, quæ neq; ego teneo ut ij qui docẽt, neq; sunt eius generis, ut si optimè tenerẽ, digna essent ista sapientia, ac tuis aurib. An tu, inquit ille, si de istis cõmunibus et peruagatis uix huic ætati audiendũ putas, etiam'ne illa negligere poßumus? q̃ tu Oratori cognoscenda esse dixisti, de

naturis hominum, de moribus, de rationibus ijs, quibus hominum mentes & incitarentur, & reprimerētur, de historia, de antiquitate, de administratione Reipub. denique de nostro ipso iure ciuili? Hanc enim ego omnem scientiam, & copiam rerum in tua prudentia sciebam inesse, in oratoris uerò instrumento tam lautam suppellectilem nunquā uiderā. Potes igitur, inquit Crassus, ut alia omittā, quæ sunt immensa, & ut ad ipsum tuū ius ciuile ueniam, oratores putare eos, quos multas horas expectauit cùm in campum properaret, & ridens & stomachans Scæuola, cū Hypseus maxima uoce plurimis uerbis à M. Crasso prætore cōtenderet, ut ei quem defendebat, causa cadere liceret: Cn. autem Octauius homo consularis non minus longa oratione recusaret, ne aduersarius causa caderet, ac ne is pro quo ipse diceret, turpi tutelæ iudicio, atq; omni molestia, stultitia aduersarij liberaretur. Ego uerò istos inquit, (memini enim mihi narrare Mutium) non modò oratoris nomine, sed ne foro quidē dignos putarem. Atqui non defuit illis patronis, inquit Crassus, eloquentia, neq; dicēdi ratio aut copia, sed iuris ciuilis prudentia, quòd alter plus lege agendo petebat, quàm quantum lex in duodecim tabulis permiserat, quod cum impetrasset, causa caderet: alter iniquū putabat plus secū agi, quàm quod esset in actione: neq; intelligebat, si ita esset actū litem

Pluribus explicaturus locū de peregrinis artib. orditur à iuris ciuilis encomio: & primū argumentū à necessario tractū est quòd satis facere officio oratoris sine scientia iuris nemo possit: idq; exemplis declarat.

tem aduersarium perditurum. Quid his paucis diebus? Nónne nobis in tribunali Q. Pompeij prætoris urbani familiaris nostri sedentibus, homo ex numero disertorum postulabat ut illi unde peteretur, uetus atq; usitata exceptio daretur, cuius pecuniæ dies fuisset? quod petitoris causa comparatum esse non intelligebat, ut si ille inficiator probasset iudici antè petitam esse pecuniam, quã esset cœpta deberi, petitor rursus cũ peteret, ne exceptione excluderetur, quod ea res in iudicium antea nõ uenisset. Quid ergo hoc fieri turpius, aut dici potest, q̃ eum qui hanc personam susceperit, ut amicorum controuersias causasq; tueatur, laborãtibus succurrat, ægris medeatur, afflictos excitet, hunc in minimis tenuißimisq; rebus ita labi, ut alijs miserandus, alijs irridendus esse uideatur? Equidẽ propinquum nostrum P. Crassum illum diuitem, & multis alijs in rebus elegantem hominem, & ornatum præcipuè in hoc ferendum & laudandum puto, quòd cum P. Sceuolæ frater esset, solitus est ei persæpè dicere, neq; illum in iure ciuili satis illi arti facere posse, nisi dicendi copiam assumpsisset. quod quidem hic, qui mecum consul fuit, filius eius est consecutus: neq; se antè causas amicorum tractare atq; agere cœpisse, quàm ius ciuile didicisset. Quid uerò ille M. Cato? Nónne & eloquẽtia tanta fuit, quantam illa tempora atq; illa ætas in hac ciuitate ferre maxi-

mam potuit, & iuris ciuilis omnium peritißimus? Verecundius hac de re iamdudum loquor, quòd adest uir in dicendo summus, quem ego unum oratorem maximè admiror: sed tamen idem hoc semper ius ciuile contempsit. Verùm quoniã sententiæ atque opinionis meæ uoluistis esse participes, nihil occultabo: et quoad potero, uobis exponã quid de quaque re sentiã. Antonij incredibilis quædã & propè singularis & diuina uis ingenij uidetur, etiamsi hac scientia iuris nudata sit, posse facilè cæteris armis prudentiæ causas tueri atq; defendere. quamobrẽ hic nobis sit exceptus: cæteros uerò non dubitabo, primum inertiæ condẽnare, sententia mea, pòst etiam impudentiæ. Nam uolitare in foro, hærere in iure ac prætorum tribunalibus, iudicia priuata magnarum rerum obire, in quibus sæpe non de facto, sed de æquitate ac iure certetur, iactare se in causis centumuiralibus, in quibus usucapionum, tutelarum, gentilitatum, agnationum, alluuionum, circunluuionum, nexorum, mancipiorum, parietum, luminum, stillicidiorum, testamentorum ruptorum aut ratorum, cæterarumq; rerum innumerabilium iura uersentur, cùm omnino quid suum, quid alienum, quare denique ciuis an peregrinus, seruus an liber quispiam sit, ignoret, insignis est impudentiæ. Illa uerò deridenda arrogantia est, in minoribus nauigijs rudem esse se confiteri, quinquere-

querentes autem aut etiam maiores gubernare didicisse. Tu mihi, cùm in circulo decipiare aduersarij stipulatiuncula, & cùm obsignes tabellas clientis tui, quibus in tabellis id sit scriptum quo ille capiatur: ego tibi ullam causam maiorē committendam putem? Citius hercule is qui duorum scalmorum nauiculam in portu euerterit, in Euxino ponto Argonautarum nauem gubernarit. Quid si ne paruæ quidem causæ sunt, sed sæpe maximæ in quibus certatur de iure ciuili? Quod tandem os est illius patroni, qui ad eas causas sine ulla scientia iuris audet accedere? Quæ potuit igitur esse causa maior, quàm illius militis, de cuius morte cùm domum falsus ab exercitu nuncius uenisset, & pater eius re credita testamentum mutasset, & quem ei uisum esset, fecisset hæredem, essetq; ipse mortuus, res delata est ad Centumuiros, cùm miles domum reuenisset, egissetq; lege in hæreditatem paternam testamento exhæres filius? Nempe in ea causa quæsitum est de iure ciuili, posset'ne paternorum bonorum exhæres esse filius, quem pater testamento neque hæredem neque exhæredem scripsißet nominatim. Quid? qua de re inter Marcellos & Claudios patricios Centumuiri iudicarunt, cùm Marcelli ab liberti filio stirpe, Claudij patricij eiusdem hominis hæreditatem gente ad se redijsse dicerent: non'ne in ea causa fuit oratoribus de toto

stirpis,

ſtirpis, ac gentilitatis iure dicendum? Quid quòd itē in centumuirali iudicio certatū eſſe accepimus? qui Romam in exilium ueniſſet, cui Romæ exulare ius eſſet ſi ſe ad aliquem quaſi patronum applicuiſſet, inteſtatoq́; eſſet mortuus, non ne in ea cauſa ius applicationis obſcurum ſanè & ignotum, patefactum in iudicio atq; illuſtratū eſt à patrono? Quid nuper cùm ego C. Sergij auratæ cōtra hunc noſtrū Antonium iudicio priuato cauſam defenderē, nónne omnis noſtra in iure uerſata defenſio eſt? Cum enim Marius Gratidianus ædes Auratæ uēdidiſſet, neq; ſeruire quandam earum ædium partē in mancipij lege dixiſſet, defendebamus quicquid fuiſſet incommodi in mancipio, id ſi uenditor ſciſſet, neq; declaraſſet, præſtare debere. Quò quidē in genere familiaris noſter M. Bucculeius, homo neq; meo iudicio ſtultus, & ſuo ualde ſapiens, & à iuris ſtudio non abhorrēs, ſimili in re quodammodo nuper errauit: nam cùm ædes L. Fuſio uenderet, in mancipio lumina uti tum eßent, ita recepit. Fuſius autē ſimulatq; ædificari cœptum eſt in quadam parte urbis, quæ modo ex illis ædibus conſpici poßet, egit ſtatim cum Buculeio, quod cuicunq; particulæ cæli officeretur, quamuis eßet procul, mutari lumina putabat. Quid uerò clarißima M. Curij cauſa & M. Coponij nuper apud Centumuiros, quo concurſu hominum, qua expectatione defenſa eſt? cum Q. Scæuola

uola æqualis & collega meus homo omnium et disciplina iuris ciuilis eruditißimus, & ingenio, prudentiaq; acutißimus, & oratione maximè limatus atq; subtilis, atq; ut ego soleo dicere, iurisperitorum eloquentißimus, eloquentiũ iurisperitißimus, ex scripto testamentorum iura defenderet, negaretq; nisi posthumus & natus, & antequam in suam tutelam ueniret, mortuus esset, hæredem eum esse posse, qui esset secundum posthumũ & natum & mortuum hæres institutus: ego autem defenderem hac eum mente fuisse qui testamentum fecisset, ut si filius non eßet qui in tutelam ueniret, M. Curius esset hæres. Num destitit uterq; nostrûm in ea causa in autoritatibus, in exemplis, in testamentorum formulis, hoc est, in medio iure ciuili uersari? Omitto iam plura exempla causarum amplißimarum, quæ sunt innumerabilia. Capitis nostri sæpe potest accidere ut causæ uersentur in iure. Etenim si C. Mancinum nobilißimum atq; optimum uirum, ac consularem, cùm propter inuidiam Numantini fœderis Paterpatratus ex senatusconsulto Numantinis dedisset, eumq; illi non recipißent, posteaq; Mancinus domum reuenisset, neque in senatum introire dubitaßet, P. Rutilius M. filius Tribunus Ple. de senatu iußit educi, quòd eum ciuem negaret esse, quia memoria sic esset proditum, quẽ pater suus aut populus uendidisset, aut Paterpatratus dedißet,

disset, ei nullum esse postliminium. Quam possumus reperire ex omnibus rebus ciuilibus causam contẽtionemq; maiorem, quàm de ordine, de ciuitate, de libertate, de capite hominis consularis? præsertim cùm hæc non in crimine aliquo, quod ille poßit infi ciari, sed in ciuili iure consisteret? Similiq; in genere inferiore ordine. si quis apud nos seruisset ex populo fœderato, seseq; liberasset, ac postea domum reuenisset, quæsitum est apud maiores nostros, num is ad suos postliminio rediјsset, & amisisset hanc ciuitatẽ. Quid de libertate, quo iudicium grauius esse nullum potest? nónne ex iure ciuili potest esse contentio, cũ quæritur, is qui domini uoluntate census, si non sit conditum lustrum, sit ne liber? Quid quod usu memoria patrũ uenit, ut paterfamiliâs qui ex Hispania Romam uenisset, cùm uxorẽ prægnantem in prouincia reliquisset, Romæq; alteram duxißet, neq; nuncium priori remisisset, mortuusq; esset intestato, & ex utraque filius natus esset, mediocris ne res in controuersiam adducta est? cùm quæreretur de duobus ciuium capitibus, & de puero qui ex posteriore natus erat, & de eius matre, quæ si iudicaretur certis quibusdam uerbis, non nouis nuptijs fieri cum superiore diuortium, in concubinæ locum duceretur? Hæc igitur & horum similia iura suæ ciuitatis ignorantem, erectum & celsum, alacri & prompto ore ac uultu huc atque

illuc

illuc intuentem, uagari magna cum caterua toto foro, præsidium clientibus, atq; opem amicis, & propè cunctis ciuibus lucē ingenij & consilij sui porrigentem atq; tendentem, non'ne in primis flagitiosum putandum est? Et quoniam de impudentia dixi, castigemus etiam segnitiem hominum atq; inertiam. Nam si esset ista cognitio iuris magna ac difficilis, tamen utilitatis magnitudo deberet homines ad suscipiendum discendi laborem impellere. Sed ô Dij immortales, non dicerē hoc audiēte Scæuola, nisi ipse dicere soleret, nullius sibi artis facilio rem cognitionem uideri. Quod quidem certis de causis à plerisq; aliter existimatur: primùm, quia ueteres illi qui huic scientiæ præfuerunt, obtinendæ atq; augendæ potentiæ suæ causa peruulgari artem suam noluerunt: deinde postea quàm est editū expositis à Cn. Flauio primùm actionibus, nulli fuerunt qui illa artificiosè digesta generatim componerent. Nihil est enim quod ad artem redigi possit, nisi ille prius qui illa tenet quorum artem instituere uult, habeat illam scientiam, ut ex ijs rebus quarum ars nondum sit, artē efficere poßit, Hoc uideo, dum breuiter uoluerim dicere, dictum à me esse paulo obscuriùs: sed experiar, & dicam, si potero, planiùs. Omnia ferè quæ sunt conclusa nunc artib. dispersa, & dißipata quondā fuerunt, ut in Musicis numeri, et uoces, et modi: in Geometria lineamenta,

A facili.

menta, formæ, interualla, magnitudines: in Astrologia cæli conuersio, ortus, obitus, motusq; syderum: in Grammaticis poëtarum pertractatio, historiarũ cognitio, uerborum interpretatio, pronunciandi quidam sonus: in hac deniq; ipsa ratione dicẽdi, excogitare, ornare, disponere, meminiße, agere ignota quondam omnibus, & diffusa latè uidebantur. Adhibita est igitur ars quædam extrinsecus ex alio genere quodam, quod sibi totum Philosophi assumit: quæ rem dißolutam diuulsamq; conglutinaret, & ratione quadam constringeret. Sit ergo in iure ciuili finis hic, legitimæ atque usitatæ in rebus causisq; ciuium æqualitatis conseruatio. Tum sunt notanda genera, & ad certum numerum paucitatemq; reuocanda. Genus autem id est, quod sui simileis communione quadam, specie autem differenteis duas aut plures cõplectitur partes. Partes autẽ sunt, quæ generibus ijs ex quibus emanant, subijciuntur. Omniaq; quæ sunt uel generum uel partium nomina, definitionibus, quam uim habeant, est exprimendum. Est enim definitio, earum rerum quæ sunt eius rei propriæ quam definire uolumus, breuis & circumscripta quædam explicatio. Hisce ego rebus exempla adiungerem, nisi apud quos hæc haberetur oratio, cernerem: nũc complectar quod proposui, breui. Si enim aut mihi facere licuerit quod iam diu cogito, aut alius quispiam aut me impedito

Genus.

Partes.

Definitio.

occupa-

occuparit, aut mortuo effecerit, ut primũ omne ius ciuile in genera digerat, quæ perpauca sunt: deinde eorũ generum quasi quædam membra dispertiat, tum propriam cuiusque uim definitione declaret, perfectam artem iuris ciuilis habebitis, magis magnam, atq; uberem, quàm difficilem, & obscuram. Atque interea tamen dum hæc quæ dispersa sunt, coguntur, uel paßim licet carpentem, & colligentẽ undiq;, repleri ista iuris ciuilis scientia. Nónne uidetis equitem Romanum hominem acutißimo omnium ingenio, sed minimè cæteris artibus eruditum C. Aculeonem, qui mecum uiuit semperq; uixit, ita tenere ius ciuile, uti cùm ab hoc discesseris, nemo de ijs qui peritißimi sunt, anteponatur? Omnia enim sunt posita ante oculos, collocata in usu quotidiano, in congreßione hominum, atque in foro: neque ita multis literis aut uoluminibùs magnis continentur: eadem enim sunt elata primùm à pluribus, deinde paucis commutatis uerbis etiã ab ijsdem scriptoribus scripta sunt sæpius. Accedit uerò, quò facilìus percipi, cognosciq; ius ciuile poßit, (quod minimè plerìq; arbitrantur) mira quædam in cognoscendo suauitas, & delectatio. Nam si quem aliena studia delectant, plurima est et in omni iure ciuili, & in Pontificum libris, & in XII. tabulis antiquitatis effigies, quòd & uerborum prisca uetustas cognoscitur, & actionum genera quædam maiorum consue-

A iucũdo seu fructibus, cõplectit enim antiquitatem.

consuetudinem, uitamq; declarant. Siue quis ciuilē scientiam contempletur, quam Scæuola non putat oratoris esse propriam, sed cuiusdam ex alio genere prudentiæ, totā hanc bene descriptis omnibus ciuitatis utilitatibus ac partibus XII. tabulis cōtineri uidebitis. Siue quem ista præpotens & gloriosa

Philosophia.

Philosophia delectat, dicam audaciùs, hosce habet fontes omniū disputationum suarū, qui iure ciuili, & legibus continentur: ex his enim et dignitatem maximè expetendam uidemus, cùm uerus, iustus, atque honestus labor honoribus, præmijs atq; splēdore decoratur: uitia autem hominum atque fraudes damnis, ignominijs, uinculis, uerberibus, exilijs, morte mulctantur: & docemur non infinitis concertationumq; plenis disputationibus, sed authoritate nutuq; legum domitas habere libidines, coërcere, omnes cupiditates, nostra tueri, ab alienis mentes, oculos, manus abstinere. Fremant omnes licet, dicam quod sentio: Bibliothecas me hercule omnium Philosophorum unus mihi uidetur XII. tabularum libellus, si quis legum fontes, & capita uiderit, & authoritatis pondere, & utilitatis ubertate superare. Ac si nos, id quod maximè debet, nostra

Patriæ instituta.

patria delectat, cuius rei tanta est uis, ac tanta natura, ut Ithacam illam in asperrimis saxulis tanquā nidulum affixam sapientissimus uir immortalitati anteponeret: quo amore tandem inflammati esse debe-

debemus in eiusmodi patriam, quæ una in omnibus terris domus est uirtutis, imperij, dignitatis? Cuius primũ nobis mens, mos, disciplina nota esse debet, uel quia est patria parens omniũ nostrûm, uel quia tanta sapientia fuisse in iure constituendo putanda est, quanta fuit in his tantis opibus imperij comparandis. Percipietis etiam illam ex cognitione iuris lætitiam & uoluptatem, quòd quantũ præstiterint nostri maiores prudentia cæteris gentibus, tum facilimè intelligetis, si cum illorum Lycurgo, & Dracone, et Solone nostras leges conferre uolueritis. Incredibile est enim quàm sit omne ius ciuile præter hoc nostrum, inconditum, ac penè ridiculum: de quo multa soleo in sermonibus quotidianis dicere, cùm hominum nostrorum prudentiam cæteris hominibus, & maximè Græcis antepono. His ego de causis dixeram, Scæuola, ijs qui perfecti oratores esse uellent, iuris ciuilis cognitionem esse necessariam. Iam uerò ipsa per sese quantum afferat ijs qui ei præsunt, honoris, gratiæ, dignitatis, quis ignorat? Itaq; ut apud Græcos infimi hoĩes mercedula adducti ministros se præbent in iudicijs oratoribus, ij qui apud illos πραγματικοὶ uocantur: sic in nostra ciuitate contrà amplissimus quisque & clarissimus uir, ut ille qui propter hanc iuris ciuilis scientiam sic appellatus à summo Poëta est:

Egregie cordatus homo Catus Aelius Sextus.

Amplifica tio legum Romanarum.

Ab utili cõmoda quæ obiter accedunt.

multiq; præterea, qui cùm ingenio ſibi authore dignitatem reperiſſent, perfecerunt ut in reſpondendo iure, authoritate plus etiam quàm ipſo ingenio ualerent. Senectuti uerò celebrandæ & ornandæ quod honeſtius poteſt eſſe perfugium, quã iuris interpretatio? Equidẽ mihi hoc ſubſidiũ iam inde ab adoleſcentia comparaui, non ſolùm ad cauſarum uſum forenſem, ſed etiam ad decus atq; ornamentum ſenectutis: ut cùm me uires (quod ferè iam tempus aduẽtat) deficere cœpiſſent, ab ſolitudine domũ meam uindicarem. Quid eſt enim præclarius, quam honoribus & Reipub. muneribus perfunctum ſenem poſſe ſuo iure dicere idẽ quod apud Enniũ dicit ille Pythyus Apollo? Se eſſe eum, unde ſibi ſi nõ populi et reges, at omnes ſui ciues conſiliũ expetant.

Suarum rerum incerti, quos ego mea ope ex
Incertis certos, compoteſq; conſili
Dimitto, ut ne res temere tractent turbidas.

Eſt enim ſine dubio domus iuriſconſulti totius oraculum ciuitatis. Teſtis eſt huiuſce Q. Mutij ianua, & ueſtibulum, quod in eius infirmiſsima ualetudine, affectaq; iam ætate, maxima quotidie frequentia ciuium, ac ſummorum hominum ſplendore celebratur. Iam uerò illa nõ longam orationem deſyderant, quam ob rem exiſtimem publica quoque iura, quæ ſunt propria ciuitatis atq; imperij, tum monimenta rerum geſtarũ, & uetuſtatis exempla

De iure publico.

orato-

oratori nota esse debere. Nam ut in rerum priuatarum causis, atque iudicijs depromenda sæpè oratio est ex iure ciuili, & idcirco, ut antè diximus, oratori iuris ciuilis sciẽtia necessaria est: sic in causis publicis iudiciorum, cõcionum, senatus, omnis hæc & antiquitatis memoria, & publici iuris authoritas, & regendæ Reipub. ratio ac scientia, tanquam aliqua materies ijs oratoribus, qui uersantur in Repu. subiecta esse debent. Non enim causidicum nescio quem, neque proclamatorem, aut rabulam hoc sermone nostro cõquirimus, sed eum uirum qui primũ sit eius artis antistes, cuius cùm ipsa natura magnã homini facultatem daret, tamen esse Deus putatur: ut & ipsum quod erat hominis proprium, non partum per nos, sed diuinitus ad nos delatum uideretur: deinde qui poßit non tam caduceo, quam nomine oratoris ornatus, incolumis, uel inter hostium tela uersari: tum qui scelus fraudemq́; nocentis poßit dicendo subijcere odio ciuium, supplicioq́; constringere: idemq́; ingenij præsidio innocentiam iudiciorum pœna liberare: idemq́; languentem, labentemq́; populum aut ad decus excitare, aut ab errore deducere, aut inflammare in improbos, aut incitatum in bonos mitigare: qui deniq́;, quemcunque in animis hominum motum res, & causa postulet, eum dicendo uel excitare poßit, uel sedare. Hanc uim si quis existimat aut ab ijs qui de dicẽdi ratio-

ne scripserunt, expositam esse, aut à me posse exponi tam breui, uehementer errat: neq; solùm inscientiam meam, sed ne rerum quidem magnitudinem perspicit. Equidem uobis, quoniam ita uoluistis, fontes unde haurietis, atq; itinera ipsa ita putaui esse demonstranda, non ut ipse dux essē, quod & infinitum est, & non necessarium, sed ut cōmonstrarem tantum uiam, &, ut fieri solet, digitum ad fontes intenderem. Mihi uerò, inquit Mutius, satis superq́; abs te uidetur istorum studijs, si modò sunt studiosi, esse factum. nam ut Socratem illum solitum aiunt dicere, perfectum sibi opus esse, si quis satis esset cōcitatus cohortatione sua ad studiū cognoscendæ, percipiendæq́; uirtutis: (quibus enim psuasum esset, ut nihil mallent se esse quàm bonos uiros, ijs reliquā facilem esse doctrinā) sic ego intelligo, si in hæc quæ patefecit oratione sua Crassus, intrare uolueritis, facilimè uos ad ea quæ cupitis, peruenturos ab hoc aditu, ianuáq; patefacta. Nobis uerò, inquit Sulpitius, ista sunt pergrata, perq́; iucunda: Sed pauca etiā requirimus: in primisq́; ea quæ ualde breuiter à te Crasse de ipsa arte percursa sunt, cùm illa te & non contemnere, & didicisse confiterere. Ea si paulo latiùs dixeris, expleris omnem expectationem diuturni desyderij nostri. nam nunc quibus studendum rebus esset, accepimus, quod ipsum est tamen magnum: sed uias earum rerum, ratio-

Quatenus psint doctores, nēpe ut accēdāt ad discendum animos.

tionemq; cupimus cognoscere. Quid si inquit Crassus, quoniam ego quò faciliùs uos apud me tenerẽ, uestræ potius obsecutus sum uoluntati, quàm aut consuetudini, aut naturæ meæ, petimus ab Antonio, ut ea quæ cõtinet, neque adhuc protulit, ex quibus unum libellum sibi excidisse iamdudum questus est, explicet nobis, & illa dicendi mysteria enunciet? Vt uidetur, inquit Sulpitius: nam Antonio dicente, etiam quid tu intelligas, sentiemus. Peto igitur, inquit Crassus, à te, quoniam id nobis Antoni hominibus id ætatis oneris ab horum adolescentium studijs imponitur, ut exponas quid ijs de rebus, quas à te quæri uides, sentias.

Deprehensum equidem me, inquit Antonius, planè uideo atque sentio, non solùm quod ea requiruntur à me, quorum sum ignarus atque insolens, sed quia, quod in causis ualde fugere soleo, ne tibi Crasse succedam, id me nunc isti uitare non sinunt. Verùm hoc ingrediar ad ea quæ uultis, audaciùs, quòd idem mihi spero usu esse uenturum in hac disputatione, quod in dicendo solet, ut nulla expectetur ornata oratio. Neque enim sum de arte dicturus, quam nunquam didici, sed de mea consuetudine. Ipsaq; illa quæ in commentarium meum retuli, sunt eiusmodi, non aliqua mihi doctrina tradita, sed in rerum usu causisq; tractata: quæ si uobis hominibus eruditißimis non probabuntur, uestram

Extenuatio sui à psona sua.

iniquitatem accusatote, qui ex me ea quæsieritis, quæ ego nescirem: meam facilitatem laudatote, cũ uobis non meo iudicio, sed uestro studio inductus non grauatè respondero. Tum Crassus: *Perge modò, inquit, Antoni: nullum est enim periculum ne quid tu eloquare, nisi ita prudenter, ut neminẽ nostrûm pœniteat ad hunc te sermonem impulisse.* Ego uerò, inquit, pergam, & id faciam quod in principio fieri in omnibus disputationibus oportere cẽseo, ut quid illud sit de quo disputetur, explanetur: ne uagari, & errare cogatur oratio, si ij qui inter se dissenserint, non idem esse illud de quo agitur, intelligent. Nam si fortè quæreretur quæ esset ars imperatoris, constituendum putarem principio, quis esset imperator: qui cum esset constitutus administrator quidem belli gerendi, tum adiungeremus de exercitu, de castris, de agminibus, de signorum collationibus, de oppidorum oppugnationibus, de cõmeatu, de insidijs faciendis, atq; uitandis, de reliquis rebus, quæ essent propriæ belli administrandi: quarum qui essent animo & scientia compotes, eos esse imperatores dicerẽ: utererq; exemplis Africanorum, & Maximorum: Epaminundam, atque Annibalem, atq; eius generis homines nominarẽ. Sin autẽ quæreremus quis esset is qui ad Rẽp. moderandam, usum & scientiam, & studium suum contulisset, definirem hoc modo: qui quibus rebus

Cõstituendã esse definitionẽ.

Descriptio imperatoris

Similia.

utilitas

utilitas Reip. pararetur augereturq;, teneret, ijsq; uteretur, hunc Reipub. rectorem, & consilij publici authorem esse habendum: prædicaremq; Pub. Lentulum principem illum, & Tib. Gracchum patrem, & Quint. Metellum, & Pub. Africanum, & C. Lælium, & innumerabiles alios cùm ex nostra ciuitate, tum ex cæteris. Sin autem quæreretur quisnã iurisconsultus uerè nominaretur, eum dicerem, qui legum, & consuetudinis eius, qua priuati in ciuitate uterentur, & ad respondendum, & ad agendum, et ad cauendum peritus esset: & ex eo genere Sextũ Aelium, M. Manilium, P. Mutium nominarem. Atq; ut iam ad leuiora artium studia ueniam, si Musicus, si Grammaticus, si Poëta quæratur, poßim similiter explicare quid eorũ quisq; profiteatur, & quo non amplius ab quoq; sit postulandum. Philosophi deniq; ipsius, qui de sua ui ac sapientia unus omnia pene profitetur, est tamen quædam descriptio, ut is qui studeat omnium rerum diuinarum, atq; humanarũ uim, naturam, causasq; nosse, & omnem bene uiuendi rationem tenere, & persequi, nomine hoc appelletur. Oratorem autẽ, quoniam de eo quærimus, equidem non facio eundem quem Crassus, qui mihi uisus est omnem omnium rerum, atq; artium scientiam comprehendere uno oratoris officio, ac nomine: atq; eum puto esse, qui & uerbis ad audiendum iucundis, & sententijs ad probandum accom- Quis orator.

modatis uti poßit in causis forensibus, atq; communibus. Hunc ego appello oratorem: eumq; esse praeterea instructum uoce, & actione, & lepore quodam uolo. Crassus noster uerò mihi uisus est oratoris facultatem non illius artis terminis, sed ingenij sui finibus immensis penè describere. nam et ciuitatum regendarum oratori gubernacula sententia sua tradidit: in quo mihi permirũ uisum est Scaeuola te hoc illi concedere, cũ saepißime tibi senatus breuiter, impoliteq; dicenti maximis sit de rebus assensus. M. uerò Scaurus, quẽ non longè ruri apud se esse audio, uir regẽdae Reip. scientißimus, si audierit hanc authoritatem grauitatis & consilij sui uindicari à te Crasse, quòd eam oratoris propriã esse dicas, iã credo huc ueniat, & hãc loquacitatẽ nostram uultu ipso aspectuq; conterreat: qui, quanq̃ est in dicendo minimè contemnendus, prudentia tamen rerum magnarũ, magis quã dicendi arte nititur. Neq; uerò si quis utrunq; potest, aut ille cõsilij publici author, ac senator bonus, ob eã ipsam causam orator est: aut hic disertus, aut eloquens, si est idem in procuratione ciuitatis egregius, aliquã scientiam dicẽdi copia est cõsecutus. Multùm inter se distant istae facultates, longeq; sunt diuersae atq; seiunctae: neq; eadem ratione ac uia M Cato, P. Africanus, Q. Metellus, C. Laelius, qui omnes eloquẽtes fuerunt, orationem suam, & Reip. dignitatem exornabant. Neq; enim

Separat ab oratoris facultate politicen.

enim est interdictum aut à rerũ natura, aut à lege aliqua, atq; more, ut singulis hominibus ne amplius quàm singulas artes nosse liceat. Quare non etsi eloquentissimus Athenis Pericles, idemq; in ea ciuitate plurimos annos princeps consilij publici fuit, idcirco eiusdem hominis atq; artis utraque facultas existimãda est: Nec si P. Crassus idem fuit eloquẽs & iurisperitus, ob eam causam inest in facultate dicendi iuris ciuilis scientia. Nam si quisque ut in aliqua arte & facultate excellens, aliam quoque artem sibi assumpserit, is perficiet, ut quod prætereà sciet, id eius in quo excellet, pars quædam esse uideatur: licet ista ratione dicamus, pila bene, & duodecim scrupis ludere, propriũ esse iuris ciuilis, quoniam utrunque eorum P. Mutius optimè fecerit: eademq; ratione dicantur & quos φυσικοὺς Græci nominant, ijdem poëtæ, quoniam Empedocles physicus egregiũ poëma fecerit. At hoc ne philosophi quidem ipsi qui omnia sicut propria sua esse, atque à se posideri uolunt, dicere audent, Geometriam aut Musicam Philosophi esse, quia Platonẽ omnes in illis artibus præstantissimum fuisse fateantur. At si iam placet omnes artes oratori subiungere, tolerabilius est sic potius dicere, ut quoniam dicendi facultas non debeat esse ieiuna, atque nuda, sed aspersa atque distincta multarum rerum iucunda quadam uarietate, sit boni oratoris multa auribus

A simili.

acce-

accepisse, multa uidisse, multa animo & cogitatione, multa etiam legendo percurrisse: neq; ea ut sua possedisse, sed ut aliena libasse. Fateor enim callidũ quendam hunc, & nulla in re tyronem ac rudem, nec peregrinum atq; hospitem in agendo esse debere. Neq; uerò istis tragœdijs tuis, quibus uti Philosophi maximè solent Crasse perturbor, quòd ita dixisti neminem posse eorum mentes qui audirent aut inflammare dicendo, aut inflammatas restinguere, cum in eo maximè uis oratoris, magnitudoq́; cernatur, nisi qui rerum omnium naturã, mores hominum, atque rationes penitus perspexerit, in quo Philosophia sit oratori necessariò percipiẽda: quo in studio hominum quoq; ingeniosißimorum ociosißimorumq́; totas ætates uidemus esse contritas: quorum ego copiam magnitudinemq́; cognitionis atq; artis non modò non contemno, sed etiam uehementer admiror. Nobis tamen, qui in hoc populo foroq́; uersamur, satis est ea de moribus hominum & scire, & dicere, quæ non abhorrent ab hominũ moribus. Quis enim unquã orator magnus & grauis, cum iratũ aduersario iudicem facere uellet, hæsitauit ob eam causam quòd nesciret quid esset iracundia, feruor'ne mentis, an cupiditas puniendi doloris? Quis cum cæteros animorum motus aut iudicibus aut populo dicendo miscere atq; agitare uellet, ea dixit quæ à philosophis dici solent? qui partim

Separat & Philosophiam.

Extenuat ea quę traduntur à Philosophis.

tim omnino motus negant in animis ullos esse debere: quiq; eos in iudicum mentibus concitent, scelus eos nefarium facere: partim qui tolerabiliores uolunt esse, & ad ueritatem uitæ propius accedere, permediocres ac potius leues motus debere esse dicunt. Orator autem omnia hæc quæ putantur in cõmuni uitæ consuetudine mala ac molesta, & fugienda, multò maiora & acerbiora uerbis facit: itemq; ea quæ uulgò expetenda atq; optabilia uidentur, dicendo amplificat atq; ornat: neq; uult ita sapiens inter stultos uideri, uti qui audiant, aut illum ineptum, aut Græculum putent, aut etiam si ualde probent ingenium, oratoris sapientiam admirentur, se esse stultos molestè ferant: sed ita peragrat per animos hominum, ita sensus, menteśq; pertractat, ut non desideret Philosophorum descriptiones, neq; exquirat oratione summum illud bonum in animo ne sit, an in corpore: uirtute an uoluptate definiatur: an hæc inter se iungi copularíq; possint: an uerò, ut quibusdam uisum, nihil certum sciri, nihil planè cognosci, & percipi poßit. quarum rerum fateor magnam, multiplicemq; esse disciplinam, & multas, copiosas, uariasq; rationes: sed aliud quiddam longè aliud Crasse quærimus: acuto homine nobis opus est, & natura usúq; callido: qui sagaciter peruestiget quid sui ciues, ijq; homines, quibus aliquid dicendo persuadere uelit, cogitent,

Quid relinquat Philosophia oratori.

tent, sentiant, opinentur, expectent. Teneat oportet uenas cuiusque generis, ætatis, ordinis: & eorũ apud quos aliquid aget, aut erit acturus, mẽtes, sensusq; degustet. Philosophorum autem libros reseruet sibi ad huiuscemodi Tusculani requiem atq; otium: ne si quando ei dicendũ erit de iustitia & fide mutetur à Platone: qui cũ hæc exprimenda uerbis arbitraretur, nouã quandam finxit in libris ciuitatem. Vsque eo illa quæ dicenda de iustitia putabat, à uitæ consuetudine, & à ciuitatum moribus abhorrebãt. Quòd si ea probarentur in populis atque in ciuitatibus, quis tibi Crasse conceßisset, clarißimo uiro, & amplißimo principi ciuitatis, ut illa diceres in maxima concione tuorum ciuium, quæ dixisti, Eripite nos ex miserijs, eripite nos ex faucibus eorum, quorum crudelitas nostro sanguine non potest expleri: nolite sinere nos cuiquam seruire, nisi uobis uniuersis, quibus & possumus, & debemus? Omitto miserias, in quibus, ut illi aiunt, uir fortis esse non potest. Omitto fauces, ex quibus te eripi uis, ne iudicio iniquo exorbeatur sanguis tuus: quod sapienti negant accidere posse. Seruire uerò non modò te, sed uniuersum senatum, cuius tum causam agebas, ausus es dicere? Potest'ne uirtus Crasse seruire istis authoribus, quorum tu præcepta oratoris facultate complecteris, quæ & semper, & sola libera est, quæq; etiam si corpora

Exemplũ.

capta

capta sint armis, aut constricta uinculis, tamẽ suum ius, atq; omnium rerum impunitam libertatẽ tenere debeat? Quæ uerò addidisti, nõ modò senatũ seruire posse populo, sed etiã debere: quis hoc Philosophus tam mollis, tam languidus, tam eneruatus, tam omnia ad uoluptatẽ corporis doloremq; referens probare posset, senatũ seruire populo, cui populus ipse moderandi, & regendi sui potestatem quasi quasdam habenas tradidisset? Itaq; hæc cùm à te diuinitus ego dicta arbitrarer, P. Rutilius Rufus, homo doctus, & Philosophiæ deditus, non tantùm parùm commodè, sed etiam turpiter & flagitiosè dicta esse dicebat. Idem Q. Sergium Galbam, quem hominem probè nosse, & cõmeminisse se aiebat, pergrauiter reprehendere solebat, quòd is L. Scribonio quæstionem in eum ferente, populi misericordiam concitasset, Cùm M. Cato Galbæ grauis atque acer inimicus asperè apud pop. Ro. & uehementer eßet locutus: quam orationem ipse in Originibus suis exposuit. Reprehendebat igitur Galbam Rutilius, quòd is C. Sulpitij Galli propinqui sui Q. Pupillum filium ipse penè in humeros suos extulisset, qui patris clarißimi recordatione, & memoria fletum populo moueret, & duos filios suos paruos tutelæ populi cõmendasset, ac se tanquã in procinctu testamentũ faceret sine libra, atq; tabulis populũ Roman. tutorẽ instituere dixisset illo

rum

rum orbitati. Itaque cùm & inuidia & odio populi tum Galba premeretur, his quoque eum tragœdijs liberatum ferebat: quod item apud Catonem scriptum esse uideo, nisi pueris & lachrymis usus esset, pœnas eum daturum fuisse. Hæc Rutilius ualde uituperabat, & huic humilitati dicebat uel exilium fuisse, uel mortem anteponendam. Neq; uerò hoc solùm dixit, sed ipse & sensit & fecit. Nam cùm eßet ille uir exemplum, ut scitis, innocentiæ, cumq; illo nemo neque integrior esset in ciuitate, neq; sanctior, non modò supplex iudicibus esse noluit, sed ne ornatius quidem, aut liberius causam dici suam, quàm simplex ratio ueritatis ferebat. Paulum huic Cottæ tribuit partium disertißimo adolescenti sororis suæ filio. dixit item causam illam quadam ex parte Q. Mutius more suo, nullo apparatu, purè & dilucidè. Quòd si tu nunc Crasse dixisses, qui subsidium oratori ex illis disputationibus, quibus Philosophi utuntur, ad dicendi copiam petendum esse paulò antè dicebas, etsi tibì pro P. Rutilio non Philosophorum more, sed tuo licuisset dicere: quamuis scelerati illi fuissent, sicuti fuerunt pestiferi ciues, supplicioq; digni, tamen omnem eorum importunitatem ex intimis mentibus euellisset uis orationis tuæ. Nunc talis uir amissus est dũ causa ita dicitur, ut si in illa cõmentitia Platonis ciuitate res ageretur. Nemo ingemuit, nemo

inclamauit patronorũ, nihil cuiquam doluit, nemo est questus, nemo Remp. implorauit, nemo supplicauit. Quid multa? pedem nemo in illo iudicio supplosit: credo, ne Stoicis renunciaretur. Imitatus est homo Romanus & consularis ueterem illum Socratem, qui cũ omnium sapientißimus esset, sanctißimeq; uixisset, ita in iudicio capitis per se ipse dixit, ut non supplex aut reus, sed ut magister aut dominus uideretur esse iudicum: quin etiam cùm ei scriptam orationẽ disertißimus orator Lysias attulisset, quam, si ei uideretur, ediſceret, ut ea pro se in iudicio uteretur, non inuitus legit, & commodè scriptam esse dixit. sed inquit, ut si mihi calceos Sicyonios attulisses, non uterer, quamuis essent habiles & apti ad pedem, quia non essent uiriles: sic illam orationem disertam sibi & oratoriam uideri, fortem & uirilem non uideri. Ergo ille quoq; damnatus est neq; solùm primis sententijs, quibus tantum statuebant iudices, damnarent, an absoluerent: sed etiam illis quas iterum legibus ferre debebant. Erat enim Athenis reo damnato, si fraus capitalis non esset, quasi pœnæ æstimatio: ex sententia cùm iudicibus daretur, interrogabatur reus quam quasi æstimationem commeruisse se maximè confiteretur: quod cum interrogatus Socrates eßet, respondit sese meruisse ut amplißimis honoribus & præmijs decoraretur, & ut ei uictus quotidianus in

Romanũ exemplũ cõfert cũ Græcis.

Socrates.

Prytaneo publicè præberetur, qui honos apud Græcos maximus haberetur. Cuius responso sic iudices exarserunt, ut capitis hominem innocentißimum condemnarent: qui quidem si absolutus esset (quod mehercule, etiamsi nihil ad nos pertinet, tamē propter eius ingenij magnitudinem uellē) quónam modo istos Philosophos ferre possemus, qui nunc, cum ille damnatus est, nullam aliam ob culpam, nisi propter dicendi inscitiā, tamen à se oportere dicūt peti præcepta dicendi? Quibuscū ego non pugno, utrum sit meliùs, aut uerius: tantum dico & aliud illud esse atq; hoc: & hoc sine illo summum eße posse. Nam quod ius ciuile Craße tā uehemēter amplexus es, uideo quid egeris: tū cum dicebas non uidebā. Primùm Scæuolæ te dedidisti, quem omnes amare meritißimè pro eius eximia suauitate debemus: cuius artem cū indotatam esse, atq; incomitatam, & incomptam uideres, uerborum eam dote locupletasti & ornasti. Deinde quòd in ea tu plus operæ, laborisq; cōsumpseras, cū eius studij tibi et hortator & magister esset domi, ueritus es nisi istam artem oratione exaggerasses, ne operā perdidisses. Sed ego ne cū ista qdē arte pugno: sit sanè tanta, quantā tu illam esse uis. Etenim sine cōtrouersia et magna est, et latè patet, et ad multos pertinet, et summo in honore semp fuit, et clarißimi ciues ei studio et semper præfuerūt, et etiā hodie præsunt. Sed uide Crasse

Separat & iuris studium.

De Crassi persona.

se

ſe ne dum nouo & alieno ornatu uelis ornare iuris ciuilis ſcientiam, ſuo quoq; eam cōceßo & tradito ſpolies atq; denudes. Nam ſi ita diceres, qui iuriſcō ſultus eſſet, eße eum oratorem: itemq; qui eſſet orator, iuris ciuilis eundem eſſe conſultum: præclaras duas artes conſtitueres, atq; inter ſe pares, & eiuſdem ſocias dignitatis, nunc uerò iuriſconſultū ſine hac eloquentia de qua quærimus, fateris eſſe poße, fuiſſeq; plurimos: oratorem negas, niſi illam ſcientiā aßumpſerit, eße poſſe. Ita & tibi iuriſconſultus ipſe p ſe nihil niſi leguleius quidā cautus, & acutus præco actionum, cantor formularū, auceps ſyllabarū. Sed quia ſæpe utitur orator ſubſidio iuris in cauſis idcirco iſtam iuris ſcientiā eloquentiæ tanquam ancillulam pediſſequāq; adiunxiſti. Quòd uerò imprudentiam admiratus es eorum patronorū, qui aut cum parua neſcirent, magna profiterentur: aut ea quæ maxima eſſent in iure ciuili, tractare auderēt in cauſis, cū ea neſcirent, nunquanq; didiciſſent: utriuſq; rei facilis eſt & prōpta defenſio. Nam neque illud eſt mirandū, qui quibus uerbis coëmptio fiat, neſciat, eundē eius mulieris quæ coëmptionē fecerit, cauſam poſſe defendere. Nec ſi parui nauigij et magni eadē eſt in gubernādo ſcientia, idcirco qui quibus uerbis herciſceri oporteat, neſciat: idē herciſcundæ familiæ cauſā agere nō poßit. Nam q maximas cētūuirales cauſas in iure poſitas protuliſti,

Calūniat Craſſi ſententiam.

Ab inuti[...]

quæ tandem earum causa fuit quæ ab homine eloquenti iuris imperito, non ornatißimè potuerit dici? quibus quidē in causis omnibus, sicut in ipsa M. Curij, quæ abs te nuper est dicta, & in Caij Hostilij Mancini cōtrouersia, atq; in eo puero qui ex altera natus erat uxore, non remißo nuncio superiori, fuit inter peritißimos homines summa de iure dissentio. Quæro igitur, quid adiuuerit oratorem in his causis iuris scientia? cū hic iurisconsultus superior fuerit discessurus, qui esset nō suo artificio, sed alieno, hoc est, nō iuris scientia, sed eloquentia sustentatus. Equidem hoc sæpe audiui, cum ædilitatem P. Crassus peteret, cumq; maior natu etiā consularis Sergius Galba assectaretur, quod Craßi filiam C. filio suo despōdisset, acceßisse ad Crassum cōsulendi causa quendā rusticanum: qui cum Crassum seduxisset, atq; ad eum retulisset, responsumq; ab eo uerum magis quàm ad suam rem accommodatū abstulisset, ut eum tristem, Galba uidit, nomine appellauit, quæsiuitq; qua de re ad Crassum retulißet: ex quo ut audiuit, commotumq; ut uidit hominem, Suspenso, inquit, animo & occupato Crassum tibi respondisse uideo. deinde ipsum Crassum manu prehendit &, Heus tu, inquit, quid tibi in mentem uenit ita respondere? Tum ille fidenter, homo peritißimus, cōfirmare ita se rē habere ut respondisset, nec dubium esse posse. Galba autem alludens uarie

Exempla.

&

& copiose, multas similitudines afferre, multaq; pro æquitate contra ius dicere: atq; illum, cum disserendo par eße nõ poßet, (quanquã fuerit Crassus in numero disertorum, sed par Galbæ nullo modo) ad authores confugisse, & id quod ipse diceret, & in P. Mutij fratris sui libris, & in Sex. Aelij commentarijs scriptũ protulisse, ac tamen conceßisse Galbæ disputationẽ sibi probabilem, & propè ueram uideri. Attamen, quæ causæ sunt eiusmodi, ut de earũ iure dubium esse non poßit, omnino in iudicium uocari non solent. Num quis eo testamento quod paterfamiliâs antè fecit quã ei filius natus est, hæreditatẽ petit? Nemo: quia constat, agnoscendo rumpi testamentum. Ergo in hoc genere iuris iudicia nulla sunt. Licet igitur impune oratori omnem hanc partẽ iuris in controuersijs ignorare: quæ pars sine dubio multo maxima est. In eo autem iure quod ambigitur inter peritißimos, nõ esse difficile oratori eius patris, quãcunq; defendet, authorẽ aliquem inuenire, à quo cùm amentatas hastas acceperit, ipse eas Oratoris lacertis uiribusq; torquebit. Nisi uerò, bona uenia huius optimi uiri dixerim Scæuolæ, tu libellis, aut præceptis soceri tui causam M. Curij defendisti. Nónne arripuisti patrociniũ æquitatis, & defensionẽ testamentorũ, ac uoluntatis mortuorum? Ac mea quidem sententia (frequẽs enim te audiui, atq; affui) multo maiorem partem senten-

Dilemma, aut certi aut ambigui iuris quæstio est si certi, mouet pragmatĩcus: sĩ incerti, ualet orator

tiarum sale tuo, & lepôre, & politißimis facetijs pellexisti, cùm & illud nimium acumen illuderes, & admirarere ingeniũ Scæuolæ, qui excogitasset nasci priùs oportere, quàm emori: cumq; multa colligeres & ex legibus, & ex senatusconsultis, et ex uita ac sermone communi, non modò acutè, sed etiam ridiculè ac facetè, ubi si uerba, non rem sequeremur, confici nihil posset. Itaq; hilaritatis plenum iudicium, ac lætitiæ fuit: in quo quid tibi iuris ciuilis exercitatio profuerit, non intelligo: dicendi uis egregia summa festiuitate & uenustate coniuncta profuit. Ipse ille Mutius paterni iuris defensor, & quasi patrimonij propugnator sui, quid in illa causa cũ contra te diceret attulit quod de iure ciuili depromptũ uideretur? quam legẽ recitauit? quid patefecit dicendo quod fuisset imperitis occultius? nẽpe eius omnis oratio uersata est in eo, ut scriptum plurimum ualere oportere defenderet, At hoc in genere pueri apud magistros exercentur omnes, cũ in eiusmodi causis aliâs scriptum, aliâs æquitatẽ defendere docentur. Et credo in illa militis causa si tu aut hæredem, aut militem defendißes, ad Hostilianas te actiones, non ad tuam uim, & oratoriã facultatem contulißes. Tu uerò uel si testamentum defenderes, sic ageres, ut omne omnium testamẽtorum ius in eo iudicio positum uideretur: uel si causam ageres militis, patrem eius, ut soles, dicendo à

mortuis

mortuis excitasses, statuisses ante oculos: complexus esset filium, flensq; cum Centumuiris commendasset: lapides mehercule omnes flere ac lamentari coëgisset, ut totum illud uti lingua nuncupasset, non in XII. tabulis, quas tu omnibus bibliothecis anteponis, sed in magico carmine scriptum uideretur. Nam q, inertiam accusas adolescentiū, qui istam artem primùm facillimam non ediscant, hæc quā sit facilis illi uiderint, qui eius artis arrogātia, quasi difficillima sit, ita subnixi ambulant: deinde etiam tu ipse uideris, qui eam artem facilem esse dicis, quam concedis adhuc artem omnino non esse, sed aliquando si quis aliam artem didicerit, ut hanc artem efficere possit, tum esse illam artem futuram: deinde quòd sit plena delectationis, in qua tibi remittunt omnes istam uoluptatem, & ea se carere patiuntur: nec quisquam est eorum, qui si iam sit ediscendum sibi aliquid, non Teucrum Pacuuij malit, quàm Manilianas uenalium uendendorum leges ediscere. Tu autem quòd amore patriæ censes nos nostrorum maiorum inuenta nosse debere, non uides ueteres leges aut ipsas sua uetustate consenuisse, aut nouis legibus esse sublatas? Quod uero uiros bonos iure ciuili fieri putas, quia legibus & præmia proposita sint uirtutibus, supplicia uitijs: equidem putabam uirtutem hominibus (si modo tradi ratione possit) instituendo, & persuadendo, non

A difficili.

Diluit cætera Crassi argumēta.

minis & ui ac metu tradi. nam ipsum quidem illud etiam sine cognitione iuris, quam sit bellum cauere malum, scire possumus. De me autem ipso, cui uni tu concedis ut sine ulla iuris scientia tamē causis satisfacere poßim, tibi hoc Crasse respōdeo, neq; me unquam ius ciuile didicisse, neq; tamen in ijs causis, quas in iure possem defendere, unquam istam scientiam desiderasse. Aliud est enim esse artificē cuiusdam generis atq; artis, aliud in cōmuni uita & uulgari hominum consuetudine nec hebetem, nec rudem. Cui nostrûm non licet fundos nostros obire, aut res rusticas uel fructus causa, uel delectationis inuisere? tamē nemo tam sine oculis, tam sine mēte uiuit, ut quid sit sementis, ac meßis, quid arborum putatio, ac uitium, quo tempore anni, aut quo modo ea fiāt, omnino nesciat. Num igitur si cui fundus inspiciendus, aut si mandandum aliquid procuratori de agricultura, aut imperandum uillico sit, Magonis Carthaginēsis sunt libri perdiscendi? an hac cōmuni intelligentia contenti eße possumus? Cur ergo nō ijdem in iure ciuili, præsertim cùm in causis, & in negocijs, & in foro cōteramur, satis instructi eße poßimus ad hoc duntaxat, ne in nostra patria peregrini atq; aduenæ esse uideamur? Ac si iam sit causa aliqua ad nos delata obscurior, difficile credo sit cum hoc Scæuola cōmunicare: quanquam ipsi oīa quorū negotium est, cōsulta ad nos & exquisi-

Quid ex scientia iuris oratori relinquat.

A simili.

ta·

ta deferunt. An uerò si de re ipsa, si de finibus, cùm in rem præsentem non uenimus, si de tabulis, & præscriptionibus controuersia est, contortas res & sæpe difficiles necessariò perdiscimus: si leges nobis, aut si hominum peritorum responsa cognoscenda sunt, ueremur ne ea, si ab adolescentia iuri ciuili minùs studuerimus, non queamus cognoscere? Nihil'ne igitur prodest Oratori iuris ciuilis scientia? Non possum negare prodesse ullam scientiam: ei præsertim, cuius eloquentia copia rerum debeat esse ornata: sed multa, & magna, & difficilia sunt ea quæ sunt oratori necessaria: ut eius industriam in plura studia distrahere nolim. Quis neget opus esse oratori in hoc oratorio motu statuq; Roscij gestum & uenustatem? tamen nemo suaserit studiosis dicendi adolescentibus in gestu discendo histrionum more elaborare. Quid est oratori tam necessarium, quàm uox? tamen me authore nemo dicendi studiosus Græcorum more & tragœdorum uoci seruiet, qui & annos complures sedentes declamitant, & quotidie antè quàm pronunciant, uocem cubantes sensim excitant, eandemq; cum egerunt, sedentes ab acutißimo sono usque ad grauißimum sonum recipiunt, & quasi quodammodo colligunt. Hoc nos si facere uelimus, antè condemnentur ij quorum causas receperimus, quàm toties quoties perscribitur, Pæanem aut Munionem cita-

Amplificat similibus multa obiter ab oratore percipiẽnda esse.

rimus. Quòd si in gestu, qui multum oratorem adiuuat, & in uoce, quæ una maximè eloquentiam uel commendat uel sustinet, elaborare nobis non licet, ac tantum in utroq; assequi possumus, quantum in hac acie quotidiani muneris spatij nobis datur: quanto minus est ad iuris ciuilis perdiscendi occupationem descendendum, quod & summatim percipi sine doctrina potest, & hanc habet ab illis rebus dißimilitudinem, quòd uox & gestus subitò sumi, & alicunde arripi non potest: iuris utilitas ad quamque causam, quamuis repente, uel à peritis, uel de libris depromi potest? Itaque illi disertißimi homines ministros habent in causis iuris peritos, cùm ipsi sint peritißimi, & qui ut abs te paulò antè dictum est, pragmatici uocantur. In quo nostri omnino melius multo, quòd clarißimorũ hominum authoritate leges, & iura tecta esse uoluerunt. Sed tamen non fugisset hoc Græcos homines, si ita necesse esse arbitrati essent, oratorem ipsum erudire in iure ciuili, non ei pragmaticum adiutorem dare. Nam quòd dicis senectutem à solitudine uindicari iuris ciuilis scientia, fortasse etiam pecuniæ magnitudine. Sed nos nõ quid nobis utile, uerùm quid Oratori necessarium sit, quærimus: quanquã, quoniã multa ad oratoris simi'itudinẽ ab uno artifice sumimus, solet idem Ros. dicere, se quo plus sibi ætatis accederet, eo tardiores tibicinis modos

Ab exẽplo Græcorũ.

Diluit Crassi argumentũ ab utilitate peregrina tractũ.

& can

& cantus remißiores esse facturũ. Quòd si ille adstrictus certa quadam numerorũ moderatione, & pedũ: tamen aliqd ad requiẽ senectutis excogitat, quãto facilius nos non laxare modos, sed totos mutare possumus? Neq;.n.hoc te Craße fallit, quã multa sint, & quã uaria genera dicendi, & quod haud sciam an tu primus ostenderis, qui iamdiu multo dicis remißius & lenius quã solebas, neq; minus hæc tamen tua grauißimi sermonis lenitas, quàm illa summa uis, & contentio probatur: multiq; oratores fuerunt, ut illum Scipionem audimus, & Lælium, qui omnia sermone conficerent paulo intentiore: nunquam, ut Sergius Galba lateribus, aut clamore contenderent. Quòd si iam hoc facere non poteris, aut noles, uereris ne tua domus talis & uiri, & ciuis, si à litigiosis hominibus non colatur, à cæteris deseratur? Equidem tantum absum ab ista sententia, ut nõ modò non arbitrer subsidium senectutis in eorum qui consultũ ueniant, multitudine esse ponendum, sed tanquam portum aliquem expectem istam, quam tu times, solitudinem. Subsidium enim bellißimum existimo esse senectuti otium. Reliqua uerò etiamsi adiuuant, historiam dico, & prudentiam iuris publici, & antiquitatis iter, & exemplorum copiam, si quando opus erit, à uiro optimo & istis rebus instructißimo familiari meo Longo mutuabor. Neq; repugnabo quo minùs (id

De historia.

quod

quod modò hortatus es) omnia legant, omnia audiant, in omni recto studio, atque humanitate uersentur. sed me hercule non ita multum spatij mihi uidetur, si modò ea facere & persequi uolent, quæ à te Crasse præcepta sunt, qui mihi propè etiam nimis duras leges imponere uisus est huic ætati, sed tamen ad id quod cupiunt adipiscendum propè necessarias. Nam & subitæ ad propositas causas exercitationes, & accuratæ & meditatæ commentationes, ac stylus ille tuus, quē tu uerè dixisti perfectorem dicendi esse, ac magistrum, multi sudoris est: & illa orationis suæ cum scriptis alienis comparatio, & de alieno scripto subita uel laudandi, uel uituperandi, uel comprobandi, uel refellēdi causa disputatio, non mediocris contentionis est uel ad memoriam, uel ad imitandum. Illud uerò fuit horribile, quod mehercule uereor ne maiorem uim ad deterrendum habuerit, quàm ad cohortandum. Voluisti enim in suo genere unumquēq; nostrûm quasi quendam esse Roscium, dixistiq;, non tam ea, quæ recta essent, probari, quàm quæ praua sunt, fastidijs adhærescere quod ego non tam fastidiose in nobis, quam in histrionibus spectari puto. Itaque nos raucos sæpe attentißimè audiri uideo, tenet enim res ipsa atque causa: at Aesopum, si paulùm irraucuerit, explodi. A quib. enim nihil præter uoluptatem aurium quæritur, in ijs offenditur simul atq;

Quæ potissimum requirant in oratore.

Stylus.

Probat p mediocritatem.

atq; imminuitur aliquid de uoluptate. In eloquentia autem multa sunt quæ teneant: quæ si omnia summa non sunt, & pleraque tamen magna sunt, necesse est ea ipsa quæ sunt, mirabilia uideri. Ergo ut ad primum illud reuertar, sit orator nobis is, qui, ut Crassus descripsit, accommodatè ad persuadendum possit dicere: Is autem concludatur in ea, quæ sunt in usu ciuitatum uulgari ac forensi: remotisq; cæteris studijs, quamuis ea sunt ampla atque præclara, in hoc uno opere, ut ita dicam, noctes & dies urgeatur: imiteturq; illum cui sine dubio summa uis dicendi conceditur: Atheniensem Demosthenem, in quo tantum studium fuisse, tantusq; labor dicitur, ut primùm impedimenta naturæ diligentia industriaq; superaret: cumq; ita balbus esset, ut eius ipsius artis cui studeret, primam literam non posset dicere, perfecit meditando ut nemo planius eo locutus putaretur: deinde cùm spiritus eius esset angustior, tantum continenda anima in dicendo est assecutus, ut una continuatione uerborum, (id quod eius scripta declarant) binæ ei contētiones uocis, & remissiones continerentur: qui etiam (ut memoriæ proditum est) coniectis in os calculis summa uoce uersus multos uno spiritu pronunciare consuescebat, neque is consistens in loco, sed inambulans, atque ascensu ingrediens arduo. Hisce ego cohortationibus Crasse ad studium, & ad laborem

Orator.

Epilogus

Adhortat. à Demosthenis exemplo.

inci-

incitandos iuuenens uehementer assentior: cætera quæ collegisti ex uarijs & diuersis studijs & artibus, tametsi ipse es omnia consecutus, tamen ab oratoris proprio officio atque munere seiuncta esse arbitror. Hæc cùm Antonius dixisset, sanè dubitare uisus est Sulpitius & Cotta, utrius oratio propiùs ad ueritatem uideretur accedere. Tum Crassus: Operarium nobis quendam Antoni oratorem facis: atque haud scio an aliter sentias, & utare tua illa mirifica ad refellendum consuetudine, qua tibi nemo unquam præstitit: cuius quidem ipsius facultatis exercitatio, oratorum propria est, sed iam in Philosophorum consuetudine uersatur, maximeq; eorum, qui de omni re proposita in utramq; partem solent copiosissimè dicere. Verùm ego non solùm arbitrabar, his præsertim audientibus à me informari oportere, qualis esse posset is qui habitaret in subsellijs, neque cuiquam amplius afferret, quàm quod causarum necessitas postularet: sed maius quiddam uidebam, cùm censebam oratorem: præsertim in nostra Rep. nullius ornamenti expertem esse oportere: tu autem quoniam exiguis quibusdam finibus totum oratoris munus circundedisti, hoc facilius nobis expones ea quæ abs te de officijs præceptisq; oratoris quæsita sunt, sed opinor secundum hunc diem: satis enim multa à nobis hodie dicta sunt. Nunc & Scæuola, quoniam in

Tus. ire constituit, paulùm requiescet, dum se calor frangat: & nos ipsi, quoniam id temporis est, ualetudini demus operam. Placuit sic omnibus. Tum Scæuola, Sanè, inquit, uellē non cōstituisse in Tusc. me hodie uenturum esse Lælio, libenter audirem Antonium. & cùm exurgeret, simul arridens, Neque enim, inquit, tam mihi molestus fuit, quod ius nostrum ciuile peruellit, quàm iucundus quod id nescire se confessus est.

IN LIB. I. CICERONIS DE ORATORE SCHOLIA PHILIPPI MELANCTH.

ARGVMENTVM.

Hi libri continēt Rhetoricē, sed non tantùm præcepta tradunt, ut fit in prima puerili institutione, sed iudicant etiam de præceptis, et fontes ostendunt, & colligunt omnia, quæ decent in dicendo. Ac in primo libro disputatio est de his, quæ sunt extra artem, hoc est de studijs eius, qui futurus sit orator, quas præterea artes nosse eum oporteat. In secundo traditur

ars

ars de inuentione ac disputatione. Tertius liber cō tinet elocutionem, de qua longè grauius & sapientius loquitur Crassus, quàm uulgò præcipitur in aliorum libellis. Et quia in primo libro de studijs oratoris disputat, duas species nobis proponit, alteram perfecti oratoris, quem uult instructum esse omnibus disciplinis, Philosophia, scientia iuris, & religionis. Nam cùm oratio nascatur ex rerum cognitione, erit inops orator sine harū rerum scientia, Et cum orator maxima Reipub. consilia gubernet, opus est ei ad sapienter dicendū & iudicandū omnium illarum maximarum artium scientia. Nam existere aliquos tales Rerumpub. gubernatores necesse est omnibus ætatibus. Et fuit nostra ætate talis Mercurius, Cancellarius imperatoris. Altera species est mediocris oratoris, cui non tribuit illam perfectam doctrinam, sed instruit eum ad mediocres causas: & tamen ostendit, quàm multa ad hanc ipsam mediocritatem requirantur. Erit autē nobis hic primus liber uelut quidam modus discendi: ostendit enim quomodo primùm institui ac exerceri studiosos eloquentiæ oporteat, Ac fines huius lectionis sibi quisq; proponat. Primus est: ut ipsam artem, uidelicet Rhetoricen, hic discendam nobis putemus. Sed quia hic de præceptis iudicatur, & colliguntur extra artem omnia, quæ in dicendo decent, plus conferunt hi libri Ciceronis ad
iudi-

iudicandum, quàm aliorum Rhetorici libelli. Secundus finis: Quia multa de uarietate artiũ extra Rhetoricen disputantur, multi loci traduntur profuturi in alijs artibus, ut cùm de utilitate Philosophiæ disputat, commemorat omnem copiam dicendi nasci ex Philosophia. Tertius finis est: Quia genus sermonis est optimum, imitationis causa etiam legi debet. Sabellicus scribit primum lectione horum librorum, postquam Guarinus eos reperit, & in lucem protulit, excitatos esse in Italia homines studiosos ad diligentiùs dicendum, & ex his ipsis libris quasi renatam esse eloquentiam. Porrò ad imitationem hoc primùm requiritur, ut exemplum rectè intelligamus: deinde, ut intellectum exemplum sæpè multum'que aspiciamus, & uerba, phrasin, & compositionem consideremus.

IN PRAEFATIONEM.

Propositio exordij est. Quantum continget otij inter has publicas & priuatas contentiones, cõferam ad scribendum. Huic propositioni anteponit querelam, quòd speratum otium non cõtigerit, sed quòd tunc, cùm maxima spes esset tranquillitatis, inciderit in turbulẽtißima negotia: quia in his corruptis moribus ista ciuitas minùs tranquilla fuit: et omnium tumultuum quasi epitasis, incidit in meum consulatum, & post consulatum acerrima certamina fuerunt cum reliquijs seditionis. Huic querelæ

anteponit locum communem. Magna felicitas est, si cui contigit neq; inter ipsa negotia periculis opprimi, & postea rebus præclarè gestis, retinere cum tranquillitate dignitatem.

Locus communis est, de inconstantia fortunæ. Rarißimum enim est in Repub. ut excellentes uiri non aut inter ipsa negotia afflicti aliquo graui casu concidant, sicut Pompeius, Cato, Brutus, & alij multi: aut post res præclarè gestas, per inuidiam opprimantur, sicut Miltiades, Themistocles, & alij multi. Nec opus est hîc disputare, quid sit felicitas, loquitur enim de una quadam boni parte, scilicet de fortunæ beneficio. Profectò enim ingens bonum est, ac beneficium Dei, si cui contigit, ut neq; inter ipsa negocia, neque post res præclarè gestas, à fortuna euerteretur. Et in his tribus membris, in loco communi, in querela, in propositione, consumitur exordium. Nec est propriè argumentatio, sed narratio quædam, in qua recitat querelam, donec perueniat ad propositionem.

ΠΑΡΑΦΡΑΣΙΣ EXORDII, IN *alio argumento.*

COgitanti mihi, quæ ſint in hac vita vera & ſolida bona, nihil melius ac magis expetendum eſſe videtur, quàm perfecta doctrina, & cùm virtutis, tum aliarum rerum bonarum cognitio. Atque ego nihil optaui vnquam ardentiùs, quàm ut me totum dedere ſtudijs literarum poſſem, tum ad eruēdas abſtruſas in natura rerum cauſas, tum ad religionis, & omnium honeſtorum officiorum vim & rationem penitus cognoſcendam. Sed me flagrantem harum rerum amore: & in hæc ſtudia quadam cum ſpe ingreſſum, ſubitò ſtultiſsima quędam amicorum perſuaſio ab honeſtiſsimo inſtituto abſtraxit, qui cùm vulgi more, virtutis ac doctrinæ vim atque dignitatem non intelligant, nihil mirantur præter quæſtuoſas artes. Hi cùm arbitrarentur in his diſſentionibus religionum nulla rectæ doctrinæ præmia eſſe, coēgerunt me ſtudia omnia literarum abijcere, meq́ ad mercaturam adhibuerunt, à qua & natura & voluntate abhorreo. Nā vt de ipſa mercatura nihil dicam, illud quàm acerbum eſt homini moderato, quòd vita omnis agitur cum illiteratis, qui cùm hunc vnum pecuniæ vſum eſſe iudicent, vt abundè voluptates omnis generis ſuppeditet, literas, religiones, & omnium virtutum ſtudia magnificè contemnunt. Quod exilium non optabilius eſſet, quàm inter tales Epicureos viuere?

Sed quoniam ſeu meo quodam, ſeu temporum malo fato, in hoc vitæ genus incidi, vim fortunæ, quantum fieri poteſt, arte corrigendam eſſe duxi. Furtim interdum ad mea ſtudia redeo, & id tempus, quod alij in ludis & voluptatibus perdunt, ego in literis pono, idq́ faciā tantiſper,

dum melior aliquando fortuna aspirauerit, quæ me ex his sordibus ereptum pristinæ consuetudini vitæ restituat. Qua in re tu me frater plurimũ adiuuare poteris, si amicis, apud quos propter ætatem authoritate plus vales quàm ego, ostẽderis me non solùm natura abhorrere ab hoc vitæ genere, sed etiam corporis vires tenuiores esse, quã vt his laboribus suffecturæ sint. Etsi autem humanitatem istis nullo modo tribuo, tamen non arbitror tam crudeles esse, vt nullam habituri sint rationem mei corpusculi. Quòd si reditum mihi ad literas impetraueris, vitam ipsam me tibi debere prædicabo.

Ac mihi quidem.) Collatio Oratorum cum aliis artificiis. Hoc autem vult efficere ex illa paucitate Oratorum, vt intelligatur magnam quandam rem & difficilem esse eloquentiam. Itaque subiicit definitionem Oratoris, in qua ostendit eloquentiam complecti non tantùm linguæ celeritatem, sed etiam omnium maximarum artium cognitionem.

Ac mea quidem sententia.) Conclusio præfationis, in qua definit quid sit Orator: & est collecta ex difficultatibus superioribus.

Seposuisse à cæteris dictionibus.) Quæstio est apud Græcos, circa quas res versetur Orator. Versatur autem circa causas forenses & suasorias materias. Nihil enim ad Oratorem pertinet, quomodo bellum sit gerendum, sed illa sunt imperatoris. Oratoris est hortari & incitare imperatores ad bellum suscipiendum.

Cùm igitur.) Iudicia publica erant penes equestrem ordinem, quæ cùm acerbè in principes exercerent, Liuius Drusus tribu. pleb. suscepit causam transferẽdi iudicia ad senatum, in quam rem ingressus, cùm equites acerrimè resisterent, nec par esset vt sibi populum adiungeret, tulit

leges

leges Agrarias, & Italicis ius ciuitatis promisit, quibus legibus vehementissimè aduersatus est consul Philippus. Postea Druso interfecto, ex his legibus sociale bellum ingens extitit.

Cur non imitamur.) In Phædro Platonis est eadem disputatio de eloquentia, quæ est in hoc libro, videlicet quibus artibus Oratorem oporteat instructum esse, præter facultatem illam dicendi.

Durissimis pedibus.) Id est, firmissimis. Nam Socrates potuit totum diem stare, ac intueri solem.

Tum Scæuola.) Crassus statuit eloquentiam complecti aliarum artium scientiam. Scæuola cō trà separat alias artes ab eloquentia, & colligit fuisse sine eloquentia ciuitatum conditores, legū latores, item philosophos. Itaque separandam ab aliis artibus eloquentiam esse contendit. Crassus respondet alias artes sine eloquentia teneri posse, sed eloquentiam sine illis absolutam esse non posse, sicut absolutus Geometer sine pingendi arte esse potest: absolutus pictor sine Geometria esse non potest.

Libertinos in vrbanas tribus.) Multum incōmodi illa res habet, esse in ciuitate qui non sunt ciues, qui nec in suffragando, nec in successione ius haberent. Itaq; hic Tiberius transtulit libertinos in vrbanas tribus.

Præessem.) Tres aut quatuor accusabant, qui subscriptores dicebantur: ille uerò qui præerat, dicebatur præesse.

Interdicto.) Vide vi agitur ad recuperandam possessionem rei vnde vi deiecti sumus. Ex iure manu consertum vocamus, cùm agitur de recuperanda rei proprietate, seu de rei vindicatione. Sacramento contendere, est pœnalis actio, cùm vtraque pars certam pecuniam in sacro loco deponit, ea conditione, vt victus amitteret

pecuniam, quæ quidem ad ærarium redibat.

Tum ille, non sum.) Tota hæc disputatio eo spectat, vt sciamus eloquentiam peculiarem vim atq; artem esse, sicut poëtica, aut ars pingendi, peculiaris vis atq; ars est. Nam indocti putant eloquentiam non esse peculiarem vim atque artem: nec separant ipsam dicendi rationem à materijs forensibus, sed putant quemlibet Oratorem esse, si sciat quid in foro agẽdum & dicendum sit. Aduersus hanc persuasionem totus hic locus agitatur. Et Crassus primùm respondet Scæuolæ, eloquentiam peculiarem vim atq; artem esse explicandi res atq; augendi uerba, quæ accommodatur ad omnes res, sicut Arithmetica, sicut Poëtica, sicut ars pingendi ad varias materias accommodatur. Cumq; artes sint distinctæ, Ius, Philosophia, Medicina, Architectonica, & cæteræ, teneri possunt sine eloquentia. Possunt igitur existere Philosophi & Iurisconsulti, qui non sint eloquentes, & si qui sunt eloquentes, addunt suis materijs aliam quandam artem, scilicet eloquentiam. Deinde addit de ipsa natura eloquentiæ, quod etiãsi aliæ artes sine ea teneri posint, tamen ipsa multa sumat ex alijs artibus. Item vt maximè Orator relegandus sit in forum & curiam, tamen necesse est eum habere doctrinam multarum magnarum rerum, vt religionum, politicæ, iuris &c. Exagitat Oratorem & Plato, & contendit ad Philosophũ pertinere gubernationem Reipub. Item neminẽ eloquentem esse posse sine cognitione Philosophiæ. Cicero respondet, Græcos de vocabulo rixari, quia vocent Philosophum quem ipse appellat Oratorem, si tamen eidem tribuant rerum & dicendi scientiam. Sed si Philosopho tantùm tribuunt rerum scientiam non rectè arrogant ei gubernationem Rerumpub. Illud concedit Cicero, Oratorem sine Philosophia existere non posse.

Quamobrem si quis vniuersam.) Conclusio.

Quam-

Quanquam velim Oratorem eum esse, qui & explicare omnia sua quadam ratione possit, & res omnes perceptas teneat, tamen facilè patiar de rebus aliquid detrahi. Illud autem manere necesse est, quod est proprium eloquentis, scilicet rationem dicendi.

Sed ut solebat Lucius.) Quod bonũ ciuem describeret, qualis esse deberet, nõ qualis esset ipse.

Tum Antonius.) Discrimen orationis philosophicæ & forensis: cumq; intersit inter ipsa genera orationis, Antonius mauult Oratorem in suo genere exerceri & versari, quàm deductum ad Philosophicas disputationes, delabi in quoddam tenuius & exilius dicendi genus.

Docebat illum in animis.) Id est, contendit Oratorem sua illa naturali & ciuili prudentia per se videre discrimina honestorum & turpium, & omnes res idoneas ad mouendos & impellendos animos, quare nihil opus esse scholastica illa doctrina, quam Philosophi profitentur.

Artem verò negab.) Alia ratio quare Rhetorica non sit ars. Quidam syllogismi sunt necessarij, quidam non necessarij: vt necessarius est cùm dicimus: Omnium rerum finis est aliquis: ergo etiam hominis. Vocantur autem necessarij syllogismi demonstrationes. Nunc præcipitur, omnes artes debere ex demonstrationibus cõstare, & propriè ars dici non debet, quæ ex certa demonstratione probari non potest. Rhetoricam autẽ cùm coniecturis nitatur, artem dici non debere. Est hoc verum, quia non demonstrat omnia, sed satis est aliquam partem demonstrare. Lucian. in parasitica præclarè definit artem.

τέχνη ἐστὶ σύστημα ἐγκαταλήψεων ἐγγεγυμνασμένων πρός τι τέλος εὔχρηστον τῶν ἐν τῷ βίῳ.

Historia de Corace & Thysia extat apud Gellium, & vide Erasmum in Chiliad.

Hoc loco Sulpitius.) In Rhetoricis locis Cicero ferè alio genere orationis vtitur & longiori

ambitu orationis, quàm in disputatione. Est igitur hic sermo Sulpitij tanquam quædam oratio seu epistola. *Sæpè autem solemus ordiri ab inopinato*, vt pro Flacco vtitur in principio. Delectat si in medio aut fine, tum habet epiphonemicum quiddam. Simile schema est adynaton, & paradoxon, quibus frequenter in epistolis vtitur.

Nam si ars.) Rhetorica ars est maximè, quod ad inuentionem attinet, nam in vnaquaque causa potissima argumenta certa & necessaria ratione quæruntur, nempe à definitionibus, à causis, ab effectibus, à membris. Quemadmodum pingendi ars verè sic appellatur, quia certam quandam rationem in corporum modo ac proportionibus seruat. Sed sicut pictores in illuminando aliquando sequuntur eaq; blandiuntur oculis sine certa ratione: ita etiam in oratione seu in elocutione, sine necessaria ratione nonnunquam fit aliquid.

Causa cadere liceret.) Causa cadere, est litem perdere, vt in Institutionibus clarè scriptum est. De act. § *Si quis agens*, vbi docet textus, causa cadere illos, qui plus petunt, vt qui ante tempus petunt, aut petunt amplius, quàm debetur. Ac veteri iure cùm semel ita errasset actor, totam rem perdebat: sed nouo iure aliter punitur, non enim perdit rem, sed eius iudicij sumptus. Vt autem intelligatur locus Ciceronis, fingamus facti speciem. Hypseus pupillus accusat Octauium tutorem iudicio tutelæ. Postea vt uehementius vrgeat aduersarium, conatur præterea agere rerum distractarum, aut plus petit, quã quantum initio petierat. Cùm autem non liceat discedere à formula actionis, nec simul agi possit tutelæ, & rerũ distractarum, iam Hypseus cecidit causa, postquam admiscuit aliam actionem, postquam à formula discessit, aut plus petiuit. At Octauius, non

intelli-

intelligens illum discedẽtem à formula actionis causa cadere, non opponit exceptionem, qua se prorsus liberare poterat. Reprehendit igitur Cicero vtriusque stultitiam, quòd Hypseus non viderit se nocere sibijpsi, cùm discederet à formula actionis: Octauius stultè pugnauit, vt pergeret aduersarius de priore negotio dicere, cùm petere posset se absolui, quia alter causa cecidisset. Non igitur hoc reprehendit, quòd non intellexerint hanc sermonis figuram, Causa cadere, sed quòd ius ignorauerint, ex quibus causis iudicatur aliquis causa cadere.

CASVS SECVNDVS.

Si Sempronius Titium in ius vocet, postuletq́ pecuniam ante dictam diem, nec desistat vltra ab ea actione ante litem contestatam, causa cadit, id est, rem amittit, veteri scilicet iure. Hic si reus opponat exceptionem ante litis contestationem, quòd dies nondum venerit, actor admonitus sine damno desistere potest. Reprehendit igitur Cicero patronum, qui opposita exceptione admonuit aduersarium, vt in præsentia desisteret ab agendo: non illud debebat facere inficiandi: debebat rem extrahere ad litis contestationem, vbi postea in probra apparuisset illum plus petiuisse, & sic aduersarius prorsus cecidisset causa.

Quid qua de re.) Duę familię Claudię fuerunt, Suetonio autore, altera plebeia, altera patricia. Vtraque petit hæreditatem alicuius Marcelli, quia stirpe propiores sint: altera, quia is qui decessit eiusdem gentis fuit. Gens significat agnatos, seu paternam originem. Stirps significat cognatos, seu maternam originem. Vt autem intelligi posit Cicero, fingamus exemplum: Ducum Bauariæ agnati sunt Palatini: Saxoniæ du-

ces cognati sunt, & quidem propiore gradu quã Palatini sint agnati. Si igitur Bauari decederent sine suis hæredibus, Palatini succederent, etiamsi Saxones propiores sint, non gente, sed stirpe.

Ius applicationis.) Ius applicationis est, quo hæreditas quasi alienis petitur à patrono.

Spergij auratæ.) Hic casus est in tertio lib. offic. Finge similem casum, si quis vitiatum equum pro integro aut incolumi venderet. Respondet quòd vitia quæ in oculos incurrunt, non necesse est dicere, sed latentia.

Quid quòd item.) Iste casus hodie non est in vsu. In mancipij lege, id est, in forma venditionis. Præstare debere, id est, satisfacere pro illo incommodo.

Ita recepit.) Id est, ita promisit, vt sicut nunc sunt lumina, ita haberet ius retinendi illa lumina. Et est formula iuris: lumina vti tum essent. ff. de seruitutibus vrbanorum prædiorum. distinguitur inter lumen & prospectum: nam prospectus est ex inferiori loco, lumen autem est vnde cœlum conspici potest.

Quid verò clarissima.) Controuersia est scripti & voluntatis. Est enim quæstio an substitutus sit hæres non nato posthumo, cùm tamen in testamento non fuerit disertè scriptum, si non fuerit natus posthumus, Curius hæres esto. Postliminium significat ius recuperatæ ciuitatis, honesta cõditione.

Amisisset hanc ciuitatem.) Nam confœderatis populus non dabatur ciuitas. Ergo qui domum redierat, si ciuis suæ patriæ fuit, non potuit esse Romæ ciuis.

Quid quod vsu.) Status est, Vtrum contrahens cum alia illis verbis, quibus ducitur materfamiliâs, an interpretatione cum priore faciat diuortium, cum qua prius contraxerat.

Hacte-

Hactenus locus necessitatis tractatus est: necessariam esse cognitionem iuris Oratori.

His ego de causis.) Obseruandum est quasdam vtilitates esse proprias, quasdam longius positas à re, vt propria vtilitas literarum est, mores facere mansuetos: sed quod adfert dignitatem, remotior est vtilitas. Cic. igitur iam in hoc tertio argumento à proprijs vtilitatibus argumentatus est. Magnam, inquit, vtilitatem adfert cognitio antiquitatis, scire quid deceat, quid non: & ibi fecit collationem: contulit enim leges cum Philosophia. Postea ab amore patriæ, cùm dicit, ciuitates non posse consistere, si tollas ex ijs leges, & honestam formam Reipub. Deinde argumentatur etiam ab vtilitatibus, quæ longius absunt, & dicit magnas quoque opes ac dignitatem adferre eloquentiam.

Ego verò inquit pergam.) Definitio Oratoris. Corrigit autem Crassi sententiam, & aliquanto ciuilius indicat, & ad communem consuetudinem aptius. Tribuit enim Oratori certam materiam, causas forenses & suasorias: in his explicandis vult eum valere, etiamsi non sit artifex aliarum artium.

Neque verò istis.) Sæpè mutuamur orationem ex locis communibus, etiamsi non de ipsis, sed de personis dicamus, vt in oratione pro Marcello Cicero fortunæ bona separat à virtute. Dicit enim de moderatione victoriæ, item de omnibus officijs victoris. Neque uerò tanquam Thesin dicit, seu vt in schola solet locus communis tractari: sed ita accommodat ad personam, vt vix sentiatur mutuatam esse orationem à præceptis scholasticis. Pro Milone dicit de lege naturæ. Sæpè alias de boni ciuis officijs dicit non tantùm ex vulgi opinionibus, sed ex recondita doctrina, virtutum species discernens. aut causas præceptorum colligens. Sic tracta-

re locos communes, vel in probando, vel in amplificando, vel in mouendis affectibus, nemo potest, qui non penitus perspexit eorum naturam. Hæc autem in Philosophia traditur. Itaque præclarè Cicero inquit, se non ex Rhetorum officinis, sed ex Academiæ spatijs Oratorem extitisse. Sit autem Philosophiæ genus, quod cum sensu communi consentiat, & genere sermonis vsitato vtatur. Stoica verò & Epicurea doctrina procul discessit à communi sensu. Aristoteles igitur ac Plato maximè vtiles erunt, si rectè legantur, aut certè Cicero, qui vtrunque secutus est. Diluit autem in hoc loco Crassi sententiam de Philosophia & ex dissimilitudine opinionum Philosophicarum & ciuilium ratiocinatur Oratori satis esse communem illam prudentiam ad tuendas causas, etiam si non accedat interior doctrina de Philosophia.

Sine libra.) Militantibus licebat testamenta facere sine solennibus obseruationibus, & dicebantur in procinctu facta. Fuerunt autem quondam tres formæ testamenti faciendi. Aut enim fiebat calatis comitijs, aut in procinctu, aut per æs & libram, scilicet cùm hæredi manciparet familiam solennitate quadam is, qui faciebat testamentum, adhibitis quinq; testibus & libripende. Is enim qui instituebatur hæres, percutiens librã ære, dicebat suam esse illam familiam.

Ne dum nouo.) Id est, si separes eloquentiam à cognitione iuris, videretur esse ars peculiaris, quæ eloquentiæ opponi posset.

Nam neque illud.) Coëmptio est, qua fiebat materfamiliâs. Porrò certa solennitate peragebatur coëmptio, interrogabant enim se inuicem vir & mulier, vir ita, an sibi mulier materfamiliâs esse uellet. Illa respondebat velle. Mulier, an sibi vir paterfamiliâs esse vellet. Ille velle respondebat. Itaque mulier conueniebat in manum viri, &

ri, & in societatem bonorum. Hic ritus coëmptio vocabatur, quia tanquam se mutuò coëmebant vir ac mulier. Est enim aliàs dictum, vxores fuisse quasdam, quæ non essent matresfamiliâs.

Amentatas hastas.) id est, quibus lora sunt annexa. Greca uox est ἥμματα. Cùm acceperit à iureconsultis aliquas rationes, illis addet pondus dicendo, & alias probabiles rationes inueniet.

De me autem ipso.) In hoc loco commemorat, quid relinquat Oratori de cognitione iuris: nam non totum ipsum despoliat hac arte.

Eo tardiores.) Dicit se vsurum remissioribus modis. Sic Homerus fingit Nectorem senem vti genere orationis dulci. Et contra Iuuenem Vlyssem vti grandi & concitato genere orationis: eius orationem comparat hybernis niuibus. Cicero quoque iam senex, dicebat orationem canescere. Sic Isocrates natus 94. annos cùm scriberet panegyricum, molliori & leniori stylo vsus est.

M. T. Ci-

M. TVLLII CICERONIS DE ORATORE LIBER SECVNDVS.

Narratio.

MAgna nobis pueris Quinte frater, si memoria tenes, opinio fuit, L. Crassum non plus attigisse doctrinæ, quā quantum prima illa puerili institutione potuisset: M. autem Antoniū omnino omnis eruditionis expertem atque ignarum fuisse: erantq; multi, qui quanquam ita se rem habere arbitrarentur, tamen quo facilius nos incensos studio discendi à doctrina deterrerent, libenter id quod dixi, de illis Oratoribus prædicarēt: ut si homines nō eruditi summā essent prudentiam, atq; incredibilē eloquentiā consecuti, inanis omnis noster esset labor, & stultū in nobis erudiendis patris nostri optimi, ac prudētißimi uiri studiū uideretur. Quos tum ut pueri refutare domesticis testibus patre, & C. Aculeone propinquo nostro, & L. Cicer. patruo solebamus, quod de Crasso pater, et Aculeo, quo cū erat nostra matertera, quē Crassus dilexit ex omnibus plurimū, & patruus, qui cum Antonio in Ciliciā profectus unà decesserat, multa nobis de eius studio,

ſtudio, doctrinaq́; ſæpe narrauit, cumq́; nos cũ con ſobrinis noſtris Aculeonis filijs & ea diſceremus, quæ Craſſo placerent, & ab ijs doctoribus quibus ille uteretur, erudiremur, etiam illud ſæpe intelleximus (cùm eſſemus eiuſmodi, quod uel pueri ſentire poteramus) illum & Græcè ſic loqui, nullam ut noſſe aliam linguam uideretur, & doctoribus noſtris ea ponere in percontando, eaq́; ipſum omni in ſermone tractare, ut nihil eſſe ei nouum, nihil inauditum uideretur. De Antonio uerò quanquam ſæpe ex humaniſsimo homine patruo noſtro acceperamus, quemadmodum ille uel Athenis, uel Rhodi ſe doctiſſimorum hominum ſermonibus dedidiſſet: tamen ipſe adoleſcentulus, quantum illius ineuntis ætatis meæ patiebatur pudor, multa ex eo ſæpè quæſiui (nõ erit profectò tibi, ꝙ ſcribo, hoc nouum, nã iam tum ex me audiebas) mihi illum ex multis, uarijsq́; ſermonib. nullius rei, quæ quidẽ eſſet in ijs artibus, de quibus aliquid exiſtimare poſſem, rudẽ aut ignarum eſſe uiſum. Sed fuit hoc in utroq; eorũ, ut Craſſus nõ tam exiſtimari uellet non didiciſſe, quàm illa deſpicere, et noſtrorũ hoĩm in omni genere prudẽtiam Græcis anteferre: Antonius aũt probabiliorẽ hoc populo orationẽ fore cenſebat ſuam, ſi omnino didiciſſe nunquã putaretur: atq; ita ſe uterq; grauiorem fore, ſi alter contemnere, alter ne noſſe quidẽ Græcos uideretur. Quorũ conſiliũ quale fuerit

nihil

Propositio. nihil ſanè ad hoc tempus: illud autem eſt huius inſtitutæ ſcriptionis, ac temporis, neminem eloquentia non modo ſine dicendi doctrina, ſed ne ſine omni quidem ſapientia florere unquam & præſtare potuiſſe. Etenim cæteræ ferè artes ſe ipſæ per ſe tuentur ſingulæ: bene dicere autem, quod eſt ſcienter & peritè & ornatè dicere, non habet infinitam aliquam regionem, cuius terminis ſepta teneatur. Omnia quæcunque in hominum diſceptationem cadere poſſunt, bene ſunt ei dicenda qui hoc ſe poſſe profitetur: aut eloquentiæ nomen relinquendum eſt. Quare equidem & in noſtra ciuitate, & in ipſa Græcia, quæ ſemper hæc ſumma duxit, multos & ingenijs, & magna laude dicendi ſine ſumma rerũ omnium ſcientia fuiſſe fateor: talem uerò exiſtere eloquentiam, qualis fuerit in Craſſo & Antonio, nõ cognitis rebus omnib. quæ ad tantam prudẽtiam pertineret, tantamq; dicendi copiã quanta in illis fuit, non potuiſſe confirmo. Quo etiam feci libentius ut eum ſermonem quem illi quondam inter ſe de his rebus habuiſſent, mandarem literis, uel ut illa opinio, quæ ſemper fuiſſet, tolleretur, alterũ non doctiſsimũ, alterũ planè indoctum fuiſſe: uel ut ea quæ exiſtimarẽ à ſummis Oratorib. de eloquẽtia diuinitùs eſſe dicta, cuſtodirem literis, ſi ullo modo aſſequi, cõplectiq; potuiſſem: uel mehercule etiam, ut laudem eorum iam propè ſeneſcentem

[Margin: ἀιτιολογία. — Occaſio cur inſtituerit ſcribere. — Dedicatio opis.]

centem, quantum ego possem, ab obliuione hominum, atq; à silentio uindicarem. Nam si ex scriptis cognosci ipsi suis potuissent, minùs hoc fortasse mihi esse putassem laborandum: sed cum alter non multum, quod quidem extaret, & id ipsum adolescens, alter nihil admodum scripti reliquisset, deberi hoc à me tantis hominum ingenijs putaui, ut cum etiam nunc uiuam illorum memoriam teneremus, hanc immortalem redderem, si possem. Quod hoc etiam spe aggredior maiore ad probandum, quia non de Sergij Galbæ, aut C. Carbonis eloquentia scribo aliquid, in quo liceat mihi fingere si quid uelim, nullius memoria iam refellente: sed edo hæc ijs cognoscenda, qui eos ipsos de quibus loquor, sæpe audierunt: ut duos summos uiros ijs qui neutrum illorum uiderint, eorum quibus ambo illi oratores cogniti sint, uiuorum & præsentium memoria teste commendemus. Nec uero te charissime frater atq; optime, Rhetoricis nunc quibusdã libris, quos tu agrestes putas, insequor ut erudiam: (quid enim tua potest oratione aut subtilius ac ornatius esse?) sed quoniam siue iudicio, ut soles dicere: siue, ut ille pater eloquentiæ de se Isocrates scripsit ipse, pudore à dicendo, & timiditate ingenua quadã refugisti: siue, ut ipse iocari soles, unum putasti satis esse nõ modo in una familia Rhetorem, sed penè in tota ciuitate: nõ tamẽ arbitror tibi hos libros in eo

ſore genere, quod meritò propter eorum qui de di-cendi ratione diſputarunt, ieiunitatem bonarum ar-tium, poßit illudi. Nihil enim mihi quidem uidetur in Craßi & Antonij ſermone eſſe præteritum, quod quiſquam ſummis ingenijs, acerrimis ſtudijs, opti-ma doctrina, maximo uſu cognoſci ac percipi potu iſſe arbitraretur, quod tu facilimè poteris iudicare, qui prudentiam rationemq; dicendi per te ipſum, uſum autem per nos percipere uoluiſti. Sed quo ci-tiùs hoc quod ſuſcepimus, non mediocre munus, cō-ficere poßimus, omiſſa noſtra adhortatione, ad eo-rum quos propoſuimus ſermonem, diſputationemq; ueniamus. Poſtero igitur die quàm illa erant acta, hora ferè ſecunda, cū etiam tum in lecto Craſſus eſ-ſet & apud eum Sulpitius ſederet, Antonius autem inambularet cum Cotta in porticu, repente eò Q. Catulus ſenex cum C. Iulio fratre uenit: quod ubi audiuit, commotiùs Craſſus ſurrexit, omnesq; ad-mirati, maiorem aliquam eſſe cauſam eorum aduen-tus ſuſpicati ſunt. Qui cum inter ſe, ut ipſorum u-ſus ferebat, amiciſſimè conſalutaſſent, Quid uos tandem Craſſus nunquidnam, inquit, noui? Nihil ſanè inquit Catulus: etenim uides eße ludos: ſed uel tu nos ineptos licet, inqt, uel moleſtos putes: cū ad me in Tuſ. inquit, heri ueſperi ueniſſet Cæſar de Tuſculano ſuo, dixit mihi à ſe Scæuolam hinc euntē eſſe conuentum, ex quo mira quædam ſe audiſſe di-

Dialogi occaſio.

cebat:

cebat: te, quem ego toties omni ratione tentans ad disputandum elicere non potuissem, permulta de eloquentia cũ Antonio disseruisse, et tanquã in schola propè ad Græcorum cõsuetudinẽ disputasse. Itaque frater exorauit me ipsum, nõ quidẽ à studio audiendi nimis abhorrentẽ, sed mehercule uerentem tamẽ ne molesti uobis interueniremus, ut huc secũ uenirem. Etenim Scæuolam ita dicere aiebat, bonã partem sermonis in hunc diem esse delatam. Hoc si tu cupidiùs factum existimas, Cæsari attribues: si familiariùs, utriq; nostrûm. Nos quidẽ, nisi fortè molesti interuenimus, uenisse delectat. Tum Crassus: Equidem quæcunque causa uos huc attulisset, lætarer, cum apud me uiderem homines mihi charißimos, & amicißimos: sed tamen uerè dicam, quæuis mallem fuisset, quàm ista quam dicis. Ego enim (ut quemadmodum sentio, loquar) nunquam mihi minùs quàm hesterno die placui. magis adeo id facilitate, quàm alia ulla culpa mea contigit: qui dum obsequor adolescentibus, me senem esse sum oblitus: feciq; id, quod ne adolescens quidem feceram, ut ijs de rebus quæ doctrina aliqua continerẽtur, disputarem. Sed hoc tamen cecidit mihi peropportunè, quod transactis iam meis partibus, ad Antoniũ audiendum uenistis. Tum Cæsar, Equidem, inquit, Crasse, ita sum cupidus te in illa longiore ac perpetua disputatione audiẽdi, ut si id mihi minùs

contingat, uel hoc sim quotidiano tuo sermone contentus. Itaq; experiar equidem illud, ut ne Sulpitius familiaris meus, aut Cotta plus quàm ego apud te ualere uideantur, & te exorabo profectò, ut mihi quoq; & Catulo tuæ suauitatis aliquid impertias. Sin tibi id minùs libebit, non te urgebo: neq; cõmittam, ut dum uereare ne tu sis ineptus, me esse iudices. Tũ ille, Ego mehercule, inquit Cæsar, ex omnibus Latinis uerbis huius uerbi uim uel maximam semper putaui. Quem enim nos ineptum uocamus, is mihi uidetur ab hoc nomen habere ductum, quòd non sit aptus, idq́; in sermonis nostri consuetudine perlatè patet. Nam qui aut tempus quo quid postulet non uidet, aut plura loquitur, aut se ostentat, aut eorum quibuscum est, uel dignitatis, uel commodi rationem nõ habet, aut deniq; in aliquo genere aut inconcinnus, aut multus est, is ineptus dicitur. Hoc uitio cumulata est eruditißima illa Græcorum natio: itaq; quòd uim huius mali Græci non uident, ne nomen quidem ei uitio imposuerunt. Vt enim quæras omnia quomodo Græci ineptum appellent, non reperies. Omnium aũt ineptiarũ, quæ sunt innumerabiles, haud scio an ulla sit maior, quàm ut illorũ solent quocunq; in loco, quoscunq; inter homines uisum est, de rebus aut difficilimis, aut nõ necessarijs argutißimè disputare. Hoc nos ab istis adolescentib. facere inuiti, & recusantes heri coacti sumus. Tum

Budeus in li. 1. de asse & par eius ἀπειρόκαλον apud Grçcos tã significãs esse ait, qua apud nos ineptum.

Catulus,

Catulus, Ne Græci quidem, inquit, Crasse, qui in ciuitatibus suis clari, & magni fuerunt, sicuti tu es, nosq́; omnes in nostra Republ. uolumus esse, horum Græcorum qui se inculcant auribus nostris, similes fuerunt, nec tamen in otio sermones huiusmodi, disputationesq́; fugiebant. Ac si tibi uidentur qui temporis, qui loci, qui hominum rationem non habent, inepti, sicut debent uideri: num tandem aut locus hic non idoneus uidetur, in quo porticus hæc ipsa ubi inambulamus, & palæstra, & tot locis sessiones, gymnasiorum, & Græcarum disputationum memoriam quodammodo commouent? aut importunum tempus, in tanto otio, quod & rarò datur, & nunc peroptatò nobis datum est? aut homines ab hoc genere disputationis alieni, qui omnes hi sumus, ut sine his studijs nullam uitam esse ducamus? Omnia ista inquit Crassus ego alio modo interpretor, qui primũ palæstrã, et sedes, et porticus, etiã ipsos Catule Græcos exercitationis, et delectationis causa, nõ disputationis inuenisse arbitror: nã & seculis multis antè gymnasia inuenta sunt, q̃ in his Philosophi garrire cœperũt, et hoc ipso tempore cũ omnia gymnasia Philosophi teneãt, tamen eorum auditores discũ audire q̃ Philosophum malunt, qui simul ut increpuit, in media oratiõe de maximis rebus et grauißimis disputantẽ Philosophũ omnes unctionis causa relinquunt, ita leuißimã delectatio

nem grauißimæ, ut ipsi ferunt, utilitati anteponunt. Otium autem quod dicis esse, assentior: uerum otij fructus est non cõtentio animi, sed relaxatio. Sæpe ex socero meo audiui, cum is diceret socerum suum Lælium semper ferè cum Scipione solitũ rusticari, eosq; incredibiliter repuerascere esse solitos, cum rus ex urbe tanquam ex uinculis euolauissent. Non audeo dicere de talibus uiris, sed tamẽ ita solet narrare Scæuola, conchas eos, & umbilicos ad Caietã, & ad Lucrinum legere consuêsse, & ad omnem animi remißionem, ludumq; descendere. Sic enim se res habet, ut quemadmodum uolucres uidemus procreationis, atq; utilitatis suæ causa fingere & construere nidos, easdem autem, cũ aliquid effecerint, leuandi laboris sui causa paßim, ac libere solutas opere uolitare: sic nostri animi forensibus negotijs, atque urbano opere defeßi gestiunt, ac uolitare cupiunt uacui cura atq; labore. Itaq; illud, quod ego in causa Curiana Scæuolæ dixi, non dixi secùs ac sentiebam. Nam si, inquam, Scæuola nullum erit testamentum rectè factum, nisi quod tu scripseris: omnes ad te ciues cum tabulis ueniemus, omnium testamenta tu scribes unus. Quid igitur, inquam, quando ages negotiũ publicum, quando amicorũ, quando tuum, quando deniq; nihil ages? Tum illud addidi. Mihi enim liber esse non uidetur, qui non aliquã do nihil agit, in qua permaneo Catule sententia:

Exemplo amplificat.

meq;

meq́;, cum huc ueni, hoc ipsum nihil agere, & planè cessare delectat. Nam quod addidisti tertium, uos eos esse qui uitam insuauem sine his studijs putaretis, id me non modo non hortatur ad disputandum, sed etiã deterret, Nam ut C. Lucilius homo doctus, & perurbanus dicere solebat, ea quæ scriberet, neque ab indoctißimis, neq; ab doctißimis legi uelle: quòd alteri nihil intelligerent, alteri plus fortasse, quàm ipse de se: quo etiam scripsit, Persium non curo legere, (hic enim fuit, ut noramus, omnium ferè nostrorum hominum doctißimus) Lælium Decimum uolo, (quem cognouimus uirum bonum, & non illiteratum, sed nihil ad Persium) sic ego, si iam disputandum sit de his nostris studijs, nolim equidem apud rusticos, sed multo minùs apud uos. Malo enim non intelligi orationẽ meam, quam reprehendi. Tum Cæsar, Equidem, inquit, Catule, iam mihi uideor nauasse operam, quod huc uenerim. Nam hæc ipsa recusatio disputationis, disputatio quædam fuit, mihi quidem periucunda. Sed cur impedimus Antonium, cuius audio esse partes, ut de tota eloquentia disserat, quemq́; iamdudum Cotta & Sulpitius expectant? Ergo uero, inquit Crassus, neq; Antonium uerbum facere patiar, & ipse obmutescam, nisi prius à uobis impetraro. Quidnam? inquit Catulus. Vt hîc sitis hodie. Tum cùm ille dubitaret, quòd ad fratrem promiserat, Ego, inquit

 Iulius,

Iulius, pro utroq; respondeo, sic faciemus: atq; ista quidem conditione, uel ut uerbum nullum faceres, me teneres. Hic Catulus arrisit, & simul, Præcisa, inquit, mihi quidem dubitatio est, quoniam neque domi imperaram, & hic, apud quem eram futurus, sine mea sententia tam facilè promisit.

Exordiũ Antonij de arte disputaturi. Captat beneuolẽtiã ab extenuatione suę personæ.

Tum omnes oculos in Antonium coniecerunt: & ille, Audite uero, audite, inquit: hominem enim audietis de schola, atq; à magistro, & Græcis literis eruditum, & eo quidem loquor confidentiùs q̃, Catulus auditor accessit, cui non solùm nos latini sermonis, sed etiã Græci ipsi solent suæ linguæ subtilitatem elegantiamq; concedere. Sed tamen quoniam hoc totum, quicquid est, siue artificium siue studium dicendi, nisi accessit os, nullum potest esse: docebo uos discipuli id quod ipse non didici, q̃d de omni genere dicendi sentiam. Hic posteaquàm arriserunt. Res mihi uidetur esse, inquit, facultate

Sit ne ars.

præclara, arte mediocris. Ars enim earum rerum est, quæ sciuntur. Oratoris autem omnis actio opinionibus, non scientia continetur. Nam et apud eos dicimus qui nesciunt, & ea dicimus quæ nescimus ipsi. Itaq; & illi aliâs aliud iisdem de rebus & sentiunt, & iudicant: & nos contrarias sæpe causas dicimus, non modò, ut Crassus contra me dicat aliquando, aut ego contra Crassum, cum alterutri necesse sit falsum dicere: sed etiam ut uterq; nostrum

eadem

eadem de re aliâs aliud defendat, cum plus uno uerum esse non poßit. Vt igitur in eiusmodi re quæ mendacio nixa sit, quæ ad scientiam non sæpe perueniat, quæ opiniones hominum, & sæpe errores aucupetur, ita dicam, si causam putatis esse cur audiatis. Nos uerò & ualde quidem, Catulus inquit, putamus, atque eo magis, quòd nulla mihi ostentatione uideris eße usurus: exorsus es enim non gloriose magis, ut tu putas, à ueritate, quàm nescio à qua dignitate. Vt igitur de ipso genere sum confessus, inquit Antonius, artem esse non maximam, sic illud affirmo, præcepta posse quædam dari peracuta ad pertractandos animos hominum, & ad excipiendas † eorum uoluntates. Huius rei scientiam si quis uolet magnam quandam artem eße dicere, nō repugnabo. Etenim cum pleriq; temerè, ac nulla ratione causas in foro dicant, nonnulli aūt propter exercitationem, aut propter consuetudinem aliquam callidius id faciant, non est dubium quin si quis animaduerterit quid sit quare alij melius quā alij dicant, id poßit notare. Ergo id qui toto in genere fecerit, is si non planè artem, at quasi artem quandam inuenerit. Atq; utinam ut mihi illa uidere uideor in foro, atq; in causis, ita nunc quemadmodum ea reperirentur, poßim uobis exponere. Sed de me uidero: nūc hoc propono, quod mihi persuasi, quāuis ars nō sit, tamē nihil esse perfecto Oratore præclari-

Aliâs captandas.

Quatenus sit ars.

Excursus de eloquētiæ dignitate.

clarius. Nam ut usum dicendi omittam, qui in omni pacata, & libera ciuitate dominatur, tanta oblectatio est in ipsa facultate dicendi, ut nihil hominũ aut auribus, aut mentib. iucundius percipi poßit. Qui enim cantus moderatæ orationis pronunciatione dulcior inueniri potest? Quod carmen artificiosa uerborum conclusione aptius? Qui actor in imitanda, quàm orator in suscipienda ueritate iucundior? Quid aũt subtilius, quam acutæ, crebræq́; sententiæ? Quid admirabilius, quã res splendore illustrata uerborum? Quid plenius, quàm omni rerum genere cumulata oratio? Neq; enim ulla non propria oratoris est res, quæ quidem ornate dici grauiterq́; debeat. Huius est in dando consilio de maximis rebus cum dignitate explicata sententia: eiusdem, & languentis populi incitatio, & effrænati moderatio. Eadem facultate, & fraus hominũ ad perniciẽ, & integritas ad salutem uocatur. Quis cohortari ad uirtutẽ ardentius? quis à uitijs acrius reuocare? quis uituperare improbos asperius? quis laudare bonos ornatius? quis cupiditatem uehementiùs frangere accusando potest? quis mœrorẽ leuare mitiùs consolando? Historia uerò testis temporum, lux ueritatis, uita memoriæ, magistra uitæ, nuncia uetustatis, qua uoce alia, nisi oratoris, immortalitati commendatur? Nam si qua est ars alia quæ uerborũ aut faciendorum, aut deligendorum scientiã profiteatur,

Historia.

Quid sit ars peculiaris.

teatur, aut ſi quiſquam dicitur, niſi orator, formare orationem, eamq; uariare, & diſtinguere quaſi quibuſdam uerborũ ſententiarumq; inſignib. aut ſi uia ulla niſi ab hac una arte traditur, aut argumentorũ, aut ſententiarum, aut deniq; deſcriptionis atq; ordinis: fateamur aut hoc quod hæc ars profiteatur, alienum eſſe, aut cum aliquid alia arte eſſe commune: ſed ſi in hac una eſt ea ratio, atq; doctrina, nõ ſi qui aliarũ artium bene locuti ſunt, eo minus id eſt huius unius propriũ: ſed ut orator de ijs rebus quæ cæterarũ artium ſunt, ſi modò eas cognorit (ut heri Craſſus dicebat) optimè poteſt dicere, ſic cæterarũ artiũ homines ornatiùs illa ſua dicũt ſi quid ab hac arte dedicerunt. Neq; enim ſi de rebus ruſticis agricola quiſpiam, aut etiam, id quod multi, medicus de moribus, aut de pingendo pictor aliquis disertè dixerit, aut ſcripſerit, idcirco illius artis putanda ſit eloquentia: in qua, quia uis magna eſt in hominum ingenijs, eo multi etiam ſine doctrina aliquid omnium generum, atque artium conſequuntur: ſed quod cuiuſq; ſit proprium, etſi ex eo iudicari poteſt, cùm uideris quid quæque doceant, tamen hoc certius nihil eſſe poteſt, quàm quòd omnes artes aliæ ſine eloquentia ſuum munus præſtare poſſunt, orator ſine ea nomen ſuum obtinere non poteſt: ut cæteri ſi deſerti ſint, aliquid ab hoc habeant: hic niſi domeſticis ſe inſtruxerit

copijs,

Laudatur Antonij oratio.

copijs, aliunde dicendi copiam petere non poßit. Tum Catulus, Etsi, inquit, Antoni minimè impediendus est interpellatione iste cursus orationis tuæ, patiere tamen, mihiq; ignosces. Non enim possum quin exclamē, ut ait ille in Trinumo, ita mihi uim Oratoris cùm exprimere subtiliter uisus es, tum laudare copiosißimè, quod quidem eloquentem uel optimè facere oportet, ut eloquentiam laudet: debet enim ad eam laudandam, ipsam illam adhibere quam laudat. Sed perge porrò: tibi enim assentior, uestrum esse hoc totum, disertè dicere: idq; si quis in alia arte faciat, eum assumpto aliunde uti bono, non proprio, nec suo. Et Crassus, Nox te, inquit, nobis Antoni expoliuit, hominemq; reddidit: nā hesterno sermone unius cuiusdam operis, ut ait Cæcilius, remigem aliquem, aut baiulum nobis oratorē descripseras, inopem quendam humanitatis, atque inurbanum, Tum Antonius, Heri enim, inquit, hoc mihi proposueram, ut si te refellissem, hos à te discipulos abducerem: nunc Catulo audiente, & Cæsare, uideor debere non tam pugnare tecum, quàm quid ipse sentiam, dicere. Sequitur igitur quoniam nobis est hic de quo loquimur in foro, atq; in oculis ciuium constituendus, ut uideamus quid ei negotij demus, cuiq; eum muneri uelimus esse præpositum. Nam Crassus heri, cùm uos Catule, & Cæsar non adessetis, posuit breuiter in artis distributione

Redit ad artem.

idem

idem quod Græci plerique posuerunt: neq; sanè qd ipse sentiret, sed quid ab illis diceretur, ostendit: duo prima genera quæstionum esse, in quibus eloquentia uersaretur: unũ infinitum, alterum certum. Infinitum mihi uidetur id dicere, in quo aliquid generatim quæreretur, hoc modo, expetendáne esset eloquentia, expetendi'ne honores. Certum autem, in quo quid in personis, & in constituta re, & definita quæreretur, cuiusmodi sunt, quæ in foro, atque in ciuium causis, disceptationibusq; uersantur. Ea mihi uidentur aut in lite ordinanda, aut in consilio dando esse posita: nam illud tertiũ, quod & à Crasso tactum est, & ut audio ille ipse Aristoteles qui hæc maximè illustrauit, adiunxit, etiam si opus est, tamen minus est necessarium. Quidnam? inquit Catulus, an laudationes? id enim uideo poni genus tertium. Ita, inquit Antonius: & in eo quidem genere scio & me, & omnes qui affuerunt, delectatos esse uehementer, cùm abs te est Popilia mater uestra laudata: cui primùm mulieri hunc honorem in nostra ciuitate tributum puto. Sed non omnia quæcũque loquimur, mihi uidentur ad artem, & ad præcepta esse reuocanda. Ex his enim fontibus, unde omnia ornatè dicendi præcepta sumuntur, licebit etiam laudationem ornare, neque illa elementa desyderare, quæ ut nemo tradat, quis est qui nesciat, quæ sint in homine laudãda? Positis enim ijs rebus

Duo esse genera quæstionũ

Duo esse genera causarum

De demõstratiuo genere.

quas Crassus in illius orationis suæ, quã contra collegã censor habuit, principio dixit, quæ natura aut fortuna darentur hominibus, in ijs reb. se uinci posse animo æquo pati: quæ ipsi sibi homines parare possent, in ijs rebus se pati uinci non posse: qui laudabit quempiã, intelliget exponenda sibi esse fortunæ bona. Ea sunt generis, pecuniæ, propinquorũ, amicorum, opum, ualetudinis, formæ, uiriũ, ingenij, cæterarumq; rerum, quæ sunt aut corporis, aut extraneæ: si habuerit, bene his usum: si non habuerit, sapienter caruisse: si amiserit, moderatè tulisse: deinde quid sapienter is quem laudet, quid liberaliter, quid fortiter, quid iustè, quid magnificè, quid piè, quid gratè, quid humaniter, quid deniq; cũ aliqua uirtute aut fecerit, aut tulerit. Hæc & quæ sint eius generis, facilè uidebit qui uolet laudare quempiam, et qui uituperare, contraria. Cur igitur dubitas, inquit Catulus, facere hoc tertiũ genus, quoniam inest in ratione rerũ? Non enim si est facilius, eo de numero quoq; est excerpendum. Quia nolo, inquit, omnia quæ cadunt aliquando in oratorem, quamuis exigua sint, ea sic tractare, quasi nihil poßit dici sine præceptis suis. Nam & testimoniũ sæpe dicendum est, ac nonnunquã etiã accuratiùs: ut mihi necesse fuit in Sex. Titium seditiosum ciuem & turbulentum. Explicaui in eo testimonio dicendo omnia consilia consulatus mei, quibus illi tribuno Pl.

Præceptiones.

pro Republica restitissem: quæque ab eo contra Rempublicam facta arbitrarer, exposui, diu retentus sum, multa audiui, multa respondi. Num igitur placet, cùm de eloquentia præcipias, aliquid etiam de testimonijs dicendis quasi in arte tradere? Nihil sanè, inquit Catulus, necesse est. Quid si (quod sæpe summis uiris accidit) mandata sint exponenda aut in senatu ab imperatore, aut ad imperatorē, aut ad regē, aut ad populum aliquē à senatu? Num quia genere orationis in huiusmodi causis accuratiore est utendū, idcirco etiā pars hæc causarum numeranda uidetur, aut proprijs præceptis instruenda? Minimè uerò, inquit Catulus. Non enim deerit homini diserto in eiusmodi reb. facultas ex cæteris rebus & causis comparata. Ergo item, inquit, illa quæ sæpe disertè agenda sunt, & quæ ego paulò antè cū eloquentiam laudarē, dixi Oratoris esse neq; habent suum locū ullum in diuisione partium, neq; certum præceptorum genus, & agenda sunt non minus disertè, quàm quæ in lite dicuntur, obiurgatio, cohortatio, consolatio, quorum nihil est quod non summa dicendi ornamenta desideret: sed ex artificio res istæ præcepta nō quærunt. Plane inquit Catulus, assentior. Agè uerò, inquit Antonius, qualis oratoris, & quanti hominis in dicendo putas esse historiam scribere? Si, ut Græci scripserunt, summi inquit Catulus: si ut nostri, nihil opus

Excursus in historiam.

opus est oratore: satis est nō esse mendacem. Atqui ne nostros contemnas, inquit Antonius. Græci ipsi sic initio scriptitarunt ut noster Cato, ut Pictor, ut Piso. Erat enim historia nihil aliud nisi annalium confectio: cuius rei, memoriæq; publicæ retinendæ causa, ab initio rerum Rom. usq; ad P. Mutium Pontificem Max. res omnes singulorum annorum mandabat literis Pontifex Maximus, efferebatq; in album, & proponebat tabulam domi, potestas ut esset populo cognoscendi: ij qui etiam nunc Annales maximi nominantur. Hanc similitudinem scribendi multi secuti sunt, qui sine ullis ornamentis monimēta solum temporum, hominum, locorum, gestarumque rerum reliquerunt. Itaq; qualis apud Græcos Pherecydes, Hellanicus, Accusilaus fuit, alijq; permulti, talis noster Cato, & Pictor, & Piso: qui neque tenent quibus rebus ornatur oratio, (modo enim huc ista sunt importata) & dum intelligatur quid dicant, unam dicendi laudem putant esse breuitatem. Paululum se erexit, & addidit historiæ maiorem sonum uocis uir optimus Craßi familiaris Antipater: cæteri non exornatores rerum, sed tantummodo narratores fuerūt. Est, inquit Catulus, ut dicis: sed iste ipse Cælius neq; distinxit historiam uarietate locorum, neq; uerborum collocatione, & tractu orationis leni, & æquabili perpoliuit illud opus: sed ut homo neq; doctus, neq; maximè aptus

Qui latini scriptores & quales.

Historia qd

Annales maximi.

ad

ad dicendum, sicut potuit dolauit: uicit tamen, ut di cis, superiores. Minimè mirum, inquit Antonius, si ista res adhuc nostra lingua illustrata non est. Nemo enim studet eloquentiæ nostrorum hominum, nisi ut causis atq; in foro eluceat: apud Græcos autem eloquentißimi homines remoti à causis forensibus, cum ad cæteras res illustres, tum ad scribendam historiam maximè se applicauerunt. Nanq; & Herodotum illum, qui princeps genus hoc ornauit, in causis nihil omnino uersatum esse accepimus: atqui tanta est eloquentia, ut me quidem (quantum ego Græcè scripta intelligere possum) magnopere delectet: & post illum Thucydides omneis dicēdi artificio mea sententia facilè uincit: qui ita creber est rerum frequentia, ut uerborum propè numerum sententiarum numero consequatur: ita porrò uerbis aptus, & pressus, ut nescias utrum res oratione, an uerba sententijs illustrentur. Atqui ne hunc quidem, quanquam est in Rep. uersatus, ex numero accepimus eorum qui causas dictitarunt: et hos libros tum scripsisse dicitur, cum à Repub. remotus, atque, id quod optimo cuiq; Athenis accidere solitū est, in exilium pulsus esset. Hunc consecutus est Syracusius Philistus, qui cum Dionysij tyranni familiarißimus esset, otium suum consumpsit in historia scribenda, maximeq; Thucydidem est, sicut mihi uidetur, imitatus. Postea uero quasi ex clarißima

Qui Græci

Rhetoris officina duo præstantes ingenio Theopompus & Ephorus ab Isocrate magistro impulsi se ad historiã contulerunt: causas omnino nunquã attigerunt. Deniq; etiam à Philosophia profectus princeps Xenophon Socraticus ille, pòst ab Aristotele Callisthenes comes Alexãdri scripsit historiã: & hic quidem rhetorico penè more, ille autem superior leniore quodam sono est usus, & qui illum impetum oratoris non habeat: uehemẽs fortasse minus, sed aliquanto tamen est, ut mihi quidem uidetur, dulcior. Minimus natu horũ omnium Timæus: quantum autem iudicare possum, longe eruditissimus, & rerum copia, & sententiarum uarietate abundantissimus, & ipsa compositione uerborũ non impolitus, magnam eloquentiã ad scribendum attulit, sed nullum usum forensem. Hæc cũ ille dixisset, qd est, inquit, Catule, Cæsar: ubi sunt qui Antonium Græcè negãt scire? quot historicos nominauit? quã scienter, quã propriè de unoquoq; dixit? Id mehercule, inquit Catulus, admirans, illud iam mirari desino, quod multo magis antè mirabar, hũc cùm hæc nesciret, in dicendo posse tantum.

Atqui Catule, inquit Antonius, non ego utilitatẽ aliquam ad dicẽdum aucupans, horũ libros et nõ nullos alios, sed delectationis causa, cum est otiũ, legere soleo. Quid ergo? est, fatebor, aliquid tamẽ, ut cũ in sole ambulẽ, etiam si aliã ob causam ambulem,

fieri natura tamen ut colorer: sic cum istos libros ad Misenum (nam Romæ uix licet) studiosius legerim, sentio orationem meam illorũ cantu quasi colorari. Sed ne latiùs hoc uobis patere uideatur, hæc duntaxat in Græcis intelligo, quæ ipsi qui scripserunt, uoluerunt à uulgo intelligi. In Philosophos uestros si quando incidi, deceptus indicibus librorum, quod sunt ferè inscripti de rebus notis & illustribus, de uirtute, de iustitia, de honestate, de uoluptate, uerbum prorsus nullum intelligo: ita sunt angustis, & concisis disputationibus illigati. Poëtas omnino quasi aliena quadam lingua locutos non conor attingere. Cum his me (ut dixi) oblecto, qui res gestas, aut qui orationes scripserũt suas, aut qui ita loquuntur, ut uideantur uoluisse esse nobis, qui non sumus eruditißimi, familiares. Sed illuc redeo, uidetis'ne quantum munus sit oratoris historia? Haud scio an flumine orationis & uarietate maximum: neq; tamen eam reperio usquam separatim instructam rhetorum præceptis: sita sunt enim ante oculos. Nam quis nescit primam esse historiæ legem, ne quid falsi dicere audeat, deinde ne quid ueri non audeat, ne qua suspicio gratiæ sit in scribendo, ne qua simultatis? Hæc scilicet fundamenta nota sunt omnibus. Ipsa autem exædificatio posita est in rebus & uerbis. Rerum ratio ordinẽ temporũ desiderat, regionum descriptionem: uult etiã quo

Preceptiones in historico genere.

Consilia, Acta Euẽtus Causę Volũtates & Iudicia hominũ.

niam in rebus magnis, memoriaq; dignis consilia primùm, deinde acta, postea euentus expectantur, & de consilijs significari quid scriptor probet, & in rebus gestis declarari non solùm quid actum aut dictum sit, sed etiã quo modo: & cum de euentu dicatur, ut causæ explicentur omnes, uel casus, uel sapientiæ, uel temeritatis: hominumq; ipsorum non solùm res gestæ, sed etiam qui fama ac nomine excellant, de cuiusq; uita, atq; natura. Verborum autem ratio, & genus orationis fusum atq; tractum, & cum lenitate quadam æquabili profluens, sine hac iudiciali asperitate, et sine sententiarum forensium aculeis prosequendum est. Harum tot tantarumq; rerum uidetis'ne nulla esse præcepta quæ in artibus rhetorum reperiantur? In eodem silentio multa alia oratorum officia iacuerunt, cohortationes, consolationes, præcepta, admonita, quæ tractanda sunt omnia disertißime: sed locũ suum in illis artibus quæ traditæ sunt, habent nullum. Atqui in hoc genere illa quoq; est infinita sylua, quòd oratori pleriq; (ut etiam Craßus ostendit) duo genera ad dicendũ dederunt: Vnum de certa definitaq; causa, quales sunt quæ in litibus, quæ in deliberationibus uersantur: addat si quis uolet, etiam laudationis. Alterum, quod appellãt omnes ferè scriptores, explicat nemo, infinitam generis sine tempore, & sine persona quæstionẽ: hoc quid, & quantum sit,

cum

cum dicunt, intelligere mihi non uidentur. Si enim est oratoris quæcunq; res infinitè posita sit, de ea posse dicere, dicendum erit ei quanta sit Solis magnitudo, quæ forma terræ: de mathematicis, de musicis rebus non poterit, quin dicat, hoc onere suscepto, recusare. Deniq; ei qui profitetur esse suum, non solùm de ijs controuersijs quæ temporibus, & personis notæ sunt, hoc est, de omnibus forensibus, sed etiam de generum infinitis quæstionibus dicere, nullum potest esse genus orationis quod sit exceptum. Sed si illam quoq; partem quæstionũ oratori uolumus adiungere, uagam, & liberam, & late patentem, ut de rebus bonis aut malis, expetendis aut fugiendis, honestis aut turpibus, utilibus aut inutilibus, de uirtute, de iustitia, de continentia, de prudentia, de magnitudine animi, de liberalitate, de pietate, de amicitia, de fide, de officio, de cæteris uirtutibus, contrarijsq; uitijs dicendum oratori putemus. itemq; de Rep. de imperio, de re militari, de disciplina ciuitatis, de hominũ moribus: assumamus eam quoq; partem, sed ita, ut sit circunscripta modicis regionibus. Equidem omnia quæ pertinẽt ad usum ciuium, morem hominum, quæ uersantur in consuetudine uitæ, in oratione Reip. in hac societate ciuili, in sensu hominum cõmuni, in natura, in moribus, comprehendenda esse oratori puto, si minùs ut separatim de his rebus Philosophorum more re-

Theses, locos cõmunes officiorũ cognoscendos esse.

ſpondeat, at certe ut in cauſa prudenter poßit intexere. Hiſce autem ipſis de rebus ut ita loquatur, uti ij qui iura, qui leges, qui ciuitates conſtituerunt, locuti ſunt, ſimpliciter & ſplendide, ſine ulla ſerie diſputationũ, & ſine ieiuna concertatione uerborum. Hoc loco, ne qua ſit admiratio, ſi tot tantarũq; rerum nulla à me præcepta ponentur, ſic ſtatuo, ut in cæteris artibus cum tradita ſunt cuiuſq; artis difficillima, reliqua, quia aut faciliora, aut ſimilia ſint, tradi non neceſſe eſſe: ut in pictura, q̃ hominis ſpeciem pingere perdidicerit, poſſe eũ cuiuſuis uel formæ, uel ætatis, etiã ſi nõ didicerit, pingere: neq; eſſe periculum, qui leonem aut taurum pingat egregiè, ne idem in multis alijs quadrupedibus facere non poßit: neq; eſt omnino ars ulla in qua omnia quæ illa arte effici poſſunt, à doctore tradãtur: ſed qui primarum & certarum rerum genera ipſa didicerunt, reliqua perſequuntur. Similiter arbitror in hac ſiue ratione, ſiue exercitatione dicendi, qui illam uim adeptus ſit, ut eorũ mentes qui aut de Reipub. aut de ipſis rebus, aut de ijs contra quos, aut pro quibus dicat, cum aliqua ſtatuẽdi poteſtate audiant, ad ſuum arbitriũ mouere poßit, hunc de toto illo genere reliquarũ orationũ non plus quæſiturũ eſſe quid dicat, quàm Polycletũ illum cũ Herculem fingebat, quemadmodum pellem aut hydram fingeret, etiam ſi hæc nunquam ſeparatim facere didiciſſet.

set. Tum Catulus: Præclarè mihi uideris, Antoni, posuisse ante oculos quid discere oporteret eū qui orator esset futurus, quid etiam si non didicisset, ex eo quod didicisset, assumeret: deduxisti enim totum hominem in duo solum genera causarū, cætera innumerabilia exercitationi & similitudini reliquisti: sed uideto ne in istis duobus generibus hydra tibi sit & pellis, Hercules autem et alia opera maiora ne in illis rebus quas prætermittis, relinquātur. Non enim mihi minus operis uidetur de uniuersis generibus rerum, quàm de singulorum causis ac multo etiam maius de natura deorum, quàm de hominum litibus dicere. Non est ita, inquit Antonius, dicam enim tibi Catule, non tam doctus, quàm (id quod est maius) expertus. Omnium cæterarum rerum oratio, mihi crede, ludus est homini non hebeti, neq; inexercitato, neq; communium literarum & politioris humanitatis experti: in causarum cōtentionibus magnum est quoddam opus, atq; haud sciā an de humanis operibus longe maximū: in quibus uis oratoris plerunq; ab imperitis exitu, & uictoria iudicatur: ubi adest armatus aduersarius, qui sit & feriendus, & repellendus: ubi sæpè is qui rei dominus futurus est, alienus atq; iratus, aut etiā amicus aduersario, et inimicus tibi est: cū aut docendus is est, aut dedocēdus, aut reprimēdus, aut incitādus, aut omni ratione ad tempus, ad causam oratio-

Iudicialis causarum difficultas.

ne moderandus: in quo sæpe beneuolentia ad odiũ, odium autẽ ad beneuolentiam deducendum est: qui tanquam machinatione aliqua tum ad seueritatem, tum ad remißionẽ animi, tum ad tristitiam, tum ad lætitiam est torquendus. Omnium sentẽtiarum grauitate, omnium uerborum ponderibus est utendum. Accedat oportet actio uaria, uehemens, plena animi, plena spiritus, plena doloris, plena seueritatis. In his operibus si quis illam artẽ comprehenderit, ut tanquã Phidias Mineruæ signum efficere poßit, nõ sanè quemadmodum in clypeo idem ille artifex minora illa opera facere discat, laborauit. Tum Catulus: Quo ista maiora ac mirabiliora fecisti, eo me maior expectatio tenet, quibusnam rationibus, quibus'ue præceptis ea tanta uis comparetur, non quò mea quidẽ iam intersit, (neq; enim ætas id mea desiderat, & aliud quoddam genus dicendi nos secuti sumus, qui nunquam sentẽtias de manibus iudicum ui quadam orationis extorsimus, ac potius placatis eorũ animis, tantum quantum ipsi patiebantur, accepimus) sed tamẽ ista tua, nullum ad usum meum, tantum cognoscendi studio adductus requiro. Nec mihi opus est Græco aliquo doctore, qui mihi peruulgata præcepta decantet, cùm ipse nunquã forũ, nunq̃ ullum iudicium aspexerit, ut Peripateticus ille dicitur Phormio, cũ Annibal Carthagine expulsus Ephesum ad Antiochum uenisset exul, proq; eo,

Hortatur Catulus, ut pergat: & amplificat exemplo.

eo, quòd eius nomen erat magna apud omnes gloria, inuitatus esset ab hospitibus suis, ut eum quem dixi, si uellet, audiret, cumq; is se non nolle dixisset, locutus esse dicitur homo copiosus aliquot horas de imperatoris officio, & de omni re militari: tum cùm cæteri qui illum audierant, uehementer essent delectati, quærebant ab Annibale quidnam ille ipse de illo Philosopho iudicaret: hic Pœnus, non optimè Græcè, sed tamē liberè respondisse fertur, multos se deliros senes sæpè uidisse: sed qui magis quàm Phormio deliraret, uidisse neminem: Neque mehercule iniuria. Quid enim aut arrogantius aut loquacius fieri potuit quàm Annibali, qui tot annos de imperio cum populo Ro. omnium gentiū uictore certasset, Græcum hominem, qui nunquam hostem, nunquam castra uidisset, nunquam deniq; minimam partem ullius publici muneris attigisset, præcepta de re militari dare? Hoc mihi facere omnes isti qui de arte dicendi præcipiunt, uidentur. Quod enim ipsi experti non sunt, id docent cæteros: sed hoc minus fortasse errant, quòd non te ut Annibalem, sed pueros aut adolescentulos docere conantur. Erras Catule, inquit Antonius. Nam egomet in multos iam Phormiones incidi. Quis enim est istorum Græcorum, qui quenquam nostrum quicquam intelligere arbitretur? Ac mihi quidem non ita molesti sunt: facile omnes perpetior, & per

fero. Nam aut aliquid afferunt quod mihi non displiceat, aut efficiunt ut me nō didicisse minus pœniteat. Dimitto autem eos non tam contumeliose, quā Philosophum illum Annibal, & eo fortasse plus habeo etiam negotij: sed tamen est eorum doctrina, quātum ego iudicare possum, perridicula. Diuidunt enim totam rem in duas partes, in causæ controuersiam, & in quæstionis. Causam appellant rem positam in disceptatione rerum & controuersia: quæstionem autem rem positam in infinita dubitatione. De causa præcepta dant: de altera parte dicendi, mirum silentium. Deinde quinq; faciunt quasi membra eloquentiæ, inuenire quid dicas, inuenta disponere, deinde ornare uerbis, pòst memoriæ mādare, tum ad extremum agere, ac pronunciare: rem sanè non reconditam. Quis enim hoc nō sua sponte uiderit, neminem posse aptè dicere, nisi & quid diceret, & quibus uerbis, & quo ordine diceret, haberet, & ea meminisset? Atq; hæc ego non reprehendo, sed ante oculos posita esse dico, ut eas item quatuor, quinq; sex'ue partes, uel etiam septem, (quoniam aliter ab alijs digeruntur) in quas est ab his omnis oratio distributa. Iubent enim exordiri ita ut eū qui audiat, beneuolū nobis faciamus, et docilem & attentum. Deinde rem narrare ita, ut uerisimilis narratio sit, ut aperta, ut breuis. Pòst au-

Redit ad artem.

Quinq; officia, inuenire, disponere, &c.

Quatuor partes orationis.

Exordiū. 1

2

Narratio, Cōtentio. 3

tem diuidere causam aut proponere, nostra confirmare argumentis, ac rationibus, deinde contraria refutare. Tum autem alij conclusionem orationis, & quasi perorationem collocant: alij iubent antequam peroretur, ornandi aut augendi causa digredi, deinde concludere ac perorare. Ne hæc quidem reprehendo, sunt enim concinnè distributa, sed tamen (id quod necesse fuit hominibus expertibus ueritatis) non peritè. Quæ enim præcepta principiorum & narrationū esse uoluerunt, ea in totis orationibus sunt conseruanda. Nam & ego mihi beneuolum iudicem facilius facere possum, cùm sum in cursu orationis, quàm cū omnia sunt inaudita. Docilem autem, non cùm polliceor me demonstraturum, sed tum cùm doceo & explano. Attentum uerò, crebrò tota actione excitādis mentibus iudicū, non prima denunciatione efficere possumus. Iam uerò narrationem quòd iubent uerisimilem esse, & apertam & breuem, rectè nos admonent. Quòd hæc narrationis magis putant esse propria, quàm totius orationis, ualde mihi uidentur errare, omninoque in hoc omnis est error, quòd existimant artificium esse hoc quoddam non dißimile cæterorum: cuiusmodi de ipso iure ciuili hesterno die Crassus componi posse dicebat, ut genera rerum primū exponerentur, in quo uitiū est, si genus ullū prætermittatur, deinde singulorū generū partes: in quo

Peroratio.

Præceptiones de his partibus.

in quo & deesse aliquam partem, & superare, mōdosum est: tum uerborum omnium definitiones, in quibus neq; abesse quicquam decet, neq; redundare. Sed hoc si in iure ciuili, si etiam in paruis, aut mediocribus rebus doctiores assequi possunt, non idem sentio tanta hac in re, tamq; immēsa posse fieri. Sin autem qui arbitrantur, deducendi sunt ad eos, qui hæc docent: omnia iam explicata, & perpolita assequentur. Sunt enim innumerabiles de his rebus libri neque abditi, neque obscuri. Sed uideant quid uelint, ad ludendum'ne, an ad pugnandum arma sint sumpturi. Aliud enim pugna & acies, aliud ludus campusq; noster desiderat: attamen ars ipsa ludicra armorum, & gladiatori, & militi prodest aliquid, sed animus acer & præsens, & acutus idem, atq; uersutus inuictos uiros efficit, non difficilius arte coniuncta. Quare ego tibi oratorē sic iam instituam, si potero, ut quid efficere poßit, antè perspiciam. Sit enim mihi tinctus literis, audierit aliquid, legerit, ista ipsa præcepta acceperit, tentabo quid deceat, quid uoce, quid uiribus, quid spiritu, quid lingua efficere poßit. Si intelligam posse ad summos peruenire, non solùm hortabor ut elaboret, sed etiam, si uir quoque mihi bonus uidebitur, obsecrabo. Tantum ego in excellente oratore, & eodem uiro bono pono esse ornamenti uniuersæ ciuitati. Sin uidebitur, cum omnia summa fece-

Quæ præter artem requirāt. Ingenium Erudito. Imitatio.

fecerit, tamen ad mediocreis oratoreis esse uenturus, permittam ipsi quid uelit: molestus magnopere non ero. Sin planè abhorrebit, & erit absurdus, ut se contineat, aut ad aliud studium transferat, admonebo: nam neque is qui optimè potest, deserendus ullo modo est à cohortatione nostra: neque is qui aliquid potest, deterrendus: quòd alterum diuinitatis mihi cuiusdam uidetur: alterum, uel non facere quod non optimè poßis, uel facere quod non peßimè facias, humanitatis: tertium uerò illud, clamare contrà quàm deceat, & quàm poßit, hominis est (ut tu Catule de quodam declamatore dixisti) stultitiæ suæ quamplurimos testes domestico præconio colligentis. De hoc igitur qui erit talis, ut cohortandus, adiuuandusq; sit, ita loquamur, ut ei tradamus ea duntaxat quæ nos usus docuit, ut nobis ducibus ueniat eò, quò sine duce ipsi peruenimus: quoniam meliora docere non possumus. Atq; ut à familiari nostro exordiar, hunc ego Catule Sulpitium primum in causa paruula adolescentulum audiui, uoce, & forma, & motu corporis, & reliquis reb. aptis ad hoc munus de quo quærimus, oratione autem & celeri, & concitata, quod erat ingenij: & uerbis efferuescentibus, & paulò nimium redundantibus, quod erat ætatis, non sum aspernatus. Volo enim se efferat in adolescente fœcunditas. Nam facilius sicut in uitibus reuocantur

ea quæ ſeſe nimium profuderunt, quàm ſi nihil ua-
let materies, noua ſarmenta cultura excitantur: Ita
uolo eſſe in adoleſcente unde aliquid amputẽ. Non
enim poteſt in eo eſſe ſuccus diuturnus, quod nimis
celeriter eſt maturitatẽ aſſecutum. Vidi ſtatim in-
dolẽ, neq; dimiſi tempus: & eum ſum cohortatus,
ut forum ſibi ludum putaret eſſe ad diſcendum: ma-
giſtrum autem, quem uellet, eligeret: me quidem ſi
audiret, L. Craſſum: quod iſte arripuit, & ita ſeſe
facturum confirmauit, atq; etiã addidit, gratiæ ſci-
licet cauſa, me quoq; ſibi magiſtrum futurum. Vix
annus interceſſerat ab hoc ſermone cohortationis
meæ, cum iſte accuſauit C. Norbanum defendente
me: non eſt credibile quid intereſſe mihi ſit uiſum
inter eum qui tum erat, & qui anno ante fuerat.
Omnino in illud genus eum Craſſi magnificum atq;
præclarum natura ipſa ducebat: ſed ea nõ ſatis pro
ficere potuiſſet niſi eodem ſtudio, atq; imitatione
Al. intendiſſet. incidiſſet, atq; ita dicere conſueſſet, ut tota mente
Craſſum atq; omni animo intueretur. Ergo hoc ſit
1. primum in præceptis meis, ut demonſtremus quem
imitetur, atq; ita, ut quæ maximè excellant in eo
quem imitabitur, ea diligentiſſimè perſequatur:
2 tum accedat exercitatio, qua illum quem antè dele-
gerit, imitando effingat, atq; ita exprimat, non ut
multos imitatores ſæpè cognoui, qui aut ea quæ
facilia ſunt, aut etiam illa quæ inſignia, ac pe-
nè

nè uitiosa, consectentur imitando. Nihil est facilius quàm amictum imitari alicuius, aut statum, aut motum. Si uerò etiam uitiosi aliquid est, id sumere, & in eo uitiosum esse, non magnum est: ut ille qui nunc etiam amissa uoce fuerit in Republic. Fusius neruos in dicendo C. Fimbriæ, quos tamen habuit ille, non assequitur: oris prauitatem, & uerborum latitudinem imitatur: sed tamen ille nec deligere sciuit cuius potissimum similis esset, & in eo ipso quem delegerat, imitari etiam uitia uoluit. Qui autem ita faciet, ut oportet, primum uigilet necesse est in deligendo: deinde quem probauit, in eo quæ maxime excellent, ea diligentissime persequatur. Quid enim causæ censetis esse, cur ætates extulerint singulæ singula propè genera dicendi? Quod non tam facilè in nostris oratoribus possumus iudicare, quia scripta, ex quibus iudicium fieri posset, non multa sanè reliquerunt, quam in Græcis, ex quorum scriptis, cuiusque ætatis quæ dicendi ratio uoluntasq; fuerit, intelligi potest. Antiquissimi ferè sunt, quorum quidem scripta constent, Pericles, atque Alcibiades, & eadem ætate Thucydides: subtiles, acuti, breues, sententijs magis quàm uerbis abundantes. Non potuisset accidere, ut unum esset omnium genus, nisi aliquem sibi proponerent ad imitandum. Consecuti sunt hos Critias, Theramenes,

nes,

nes, Lysias: multa Lysiæ scripta sunt, nonnulla Critiæ, de Theramene audiuimus: omnes etiam tũ retinebant illum Periclis succum, sed erant paulò uberiore filo. Ecce tibi exortus est Isocrates magister istorum omnium, cuius è ludo, tanquã ex equo Troiano innumeri principes exierunt. sed eorum partim in pompa, partim in acie illustres esse uoluerunt. Itaq; & illi, Theopompus, Ephorus, Philistus, Naucrates, multiq; alij naturis differunt, uoluntate autem similes sunt inter sese: & magistri, & ij qui se ad causas contulerunt, ut Demosthenes, Hyperides, Lycurgus, Aeschines, Dinarchus, aliiq; complures, etsi inter se pares non fuerunt, tamen sunt omnes in eodem ueritatis imitandæ genere uersati: quorum quandiu mansit imitatio, tamdiu genus illud dicendi studiumq; uixit. Posteaquam extinctis his, omnis eorũ memoria sensim obscurata est, & euanuit, alia quædã dicendi molliora, ac remißiora genera uiguerũt. Inde Demochares, quem aiunt sororis filiũ fuisse Demosthenis, tũ Phalereus ille Demetrius omnium istorũ mea sententia politißimus, aliiq; eorum similes extiterunt: quæ si uolemus usq; ad hoc tempus persequi, intelligemus, ut hodie Alabandensem illum Meneclem et eius fratrem Hieroclem quos ego audiui, tota imitetur Asia, sic semper fuisse aliquem, cuius se similes pleriq; esse uellent. Hanc igitur similitudinem qui imitatione asse-

qui

qui uolet, tū exercitationibus crebris atq; magnis tum scribendo maximè persequatur. Quod si hic noster Sulpitius faceret, multo eius oratio esset presšior, in qua nunc interdum, ut in herbis rustici solēt dicere, in summa ubertate inest luxuries quædam, quæ stylo depascenda est. Hic Sulpitius: Me quidem, inquit, recte mones, idq; mihi gratum est: sed ne te quidem Antoni multum scriptitasse arbitror. Tum ille: Quasi uero, inquit, non ea præcipiā alijs quæ mihi ipsi desunt: sed tamen ne tabulas quidem cōficere existimo: uerū & in hoc ex re familiari mea, & in illo, ex eo quod dico, quantulū idcunque est, quid faciam iudicari potest. Atq; esse tamē multos uidemus, qui neminem imitentur, & suapte natura quod uelint, sine cuiusquā similitudine consequantur: quod & in uobis animaduerti rectè potest Cæsar, & Cotta, quorum alter inusitatum quidem nostris Oratoribus leporem quendā, & salem, alter acutißimum & subtilißimum dicendi genus est consecutus. Neq; uero uester æqualis Curio patre mea sententia uel eloquentißimo temporibus illis, quenquam mihi magnopere uidetur imitari, qui tamen uerborum grauitate, & elegantia, et copia suam quandam expreßit quasi formā figurámque dicendi: quod ego maximè potui iudicare in ea causa, quam ille contra me apud Centumuiros pro fratribus Coßis dixit: in qua nihil illi defuit, quod

Redit ad artem.

non modo copiosus, sed etiã sapiens Orator habere deberet. Verũ ut aliquãdo ad causas deducamus illum quẽ constituimus, & eas quidẽ in quibus plusculum negotij est iudiciorũ, atq; litium: (riserit aliquis fortasse hoc præceptum, est enim non tam acutum, quàm necessarium, magisq; monitoris non fatui, quàm eruditi magistri.) Hoc ei primum præcipiemus, quascunq; causas erit acturus, ut eas diligenter, penitusq; cognoscat. Hoc in ludo non præcipitur, faciles enim causæ ad pueros deferuntur. Lex peregrinum uetat in murum ascendere, ascendit, hostes repulit, accusatur, nihil est negotij huiusmodi causam cognoscere. Rectè igitur nihil de causa discenda præcipiunt, hæc est enim in ludo causarum ferè formula. At uero in foro tabulæ, testimonia, pacta, conuenta, stipulationes, cognationes, affinitates, decreta, responsa, uita deniq; eorum, qui in causa uersantur, tota cognoscenda est: quarum rerum negligentia plerasq; causas, & maximè priuatas (sunt enim multo sæpè obscuriores) uidemus amitti. Ita nonnulli dũ operam suam multam existimari uolunt, ut toto foro uolitare, & à causa ad causam ire uideantur, causas dicunt incognitas: in quo est illa quidem magna offensio, uel negligentiæ susceptis rebus, uel perfidiæ receptis: sed etiam illa maior opinione mea, quòd nemo potest de ea re, quam non nouit, non turpißimè dicere. Ita dum inertiæ

Iubet vt diligẽter perquirat quis status causę.

uitu-

uituperationem, quæ maior est, contemnunt, assequuntur etiam illam, quam magis ipsi fugiunt, tarditatis. Equidem soleo dare operam, ut de sua quisque re me ipse doceat, & ut ne quis alius adsit, quò liberiùs loquatur: & agere aduersarij causam, ut ille agat suam, & quicquid de sua re cogitarit, in medium proferat. Itaque cùm ille discesßit, tres personas unus sustineo summa animi æquitate, meam, aduersarij, iudicis: qui locus est talis, ut plus habeat adiumenti, quàm incommodi, hunc iudico esse dicendum. Vbi plus mali quàm boni reperio, id totum abiudico, atq; reijcio: ita assequor ut alio tempore cogitem quid dicam, & alio dicam, quæ duo plerique ingenio freti simul faciunt: sed certè ijdem illi meliùs aliquanto dicerent, si aliud sumendum sibi tempus ad cogitandum, aliud ad dicendum putarent. Cùm rem penitus causamq; cognoui, statim occurrit animo quæ sit causa ambigui. Nihil est enim quod inter homines ambigatur, siue ex crimine causa constet, ut facinoris: siue ex controuersia ut hæreditatis: siue ex deliberatione, ut belli: siue ex persona, ut laudis: siue ex disputatione, ut de ratione uiuendi, in quo non aut quid factum sit, aut fiat, futurum'ue sit, quæratur, aut quale sit, aut quid uocetur. Ac nostræ ferè causæ, quæ quidem sunt criminum, plerunque inficiatione defenduntur. Nam & de pecunijs repe- De statib.

tundis, quæ maximæ sunt, neganda ferè sunt omnia: et de ambitu rarò illud datur, ut poßis liberalitatē ac benignitatem ab ambitu, atq; largitione seiūgere: de sicarijs, de ueneficijs, de peculatu inficiari necesse est. Id est igitur genus primum causarum in iudicijs, ex controuersia facti: in deliberationibus plerunq; ex futuri, rarò etiam ex instātis, aut facti.

Coniecturalis.

Sæpe autem res non sit nec ne, sed qualis sit, quæritur: ut cùm L. Opimij causam defendebat apud populum audiēte me C. Carbo cōsul, nihil de C. Gracchi nece negabat, sed id iure pro salute patriæ factū esse dicebat, ut eidem Carboni Trib. Pleb. alia tum mente Remp. capessenti P. Africanus de Tiberio Graccho interroganti responderat, iure cæsum uideri. Iure autem omnia defenduntur, quæ sunt eius generis, ut aut oportuerit, aut licuerit, aut necesse fuerit, aut imprudentia, aut casu facta esse uideātur.

Qualitatis.

Iam quid uocetur quæritur, quum quo uerbo quid appellandum sit, contenditur: ut mihi ipsi cum Sulpitio fuit in Norbani causa summa contentio: pleraq; enim de ijs quæ ab isto obijciebantur, cùm confiterer, tamen ab illo maiestatem imminutam negabam: ex quo uerbo lege Apuleia tota illa causa pendebat. Atq; in hoc genere causarum nonnulli præcipiunt, ut uerbum illud quod causam facit, lucidè breuiter uterq; definiat. Quod mihi quidem perquàm puerile uideri solet. Alia est enim cum inter doctos homi-

Finitiuus.

homines de ijs ipsis rebus quæ uersantur in artibus disputatur, uerborum definitio: ut cùm quæritur quid sit ars, quid sit lex, quid sit ciuitas. In quibus hoc præcipit ratio atq; doctrina, ut uis eius rei quã definias, sic exprimatur, ut neq; absit quicquam, neque supersit: quod quidem in illa causa neq; Sulpitius fecit, neq; ego facere conatus sum. Nam quantum uterq; nostrûm potuit, omni copia dicendi dilatauit quid esset maiestatem minuere. Etenim definitio primùm reprehenso uerbo uno, aut addito, aut dempto, sæpe extorquetur è manibus, deinde genere ipso doctrinam redolet exercitationemq; penè puerilem, tum & in sensum, & in mentem iudicis intrare non potest, antè enim præterlabitur, quã percepta est. Sed in eo genere in quo quale sit quid ambigitur, existit etiam ex scripti interpretatione sæpe contentio, in quo nulla potest esse nisi ex ambiguo controuersia. Nam illud ipsum, cùm scriptum à sententia discrepat, genus quoddam habet ambigui: quod tũ explicatur, cùm ea uerba quæ desunt, suggesta sunt, quibus additis, defenditur sententiam scripti perspicuam fuisse, & ex contrarijs scriptis si quid ambigitur, non nouum genus nascitur, sed superioris generis causa duplicatur: id'que aut nunquam dijudicari poterit, aut ita dijudicabitur, ut referendis præteritis uerbis id scriptũ quodcunq; defendimus, suppleatur: ita fit ut unum genus

Ambigui statum & reliquas species ad qualitatis statum refert.

in ijs causis quæ propter scriptum ambiguntur, relinquatur, si est scriptum aliquid ambiguè. Ambiguorum autem cùm plura genera sunt, quæ mihi uidentur ij melius nosse qui dialectici appellantur, ij autem nostri ignorare, qui non minus nosse debeāt: tum illud est frequentißimum in omni consuetudine uel sermonis, uel scripti, cùm idcirco aliquid ambigitur, quod aut uerbum, aut uerba sint prætermissa. Iterum autem peccant, cùm genus hoc causarum quod in scripti interpretatione uersatur, ab illis causis in quibus qualis quæque res sit disceptatur, seiungunt. Nusquam enim tam quæritur quale sit genus ipsum rei, quàm in scripto: quod totum à facti controuersia separatum est. Ita tria sunt omnino genera quæ in disceptationem, & controuersiā cadere possunt, quid fiat, factum futurum'ue sit, aut quale sit, aut quomodo nominetur. Nā illud quidem, quod quidam Græci adiungunt, recte'ne factum sit, totum in eo est, quod quale sit quærimus. Sed iam ad institutum reuertar meum. Cùm igitur accepto causæ genere, cognitam rem tractare cœpi, nihil prius constituo, quàm quid sit illud, quo mihi referenda sit omnis illa oratio quæ sit propria quæstionis et iudicij: deinde illa duo diligentißimè cōsidero, quorum alterum cōmendationem habet nostrā, aut eorum quos defendimus: alterum est accommodatum ad eorum animos apud quos dicimus, ad id

Epilogus. Quot status.

quod

quod uolumus, commouendos. Ita ratio omnis dicendi tribus ad persuadendum rebus est nixa, ut probemus uera esse ea quæ defendimus, ut conciliemus nobis eos qui audiunt, ut animos eorum ad quemcunq; causa postulabit motum uocemus. Ad probandum autem duplex est Oratori subiecta materies: una rerum earum quæ nõ excogitantur ab Oratore, sed in re proposita ratione tractantur, ut tabulæ, testimonia, pacta, conuenta, quæstiones, leges, senatusconsulta, res iudicatæ, decreta, responsa, & reliquæ, si qua sunt, quæ non ab Oratore pariuntur, sed ad Oratorem à causa atque à reis deferuntur. Altera est, quæ tota in disputatione, & argumentatione Oratoris collocata est. Ita in superiore genere de tractandis argumentis, in hoc autem etiam de inueniedis cogitandum est. Atque isti quidem qui docent, cùm causas in plura genera secuerunt, singulis generibus argumentorum copiam suggerunt. Quod etiamsi ad instituendos adolescentulos magis aptum est, ut simulac posita sit causa, habeant quò se referant, unde statim expedita poßint argumenta depromere: tamen & tardi ingenij est riuulos consectari, fontes rerum non uidere: & iam ætatis est, usus'que nostri, à capite quod uelimus arcessere, & unde omnia manant, uidere. Et primum genus illud earum rerum, quæ ad Oratorem deferuntur, meditatum nobis in perpetuum ad

Præcipit de argumentis.

omnem usum similium rerũ esse debebit. Nam pro tabulis, & contra tabulas, & pro testibus, & contra testes, pro quæstionibus, & contra quæstiones, & item de cæteris rebus eiusdem generis uel separatim dicere solemus de genere uniuerso, uel definite de singulis temporibus, hominibus, causis. Quos quidem locos (uobis hoc Cotta & Sulpiti dico) multa commentatione, atq; meditatione paratos, atq; expeditos habere debetis. Longũ est enim nunc me explicare qua ratione aut confirmare, aut infirmare testes, tabulas, quæstiones oportet. Hæc sunt omnia ingenij uel mediocris, exercitationis autem uel maximæ: artẽ quidem & præcepta duntaxat hactenus requirunt, ut certis dicendi luminibus ornentur. Itemq; illa, quæ sunt alterius generis, quæ tota ab Oratore pariuntur, excogitationem non habent difficilem, explicationem magis illustrem, perpolitamq; desiderant. Itaq; cùm hæc duo nobis quærenda sint in causis, primùm quid, deinde quomodo dicamus: alterum quod totum arte tinctum uidetur, tametsi artem requirit, tamen prudentiæ est penè mediocris, quid dicendum sit, uidere. Alterum est, in quo Oratoris uis illa diuina, uirtusq; cernitur, ea quæ dicenda sunt, ornatè, copiosè, uarie'que dicere. Quare illam partem superiorem, quoniam semel ita uobis placuit, non recusabo quo minùs perpoliam, atque conficiam: quantum

tum consequar, uos iudicabitis, quibus ex locis ad eas tres res quæ ad finem faciendam solæ ualent, ducatur oratio, ut & concilientur animi & doceantur & moueantur. Hæc sunt enim tria numero: ea uerò quemadmodum illustrentur, præsto est qui omnes docere poßit, qui hoc primus in nostros mores induxit, q maximè auxit, qui solus effecit. Nanque ego Catule (dicam enim non reuerens assentatiõdi suspicionem) neminem esse Oratorem paulò illustriorem arbitror, neq; Græcum, neque Latinum, quem ætas nostra tulerit, quem non & sæpe, & diligenter audierim. Itaq; si quid est in me, quod iam sperare uideor, quoniam quidem uos his ingenijs homines tantum operæ mihi ad audiendum datis, ex eo est, quòd nihil quisquam unquam me audiente egit Orator, quod non in memoria mea penitus insederit. Atq; ego is qui sum, quantuscunq; sum adiudicãdus, omnibus auditis Oratoribus, sine ulla dubitatione sic statuo, & iudico, neminem omnium tot et tanta, quãta sint in Crasso, habuisse ornamenta dicendi. Quamobrem si uos quoq; hoc idem existimatis, non erit ut opinor, iniqua partitio, si cùm ego hunc Oratorem quem nunc fingo, ut institui, creâro, aluero, confirmâro, tradam eum Crasso & uestiendum, & ornandum. Tum Crassus: Tu uerò inquit, Antoni perge ut instituisti. Neque enim boni est, neq; liberalis parentis, quem procrearit & edux-

Excursus. Encomiũ Crasi.

παρασκευή lib. tertij.

eduxerit, eum non & uestire, & ornare, præsertim cum te locupletem esse negare non poßis. Quod enim ornamentum, quæ uis, qui animus, quæ dignitas illi Oratori defuit, qui in causa peroranda non dubitauit excitare reum consularem, & eius diloricare tunicam, & iudicibus cicatrices aduersas senis Imperatoris ostendere? Qui idem hoc accusante Sulpitio, cũ hominem seditiosum, furiosumq; defenderet, non dubitauit seditiones ipsas ornare, ac demonstrare grauißimis uerbis multos sæpè impetus populi non iniustos esse, quos præstare nemo poßit: multas etiam è Rep. seditiones sæpè esse factas, ut cùm reges essent exacti, ut cùm tribunitia potestas esset cõstituta, illam Norbani seditionem ex luctu ciuium, & ex Cepionis odio, qui exercitum amiserat, neq; reprimi potuisse, & iure esse cõflatam. Potuit hic locus tam anceps, tam inauditus, tam lubricus, tam nouus, sine quadam incredibili ui ac facultate dicendi tractari? Quid ego de Cn. Manlij, quid de Q. Regis commiseratione dicam? Quid de alijs innumerabilibus? in quibus hoc nõ maximè enituit, quod tibi omnes dant, acumen quoddam singulare: sed hæc ipsa quæ nunc ad me delegare uis, ea semper in te eximia, & præstantia fuerunt. Tũ Catulus, ego uerò, inquit, in uobis hoc maximè admirari soleò, quòd cùm inter uos in dicendo dißimillimi sitis, ita tamen uterq; uestrũ dicat, ut ei nihil

Laus Antonij.

hil neq; à natura denegatum, neq; à doctrina non delatũ esse uideatur. Quare Crasse neq; tu tua suauitate nos priuabis, ut si quid ab Antonio aut prætermissum, aut relictum sit, non explices: neque te Antoni si quid non dixeris, existimabimus non potuisse potiùs quàm à Crasso dici maluisse. Hic Crassus, Quin tu, inquit, Antoni omittis ista quæ proposuisti, quæ nemo horum desiderat, quibus ex locis ea quæ dicenda sint in causis, reperiantur? Quæ quanquam abs te nouo quodam modo, præclare que dicuntur, sunt tamen & re faciliora, & præceptis peruagata. Illa deprome nobis, unde afferas quæ sæpissimè tractas, semperq́; diuinitus. Depromam equidem, inquit Antonius, et quo faciliùs id à te exigam, quod peto, nihil tibi à me postulanti recusabo. Meæ totius orationis, & istius ipsius in dicendo facultatis quã modò Crassus in cælum uerbis extulit, tres sunt rationes, ut antè dixi: una conciliandorum hominum, altera docendorum, tertia concitandorum. Harum trium partium prima lenitatem orationis, secunda acumen, tertia uim desiderat: nã hoc necesse est, ut is qui nobis causam adiudicaturus sit, aut inclinatione uoluntatis propendeat in nos, aut defensionis argumentis adducatur, aut animi permotione cogatur. Sed quoniam illa pars in qua rerum ipsarum explicatio, ac defensio posita est, uidetur omnem huius generis quasi doctrinam

Preponit reliquæ orationis summam

con-

continere, de ea primùm loquemur, & pauca dicemus. Pauca enim sunt quæ usu iam tractata, & animo quasi habere notata uideamur. Ac tibi sapiēter monenti L. Crasse libenter assentiemur, ut singularum causarum defensiones, quas solent magistri pueris tradere, relinquamus: aperiamus autem ea capita, unde omnis ad omnem & causam, & orationem disputatio ducitur. Neq; enim quoties uerbum aliquod est scribendum nobis, toties eius uerbi literæ sunt cogitatione conquirendæ: nec quoties causa dicenda est, toties ad eius causæ seposita argumenta reuolui nos oportet: sed habere certos locos, qui ut literæ ad uerbum scribendum, sic illi ad causam explicandam statim occurrant. Sed hi loci ei demum Oratori prodesse possunt, qui est uersatus in rebus, uel usu, quem ætas deniq; affert: uel auditione, et cogitatione, quæ studio & diligentia præcurrit ætatem. Nam si tu mihi quamuis eruditum hominē adduxeris, quamuis acrem, & acutum in cogitando, quamuis ad pronūtiandum expeditum, si erit idem in consuetudine ciuitatis, in exemplis, in institutis, in moribus ac uoluntatibus ciuium suorum hospes, non multum ei loci proderunt illi, ex quibus argumenta promuntur. Subacto mihi ingenio opus est, ut agro non semel arato, sed nouato & iterato, quò meliores fœtus poßit, & grandiores edere. Subactio autem est usus, auditio, lectio, literæ. Ac primum

Parergon quę requirat præter artem.

Subactio.

mum naturam causæ uideat, quæ nunquam latet, factum'ne sit quæratur, an quale sit, an quod nomen habeat: quo perspecto, statim occurrit naturali quadam prudentia, non his subductionibus quas isti docent, quid faciat causam, id est, quo sublato controuersia stare non poßit: deinde quid ueniat in iudicium: quod isti sic iubent, quærere: Interfecit Opimius Gracchum, Quid facit causam? Quòd Reip. causa, eum ex senatuscõsulto ad arma uocasset. Hoc tolle, causa nõ erit. At id ipsum negat contra leges licuisse Decius: ueniet igitur in iudicium, licuerítne ex senatusconsulto seruandæ Reip. causa. Perspicua sunt hæc quidem, & in uulgari prudentia sita: sed illa quærenda, quæ ab accusatore & defensore argumenta ad id quod in iudicium uenit, spectantia debeant afferri. Atq; hic illud uidendum in quo summus est error istorum magistrorum, ad quos liberos nostros mittimus, non quo hoc quidem ad dicendum magnopere pertineat, sed tamen ut uideatis quàm sit genus hoc eorum, qui sibi eruditi uidentur, hebes, atq; impolitum. Constituunt enim in partiendis orationum modis duo genera causarum. Vnum appellant, in quo sine personis, atq; temporib. de uniuerso genere quæratur: alterum quod personis certis & temporibus definiatur: ignari omnes controuersias ad uniuersi generis uim, & naturam referri. Nam in ea ipsa causa de qua antè dixi, nihil per-

Quę ratio inueniendorũ argumentorũ, nẽpe quod statu reperto, eò dirigenda sunt omnia argumenta.

De thesib. disseri, nõ de hypothesibus.

pertinet ad Oratoris locos Opimij persona, nihil Decij. De ipso enim uniuerso genere infinita quæstio est, num pœna uideatur esse afficiendus, qui ciuem ex senatusconsulto patriæ conseruandæ causa interfecerit, cùm id per leges non liceret. Nulla deniq; est causa, in qua id quod in iudicium uenit, ex eorum personis, ac non generum ipsorum, uniuersa disputatione quæratur. Quin etiam in ijs ipsis, ubi de facto ambigitur, cœperit ne contra leges pecunias P. Decius, argumenta, & criminum, & defensionis reuocentur oportet ad genus & ad naturam uniuersam: quod sumptuosus, de luxuria: quod alieni appetens, de auaritia: quod seditiosus, de turbulentis, & malis ciuibus: quod à multis arguitur, de genere testium: contraq; quæ pro reo dicentur: omnia necessariò à tempore, atque homine ad communes rerum & generum summas reuoluentur. Atque hæc forsitan homini non omnia quæ sunt in natura rerum, celeriter animo comprehendenti, per multa uideantur, quæ ueniant in iudicium tum cùm de facto quæratur: sed tamen criminum est multitudo, non defensionum, aut locorum infinita. Quæ uerò cùm de facto nõ ambigitur, quæruntur qualia sint: ea si ex reis numeres, & innumerabilia sunt, & obscura: si ex rebus, ualde & modica, & illustria. Nã si Mancini causam in uno Mancino ponimus, quotiescunque is quem Paterpatratus dediderit, receptus

Hypotheses infinitæ, & innumerabiles, theses paucę, & quæ arte cõprehendi possunt.

Exempla.

ptus non erit, toties causa noua nascetur. Sin illa controuersia causam facit, uideatur'ne ei, quem Paterpatratus dediderit, si is non sit receptus, postliminium esse: nihil ad artem dicendi, nec ad argumenta defensionis Mancini nomen pertinet. Ac si quid affert praeterea hominis aut dignitas, aut indignitas extra quaestionem est: & ea tamen ipsa oratio ad uniuersi generis disputationem referatur necesse est. Haec ego non eo consilio disputo, ut homines eruditos redarguam: quanquã reprehendendi sunt, qui in genere definiendo istas causas describunt in personis, & in temporibus positas esse. Nam etsi incurrunt tempora, & personae, tamen intelligendum est, non ex ijs, sed ex genere quaestionis pendere causas. Sed hoc nihil ad me, nullum enim nobis certamen cum istis esse debet: tantum satis est intelligi, ne hoc quidem eos consecutos, quod in tanto otio etiam sine hac forensi exercitatione efficere potuerunt, ut genera rerum discernerent, eaq; paulò subtilius explicarent. Verum hoc (ut dixi) nihil ad me. Illud ad me, ac multo etiam magis ad uos, Cotta noster, & Sulpiti: quomodo nunc se istorum artes habent, pertimescenda est multitudo causarum. est enim infinita. Si in personis ponitur, quot homines, tot causae: sin ad generum uniuersas quaestiones referuntur, ita modicae et paucae sunt, ut omnes eas diligentes & memores, & so-

& sobrij Oratores percursas animo, & propè decantatas habere debeant: Nisi fortè existimatis à M.Curio causam didicisse L.Crassum, & ea re multum attulisse quamobrem posthumo non nato, Curium tamen hæredem Coponij esse oporteret. Nihil ad copiam argumentorum, neque ad causæ uim ac naturam, nomen Coponij ac Curij pertinuit: in genere erat uniuerso rei, negotijq́;, non in tempore ac nominibus omnis quæstio, cùm scriptum ita sit: Si mihi filius gignitur, isq́; prius moritur, & cætera, tũ, ut mihi ille sit hæres. Si natus filius non sit, uideatur'ne is qui filio mortuo institutus hæres sit, hæres esse? Perpetui iuris, & uniuersi generis quæstio non hominum nomina, sed rationem dicendi, & argumentorum fontes desiderat. In quo etiã isti nos iurisconsulti impediunt, à discendoq́; deterrẽt. Video enim in Catonis & Bruti libris nominatim ferè referri quid alicui de iure uiro aut mulieri responderint: credo, ut putaremus in hominibus, non in re consultationis aut dubitationis causam aliquam fuisse: ut quòd homines essent innumerabiles debilitati à iure cognoscendo, uoluntatem discendi simul cum spe perdiscendi abijceremus. Sed hæc Crassus aliquando nobis expediet, & exponet descripta generatim, est enim, ne fortè nescias, heri nobis ille hoc Catule pollicitus, se ius ciuile, quod nunc diffusum & dißipatum est, in certa genera

Debilitati sic in pfecto Oratore, p deterriti, in principio

co-

coacturum, & ad artem facilè redacturum. Et quidem, inquit Catulus, haudquaquam id est difficile Crasso, qui & quod disci potuit de iure didicit, & quod ijs, qui eum docuerunt, defuit, ipse affert: ut quæ sint in iure, uel acutè describere, uel ornatè illustrare poßit. Ergo ista, inquit Antonius, tum à Crasso discemus, cùm se de turba, & à subsellijs in otium (ut cogitat) solitudinemq; contulerit. Iam id quidem sæpe, inquit Catulus, ex eo audiui, cùm diceret sibi certum esse, à iudicijs, causisq; discedere: sed ut ipsi soleo dicere, non licebit: Neque enim ipse auxilium suum sæpe à uiris bonis frustra implorari patietur, neq; id æquo animo feret ciuitas: quæ si uoce L. Craßi carebit, ornamento quodam sese spoliatam putabit. Nam hercule, inquit Antonius, si hæc uerè à Catulo dicta sunt, tibi mecum in eodē est pistrino Crasse uiuendum, & istā oscitantem & dormitantem sapientiam Scæuolarum, & cæterorum beatorum otio concedamus. Arrisit hic Crassus leuiter, &, pertexe modo, inquit, Antoni, quod exorsus es: me tamen ista oscitans sapientia, simul atque ad eam cōfugero, in libertatem uindicabit. Huius quidem loci, quem modò sum exorsus, hic est finis, inquit Antonius, quoniam intelligitur non in hominum innumerabilibus personis, neq; infinita temporum uarietate, sed in generum causis, atque naturis omnia sita esse,

Epilogus, quo rursū colligit instruendos esse thesium locos.

quæ in dubium uocarentur: genera autem esse definita non solùm numero, sed etiã paucitate: ut eam materiẽ orationis quæ cuiusq; esset generis, studio si qui essent dicendi, omnibus locis descriptam, instructam, ornatamq; comprehenderent, rebus dico, & sententijs. Ea ui sua uerba parient, quæ sẽp satis ornata mihi quidem uideri solent, si eiusmodi sunt, ut ea res ipsa peperisse uideatur. Ac si uerum quæritis, q mihi quidem uideatur (nihil enim aliud affirmare possum, nisi sententiã, & opinionẽ meã) hoc instrumentũ causarum, et generum uniuersorũ in forum deferre debemus: neq; ut quæq; res delata ad nos erit, tum deniq; scrutari locos, ex quibus argumẽta eruamus: quæ quidem omnib. qui ea mediocriter modò considerarint, studio adhibito, & usu pertractata esse possunt: sed tamen animus referendus est ad ea capita, et ad illos quos sæpe iã appellaui locos, ex quibus omnia ad omnẽ orationem inuenta ducuntur. Atq; hoc totum est, siue artis, siue animaduersionis, siue consuetudinis, nosse regiones, intra quas uenire debeas, ut peruestiges quod quæras. Vbi eum locum omnem cogitatione sepseris, si modo usum rerum percallueris, nihil te effugiet: atq; omne quod erit in re occurret atq; incidet. Et sic cùm ad inueniendum in dicendo hæc tria sint, acumen, deinde ratio, quam licet (si uolumus) appellemus artem, tertium diligentia: nõ possum equidẽ

Epilogi pars est, quo cũ arte ingeniũ & diligentiã cõfert.

non

non ingenio primas concedere: sed tamē ipsum ingenium diligentia etiam ex tarditate incitat. Diligentia inquam cùm omnibus in rebus, tum in causis defendendis plurimum ualet. Hæc præcipuè colenda est nobis hæc semper adhibenda: hæc nihil est, quod non assequatur. Causa ut penitus, quod initio dixi, nota sit, diligentia est. Vt aduersariū attente audiamus, atq; ut eius non solùm sententias, sed etiam uerba omnia excipiamus, uultus denique perspiciamus omnes, qui sensum animi plerunq; indicant, diligentia est. Id tamen dissimulanter facere, ne sibi ille aliquid proficere uideatur, prudentia est. Deinde ut in ijs locis quos proponā paulò pòst, peruolutatur animus, ut se penitus insinuet in causam, ut sit cura, & cogitatione intentus, diligentia est. Vt his rebus adhibeat tanquam lumen aliquod memoriam, ut uocem, ut uires, hæc magna sunt. Inter ingenium quidem, & diligentiam perpaululum loci reliquum est arti. Ars demonstrat tantum ubi quæras, atq; ubi sit, illud quod studeas inuenire. Reliqua, quæ sunt in cura, attentione animi, cogitatione, uigilantia, assiduitate, labore, complectar hoc uno uerbo, quo sæpe iam usi sumus, diligentia: qua una uirtute omnes uirtutes reliquæ continentur. Nā orationis quidem copia uidemus ut abundēt Philosophi, qui (ut opinor, sed tu hæc Catule melius) nulla dant præcepta dicēdi, nec idcirco minùs quæcūq;

Quid ars efficiat.

Diligentia.

res proposita est, suscipiunt, de qua copiose, & abundantur loquantur. Tum Catulus, Est, inquit, ut dicis Antoni, ut pleriq; Philosophi nulla tradant præcepta dicendi, et habeant paratum tamen quid de quaq; re dicant. Sed Aristoteles, is quem maximè ego admiror, proposuit quosdam locos, ex quibus omnis argumentatio non modo ad Philosophorum disputationē, sed etiam ad hanc qua in causis utimur, inueniretur: à quo quidē homine iamdudum Antoni non aberrat oratio tua, siue tu similitudine illius diuini ingenij in eadem incurris uestigia, siue etiam illa ipsa legisti, atq; didicisti: quod quidē mihi magis uerisimile uidetur. Plus enim te operæ Græcis dedisse rebus uideo, quàm putarā. Tum ille, Verum, inquit, ex me audies Catule. Semper ego existimaui iucundiorem, et probabiliorem huic populo oratorē fore, qui primum quàm minimam artificij alicuius, deinde nullam Græcarum rerū significationem daret. Atq; ego idem existimaui, pecudis esse non hominis, cum tantas res Græci susciperent, profiterentur, agerēt, seseq; & uidendi res obscurißimas, & bene uiuendi, & copiose dicendi rationem hominibus daturos pollicerētur, non admouere aurem: & si palam audire eos non auderes ne minueres apud tuos ciues authoritatē tuam, subauscultando tamen excipere uoces eorum, & procul, quid narrarent, attendere. Itaque feci Catule, & istorum

istorum omnium summatim causas, & genera ipsa gustaui: Valde hercule, inquit Catulus, timide, tanquam nauē ad aliquem libidinis scopulum, sic tuam mentē ad Philosophiā appulisti, quam hæc ciuitas aspernata nunq̄ est. Nam & referta quondam Italia Pythagoreorū fuit tum cum erat in hac gente magna illa Græcia: ex quo etiā quidam Numā Pompilium illum regē nostrum fuisse Pythagoreum ferunt, qui annis permultis antè fuit quā ipse Pythagoras: quo etiā maior uir habendus est, cū illam sapientiā constituēdæ ciuitatis duobus propè seculis antè cognouit, quā eam Græci natam esse senserūt. Et certe nō tulit ullos hæc ciuitas aut gloria clariores, aut authoritate grauiores, aut humanitate politiores, P. Africano, C. Lælio, L. Furio, qui secum eruditissimos homines ex Græcia palam semper habuerunt. Atq; ego ex istis sæpe audiui cum dicerēt, pergratum Athenienses, & sibi fecisse, & multis principibus ciuitatis, quòd cùm ad senatum legatos de suis maximis rebus mitterēt, tres illius ætatis nobilissimos Philosophos misissent, Carneadem, & Critolaum, & Diogenem: itaque eos dum Romæ essent, & à se, & ab alijs frequenter auditos: quos tu cùm haberes authores Antoni, miror cur Philosophiæ, sicut Zethus ille Pacuuianus, propè bellum indixeris. Minimè, inquit Antonius: ac sic decreui philosophari potiùs, ut Neoptolemus

Numa Pompilius.

apud Ennium, paucis: nam omnino haud placet. Sed tamen hæc est mea sententia, quam uidebar exposu isse. Ego ista studia non improbo, moderata modò sint, Opinionem istorum studiosorũ, & suspicionẽ artificij apud eos, qui res iudicent, oratori aduersariam esse arbitror. Imminuit enim & oratoris authoritatem, & orationis fidem. Sed ut eò reuocetur unde huc declinauit oratio, ex tribus istis clarißimis Philosophis, quos Romã uenisse dixisti, uidésne Diogenem fuisse, qui diceret artem se tradere bene disserendi, & uera, ac falsa diiudicandi, quam uerbo Græco διαλεκτικὴν appellaret? in hac arte, si modo est hæc ars, nullum est præceptũ quomodo uerum inueniatur: sed tantum est, quomodo iudicetur. Nam & omne quod eloquimur, fit ut id aut esse dicamus, aut non esse: et si simpliciter dictum sit, suscipiunt dialectici ut iudicent uerúmne sit an falsum. & si coniunctè sit elatum, & adiuncta sint alia, iudicent recténe adiuncta sint, & ueráne summa sit uniuscuiusq; rationis: et ad extremũ ipsi se compungunt suis acuminibus, & multa quærendo reperiunt, non modò ea quæ iam non poßint ipsi dissoluere, sed etiam quibus antè exorsa, uel potius detexta propè retexantur. Hic nos igitur Stoicus iste nihil adiuuat: quoniam quemadmodum inueniã quid dicam, non decet: atq; idem etiã impedit, quòd & multa reperit quæ neget ullo modo

Quid Philosophi cõferant. Quid Stoici.

posse

poße dißolui, & genus sermonis affert non liquidum, non fusum, ac profluens, sed exile, aridum, concisum, ac minutū: quod si quis probabit, ita probabit, ut oratori tamen aptum non esse fateatur. Hæc enim nostra oratio multitudinis est aurib. accōmodanda ad oblectandos animos, ad impellendos, ad ea probanda quæ non aurificis statera, sed quadam populari trutina examinantur. Quare istam artem totam dimittamus, quæ in excogitandis argumentis muta nimium est, in iudicandis nimium loquax. Critolaum istum, quem simul cum Diogene uenisse commemoras, puto plus huic studio nostro prodesse potuisse. erat enim ab isto Aristotele, à cuius inuentis tibi ego uideor non longe aberrare. Atq; inter hunc Aristotelem, cuius & illum legi librum, in quo exposuit dicendi artes omnium superiorum, & illos in quib. ipse sua quædā de eadē arte dixit, & hos germanos huius artis magistros, hoc mihi uisum est intereße, q̧ ille eadem acie mentis, qua rerum omniū uim naturamq; uiderat, hæc quoq; aspexit, quæ ad dicendi artē, quā ille despiciebat, pertinebant: illi aūt qui hoc solum colendum ducebant, laborarunt in hac una ratione tractanda nō eadem prudentia qua ille, sed usu in hoc uno genere, studioq; maiore. Carneadis uerò uis incredibilis illa dicendi, & uarietas perquàm esset optanda nobis, qui nullam unquam in illis suis disputationibus rem

Quid Peripatetici.

Quid Academici.

defendit, quam non probarit: nullam oppugnauit, quam non euerterit. Sed hoc maius est quiddam, quàm ab ijs, qui hæc tradunt, & docent, postulandum sit. Ego autem si quem nunc planè rudem instituí ad dicendũ uelim, his potius tradam aßiduis, uno opere eandem incudem diẽ noctemq; tundentib. qui omnes tenuißimas particulas, atq; omnia minima mansa, ut aiunt, nutrices infantibus pueris in os inserant. Sin sit is, qui & doctrina mihi liberaliter institutus, & aliquo iã imbutus usu, & satis acri ingenio esse uideatur, illuc eum rapiã, ubi non seclusa aliqua aquula teneatur, sed unde uniuersum flumen erumpat, & illi sedes, et tanquam domicilia omniũ argumentorũ commõstret, & ea breuiter illustret, uerbisq; definiat. Quid enim est, in quo hæreat qui uiderit omne, quod sumatur in oratione, aut ad probandum, aut ad refellendum, aut ex sua sumi ui, atq; natura, aut assumi foris? Ex sua ui, cum aut res quæ sit tota quæratur, aut pars eius aut uocabulum quod habeat, aut quippiam, rem illam quod attingat. Extrinsecus autem, cum ea quæ sunt foris, neq; inhærẽt in rei natura, colliguntur. Si res tota quæritur, definitione uniuersa uis explicanda est, sic: Si maiestas est amplitudo ac dignitas ciuitatis: is eam minuit, qui exercitum hostibus Pop. Romani tradidit non qui eum qui id fecisset, Pop. Romani potestati tradidit. Sin pars, partitione, hoc modo: Aut senatui paren-

Loci.

A definitione.

A diuisione.

parẽdum de salute Reip. fuit, aut aliud cõsilium instituendum, aut sua sponte faciendum. Aliud consilium, superbum: suum, arrogans: utendum igitur fuit cõsilio senat9. Sin ex uocabulo, ut Carbo: Si cõsul est qui cõsulit patriæ, quid aliud fecit Opimius? Sin ab eo quod rem attingat, plures sunt argumentorũ sedes, ac loci. Nam & coniuncta quærimus, & genera, & partes generibus subiectas, & similitudines, & dissimilitudines, & contraria, & consequẽtia, & consentanea, & quasi præcurrentia, & repugnantia, et causas rerum uestigabimus, et ea quæ ex causis orta sunt, et maiora, paria, minora quæremus. Ex coniunctis sic argumenta ducuntur: Si pietati summa tribuenda laus est, debetis moueri cum Quintũ Metellum tã piè legere uideatis. Ex genere aũt: Si magistratus in Po. Romani potestate esse debent, quid Norbanũ accusas, cuius tribunatus uolũtati paruit ciuitatis? Ex parte autẽ ea quæ est subiecta generi: Si omnes qui Reip. consulũt, chari nobis esse debent: certè in primis imperatores, quorum consilijs, uirtute, periculis retinemus & nostram salutẽ, & imperij dignitatẽ. Ex similitudine autẽ: Si feræ partus suos diligunt, qua nos in liberos nostros indulgẽtia esse debemus? At ex dissimilitudine: Si barbarorum est in diem uiuere, nostra consilia in sempiternũ tempus spectare debent. Atq; utroq; in genere & similitudinis, et dissimilitudinis

Ab etymologia.

Ex coniugatis.

Ex genere

Ex specie

Ex simili.

Ex dissimili.

exempla sunt ex aliorum factis, aut dictis, aut euentis, & fictæ narrationes sæpe ponendæ. Iam ex contrario: Si Gracchus nefariè: præclarè Opimius. Ex consequentibus: Si & ferro interfectus ille, & tu inimicus eius cū gladio cruento comprehensus es in illo ipso loco, & nemo præter te ibi uisus est, & causa nemini, & tu semper audax, quid est quod de facinore dubitare poßimus? Ex consentaneis, & præcurrentibus, & repugnantibus ut olim Crassus adolescens: Non si Opimium defendisti Carbo, idcirco te isti bonum ciuem putabunt: simulasse te, & aliud quid quæsisse perspicuū est, q; T. Gracchi mortem sæpe in concionibus deplorasti, q; P. Africani necis socius fuisti, quòd eam legem in tribunatu tulisti, quòd semper à bonis dißensisti. Ex causis aūt rerum sic: Auaritiam si tollere uultis, mater eius est tollenda luxuries. Ex ijs autem quæ sunt orta de causis: Si ærarij copijs & ad belli adiumenta, & ad ornamenta pacis utimur: uectigalibus seruiamus. Maiora autem, & minora, & paria comparabimus sic: Ex maiori: Si bona existimatio diuitijs præstat & pecunia tantopere expetitur, quanto gloria magis est expetenda? Ex minore sic:

Ex cōtrario.

Ex cōsentaneis.

Ex causis.

Ex effectis

Hic paruæ consuetudinis,
Causa huius mortem fert tam familiariter.
Quid si ipse amasset? quid mihi faceret patri?

Ex pari sic: Est eiusdem & eripere contra Remp.

&

& largiri pecunias. Foris autem assumuntur ea quæ non sua ui, sed extranea subleuãtur, ut hæc: Hoc uerum est, dixit enim Q. Luctatius: Hoc falsum est, habita enim quæstio est. Hoc sequi necesse est: recito enim tabulas. de quo genere toto paulò antè dixi. Hæc ut breuißimè dici potuerunt, ita à me dicta sunt. Vt enim si aurum cui, quod esset multifariam defossum, commonstrare uellem, satis esse deberet si signa & notas ostenderem locorũ, quibus cognitis ille sibi ipse foderet, & id quod uellet, paruo labore, nullo errore inueniret: sic has ego argumentorum noui notas, quæ illa mihi quærenti demonstrant ubi sint: reliqua cura & cogitatione eruuntur. Quod autem argumentorum genus cuique causarum generi maximè conueniat, non est artis exquisitæ præscribere, sed est mediocris ingenij iudicare. Neq; enim nunc id agimus, ut artem aliquam dicendi explicemus, sed ut doctißimis hominibus usus nostri quasi quædam admonita tradamus. His igitur locis in mente, & cogitatione defixis, & in omni re ad dicendum posita excitatis, nihil erit quod oratorem effugere poßit, non modò in forensibus disceptationibus, sed omnino in ullo genere dicendi. Si uerò assequetur ut talis uideatur, qualem se uideri uelit, & animos eorum ita afficiat apud quos aget, ut eos quocunq; uelit, uel trahere, uel rapere poßit, nihil profectò præterea

Extranea testes, &c.

Epilogus

ad dicendum requiret. Iam illud uidemus, nequaquam satis esse reperire quid dicas, nisi id inventũ tractare poßis. Tractatio autem uaria esse debet, ne aut cognoscat artem qui audiat, aut defatigetur similitudinis satietate. Proponi oportet quid afferas, & id quare ita sit, ostendere, & ex ijsdem illis locis interdum concludere, relinquere aliâs, alioq; transire: sæpe non proponere: ac ratione ipsa afferenda, quid proponendum fuerit declarare: si cui quid simile dicas, prius ut simile confirmes, deinde quod agitur adiungas: puncta argumentorum plerunq; ut occulas, ne quis ea numerare possit: ut re distinguantur, uerbis confusa esse uideantur. Hæc ut & properans, & apud doctos, & semidoctos ipse percurro, ut aliquando ad illa maiora ueniamus. Nihil est enim in dicendo, Catule, maius quàm ut faueat oratori is qui audiet, utq; ipse sic moueatur, ut impetu quodam animi, & perturbatione magis quàm iudicio, aut cõsilio regatur. Plura enim multo homines iudicant odio, aut amore aut cupiditate, aut iracundia, aut dolore, aut lætitia, aut spe, aut timore, aut errore, aut aliqua permotione mentis, quàm ueritate, aut præscripto, aut iuris norma aliqua, aut iudicij formula, aut legibus. Quare nisi quid uobis aliud placet, ad illa pergamus. Paulum, inquit Catulus, etiam nunc deesse uidetur ijs rebus Antoni, quas exposuisti, quod sit tibi

Tractatio

De affectibus.

tibi antè explicandum, quàm illuc proficiſcare, quo te dicis intendere. Quidnã, inquit. Qui ordo tibi placet, inqt Catulus, & quæ diſpoſitio argumentorũ, in qua tu mihi ſemper deus uideri ſoles. Vide q̃ ſim in iſto genere, inquit, Catule, deus. Non me hercule mihi niſi admonito ueniſſet in mentem: ut poſſis exiſtimare me in ea in quib. nonnunquã aliquid efficere uideor, uſu ſolere in dicendo uel caſu potius incurrere. Ac res quidem iſta, quam ego, quia non noram, ſic tanquã ignotum hominem præteribam, tantum poteſt in dicendo, ut ad uincendũ nulla plus poßit. Sed tamen mihi uideris ante tempus à me rationem ordinis & diſponendarum rerum requiſiuiſſe. Nam ſi ego omnem uim oratoris in argumẽtis, & in re ipſa per ſe comprobanda poſuiſſem, tempus eſſet iam de ordine argumentorum, & de collocatione aliquid dicere. Sed cùm tria ſint à me propoſita, de uno dictum: quum de duobus reliquis dixero, tum erit denique de diſponenda tota oratione quærendum. Valet igitur multum ad uincendum, probari mores, inſtituta, & facta, & uitam & eorum qui agent cauſas, & eorũ pro quibus: & item improbari aduerſariorum, animosq; eorum, apud quos agitur, conciliari quã maximè ad beneuolentiam cùm erga oratorem, tũ erga illum pro quo dicet orator. Conciliantur autẽ animi dignitate hominis, rebus geſtis, exiſtimatione

tione uitæ, quæ facilius ornari poßũt, si modo sunt, quàm fingi si nulla sunt. Sed hæc adiuuant in oratore, lenitas uocis, uultus, pudoris significatio, uerborum comitas: si quid persequare acrius, ut inuitus & coactus facere uideare. Facilitatis, liberalitatis, mansuetudinis, pietatis, grati animi, non appetentis, non auidi signa proferri perutile est, eaq́; omnia quæ proborum, demissorum, non acriũ, non pertinacium, non litigiosorum, non acerborũ sunt, ualde beneuolentiam conciliãt, abalienantq́; ab ijs in quibus hæc non sunt. itaq; eadem sunt in aduersarios ex contrario conferenda. Sed genus hoc totum orationis in ijs causis excellet, in quibus minus potest inflammari animus iudicis acri & uehementi quadã incitatione. Non enim semper fortis oratio quæritur, sed sæpe placida, summissa, lenis, quæ maximè commendat reos. Reos aũt appello, non eos modò qui arguuntur, sed omnes quorum de re disceptatur sic enim olim loquebantur. Horum igitur exprimere mores oratione, iustos, integros, religiosos, timidos, perferentes iniuriarum, mirum quiddam ualet: & hoc uel in principijs, uel in re narranda, uel in peroranda tantã habet uim, si est suauiter & cum sensu tractatum, ut sæpe plus quam causa ualeat. Tantum autem efficitur sensu quodam ac ratione dicendi, ut quasi mores oratoris effingat oratio. Genere enim quodam sententiarum,

Rei qui dicantur.

&

& genere uerborum, adhibita etiam actione leni, facilitateq; significandi, efficitur ut probi, ut bene- morati, ut boni uiri esse uideantur. Huic autem est illa dispar adiuncta ratio orationis, quæ alio quodã genere mentes iudicum permouet impellitq;, ut aut oderint, aut diligant, aut inuideant, aut saluum uelint, aut metuant, aut sperent, aut cupiant, aut abhorreant, aut lætentur, aut mœreant, aut misereantur, aut punire uelint: aut ad eos motus adducantur si qui finitimi sunt & propinqui his ac talibus animi perturbationibus. Atq; illud optandum est oratori, aut aliquam permotionem animorum sua sponte ipsi afferant ad causam iudices, ad id, quod utilitas oratoris feret accommodatam. Facilius est enim currentem (ut aiunt) incitare, quam commouere languentem. Sin id aut non erit, aut erit obscurius, sicut medico diligenti prius quàm conetur ægro adhibere medicinam, non solùm morbi eius cui mederi uolet, sed etiam consuetudo ualentis & natura corporis cognoscenda est: sic equidem cum aggredior ancipitem causam & grauem, ad animos iudicum pertractandos omni mente in ea cogitatione curaq; uersor, ut oderer, quàm sagacißimè poßim quid sentiant, quid existiment, quid expectent, quid uelint, quò deduci oratione facilimè posse uideantur. Si se dant, & ut antè dixi, sua sponte quò impellimus inclinant, atque

Mouendã artes pathe.

que propendent, accipio quod datur, & ad id unde aliquis flatus ostenditur, uela do. Sin est integer quietusq; iudex, plus est operis: sunt enim omnia dicendo excitanda nihil adiuuante natura. Sed tantã uim habet illa quæ rectè à bono Poëta dicta est Flexanima, atq; omnium regina rerum oratio, ut non modò inclinantem erigere, aut stantẽ inclinare, sed etiam aduersantẽ & repugnantem, ut imperator bonus ac fortis, capere posit. Hæc sunt illa quæ me ludens Crassus modò flagitabat, quæ à me diuinitus tractari solere diceret, in causa M. Aquilij, Caijque Norbani, nonnullisq; alijs quasi præclarè acta laudaret: quæ me hercle ego Crasse, cũ à te tractantur in causis horrere soleo, tanta uis animi, tantus impetus, tantus dolor oculis, uultu, gestu, digito deniq; isto tuo significari solet: tantũ est flumen grauissimorũ optimorumq; uerborũ: tam integræ sententiæ, tam ueræ, tam nouæ, tam sine pigmentis, fucoq; puerili, ut mihi non solùm tu incendere iudicẽ, sed ipse ardere uidearis. Neq; fieri potest ut doleat is qui audit, ut oderit, ut inuideat, ut pertimescat aliquid, ut ad fletũ misericordiamq; deducatur, nisi omnes ij motus, quos orator adhibere uolet iudici, in ipso oratore impreßi esse, atq; inusti uidebũtur. Quòd si fictus aliquis dolor suscipiendus esset, et si in eiusmodi genere orationis nihil esset nisi falsum, atq; imitatione simulatũ, maior ars aliqua forsitan

Exemplũ Crassi.

esset requirenda. Nunc ego quid tibi Crasse, quid cæteris accidat, nescio: de me autem causa nulla est cur apud homines prudentißimos atq; amicißimos mentiar. Non mehercule unquam apud iudices aut dolorem aut misericordiam, aut inuidiam, aut odium excitare dicendo uolui, quin ipse in commouendis iudicibus ijs ipsis sensibus ad quod illos adducere uellem, permouerer. Neq; enim facile est perficere ut irascatur ei cui tu uelis, iudex, si tu ipse id lentè ferre uideare: neq; ut oderit eum quem tu uelis, nisi te ipsum flagrantem odio antè uiderit: neq; ad misericordiam adducetur, nisi ei tu signa doloris tui uerbis, sententijs, uoce, uultu, collachrymatione deniq; ostenderis. Vt enim nulla materies tam facilis ad exardescendum est, quæ nisi admoto igni ignem concipere poßit: sic nulla mens est tam ad comprehendendam uim oratoris parata, quæ poßit incendi, nisi inflammatus ipse ad eam, & ardens accesserit. Ac ne forte hoc magnum ac mirabile esse uideatur, hominem toties irasci, toties dolere, toties omni animi motu concitari, præsertim in rebus alienis: magna uis est earum sententiarum, atque eorum locorum quos agas, tractesq; dicendo, ut nihil opus sit simulatione & fallacijs. Ipsa enim natura orationis eius quæ suscipitur ad aliorum animos permouendos, oratorem ipsum magis etiam quàm quenquam eorum qui audiunt, permouet. Et

Parabola. Nihil nisi admoto igni accẽditur. Aetiologia. unde alienos affectus nobis induamus.

ne hoc in causis, in iudicijs, in amicorum periculis, in concursu hominum, in ciuitate, in foro accidere miremur: cùm agitur non solùm ingenij nostri existimatio (nam id esset leuius: quanquam cùm professus sis te id posse facere, quod pauci, ne id quidem negligendum est) sed alia sunt maiora multo fides, officium, diligentia: quibus rebus adducti, etiam cũ alienißimos defendimus, tamen eos alienos, si ipsi uiri boni uolumus haberi, existimare non possumus.

Cōfirmat exēplis histrionum. Fabius testatur uidisse se histriōes qui deposita psona flerēt adhuc

Sed, ut dixi, ne hoc in nobis mirum esse uideatur, quid potest esse tam fictum, quàm uersus, quàm scena, quàm fabulæ? tamen in hoc genere sæpe ipse uidi, cùm ex persona mihi ardere oculi hominis histrionis uiderentur, Spondalia illa, dicentis,

Segregare abs te ausus, aut sine illo Salamina ingredi?
Neq; paternum aspectum es ueritus?

Nunquam illum aspectum dicebat, quin mihi Telamon iratus furere luctu filij uideretur: ut idem inflexa ad miserabilem sonum uoce,

quem ætate exacta indigem
Liberum lacerasti, orbasti, extinxti: neq; fratris necis,
Neq; gnati eius parui, qui tibi in tutelam est traditus,

flens ac lugens dicere uidebatur. Quæ si ille histrio quotidie cùm ageret, tamen rectè agere sine dolore non poterat, quid Pacuuium pu-

tatis

tatis in scribendo leni animo ac remisso fuisse? Fieri nullo modo potuit. Sæpe enim audiui, poëtam bonum neminem (id quod à Democrito & Platone in scriptis relictum esse dicunt) sine inflammatione animorum existere posse, & sine quodam afflatu quasi furoris. Quare nolite existimare meipsum, qui non Heroum ueteres casus fictosq; luctus uellem imitari, atque adumbrare dicendo, neque actor essem alienæ personæ, sed author meæ, cùm mihi M. Aquilius in ciuitate retinendus esset, quæ in illa causa peroranda fecerim, sine magno dolore fecisse. Quem enim ego consulem fuisse, imperatorem ornatum à senatu, ouantem in Capitolium ascendisse meminissem, hunc cùm afflictum, debilitatum, mœrentem, in summum discrimen adductum uiderem non prius sum conatus misericordiam alijs commouere, quam misericordia sum ipse captus. Sensi equidem tum magnopere moueri iudices, cum excitaui mœstum ac sordidatum senem, & cùm ista feci, quæ tu Crasse laudas, non arte, de qua quid loquar nescio, sed motu magno animi ac dolore, ut discinderem tunicam, ut cicatrices ostenderem, cum C. Marius mœrorem orationis meæ præsens ac sedens multum lachrymis suis adiuuaret: cumq; ego illum crebro appellans, collegā ei suum commendarem, atq; ipsum aduocatum ad cōmunem imperatorum fortunam de

Suō exemplo.

fendendam inuocarem, non fuit hæc sine meis lachrymis, non sine dolore magno miseratio, omniumq; deorum & hominum, & ciuium, & sociorum imploratio: quibus omnibus uerbis quæ à me tum sunt habita, si dolor abfuisset meus, non modò non miserabilis, sed etiam irridenda fuisset oratio mea Quã ob rẽ hoc uos doceo Sulpiti, bonus ego uidelicet, atq; eruditus magister, ut in dicendo irasci, ut dolere, ut flere poßitis. Quanquam te quidẽ quid hoc doceam? qui in accusando sodali & quæstore meo tantũ incendium non in oratiõe solum, sed multo etiam magis ui, & dolore, & ardore animi cõcitaras, ut ego ad id restinguendum uix conarer accedere. Habueras enim tu omnia in causa superiora, uim, fugam, lapidationem, crudelitatem, tribunitiam in Cepionis graui miserabiliq; casu, in iudicium uocabas, deinde principem & senatus & ciuitatis M. Aemilium lapide percussum esse constabat: ui pulsum ex templo L. Cottam, & T. Didium, cum intercedere uellent rogationi, nemo poterat negare. Accedebat, ut hæc tu adolescens pro Rep. queri summa cum dignitate existimarere: ego homo Censorius uix satis honestè uiderer seditiosum ciuem, & in hominis consularis calamitate crudelem, posse defendere. Erant optimi ciues iudices, bonorum uirorum plenum forum, uix ut mihi tenuis quædam uenia daretur excusationis quòd tum

eum defenderem, qui mihi quæstor fuisset. Hic ego quid dicam? me artem aliquam adhibuisse? Quid fecerim, narrabo: si placuerit, uos meam defensionem in aliquo artis loco reponetis. Omnium seditionum genera, uitia, pericula collegi: eamq; orationem ex omni Reip. nostræ temporum uarietate repetiui, conclusiq; ita, ut dicerem, etsi omnes molestæ semper seditiones fuissent, iustas tamen fuisse nonnullas, & propè necessarias: tū illa quæ modo Crassus commemorabat, egi, neque reges ex hac ciuitate exigi, neque Tribunos Pl. creari, neque plebiscitis toties consularem potestatem minui, neq; prouocationem patronam illam ciuitatis, ac uindicem libertatis Pop. Romano dari sine nobilium dissensione potuisse: ac si illæ seditiōes saluti huic ciuitati fuissent, non continuò si quis motus populi factus esset, id C. Norbano in nefario crimine, atque in fraude capitali esse ponendum. Quòd si unquā Po. Romano concessum esset ut iure incitatus uideretur, id quod docebam sæpe esse concessum: nullam illa causam iustiorem fuisse. Tum omnem orationē traduxi & conuerti in increpandam Cepionis fugam, in deplorandum interitum exercitus. Sic & eorum dolorem qui lugebant suos, oratione refrigerabam: & animos equitum Romanorū, apud quos tum iudices causa agebatur, ad Q. Cepionis odium, à quo erant ipsi propter iudicia abalienati, re-

Causa Norbani

Ab exemplis.

A causa.

nouabam atq; reuocabã. Quòd ubi sensi me in possessione iudicij ac defensionis meæ constitisse, quòd & populi beneuolentiam mihi conciliaram, cuius ius etiam cum seditionis cõiunctione defenderam, & iudicum animos totos uel calamitate ciuitatis, uel luctu ac desiderio propinquorum, uel odio proprio in Cepionem, ad causam nostram conuerteram, tunc admiscere huic generi orationis uehemẽti atq; atroci genus illud alterum, de quo antè disputaui, lenitatis & mansuetudinis, cœpi me pro meo sodali, qui mihi in liberûm loco more maiorum esse deberet, & pro mea omni fama propè fortunisq; decernere: nihil mihi ad existimationem turpius, nihil ad dolorem acerbius accidere posse, quàm si is, qui sæpe alienißimis à me, sed meis tamen ciuibus saluti existimarer fuisse, sodali meo auxilium ferre non possem. Petebam à iudicibus ut illud ætati meæ, ut honoribus, ut rebus gestis, si iusto, si pio dolore me esse affectum uiderent, concederẽt, præsertim si in alijs causis intellexissent, omnia me semper pro amicorũ periculis, nihil unquã pro me ipso deprecatũ. Sic in illa omni defensiõe, atq; causa quod esse in arte positũ uidebatur, ut de lege Apuleia dicerem, ut quid esset minuere maiestatem, explicarem, perq̃ breuiter perstrinxi atq; attigi. His duabus partibus orationis, quarum altera concitationem habet, altera commen-

A sua Antonij persona,

datio-

dationem, quæ minimè præceptis artium sunt per-politæ, omnis est à me illa causa tractata, ut & acerrimus in Cepionis inuidia renouãda, & in meis morib. erga meos necessarios declarãdis mansuetissimus uiderer, ita magis affectis animis iudicũ, q̃ doctis, tua Sulpiti est à nobis tum accusatio uicta.

Hic Sulpitius: Verè hercule, inquit, Antoni, ista commemoras: nam ego nihil unquam uidi quod tam è manibus elaberetur, quàm mihi tum est elapsa illa causa. Cùm enim, quemadmodum dixisti, tibi ego non iudicium, sed incendium tradidissem, quod tuum principium, dij immortales, fuit? qui timor? quæ dubitatio? quanta hæsitatio, tractusq; uerborum? Vt tu illud initio, quod tibi unum ad ignoscendũ homines dabant, tenuisti, te pro homine pernecessariò quæstore tuo dicere? quàm tibi primum munisti ad te audiendum uiam? Ecce autẽ cum te nihil aliud profecisse arbitrarer, nisi ut homines tibi ciuem improbum defendenti ignoscẽdum propter neceßitudinẽ arbitrarentur, serpere occultè cœpisti, nihil dũ alijs suspicantib. me uerò iã pertimescẽte ut illã non Norbani seditionẽ, sed illã Po. Romani iracundiã, neq; eam iniustam, sed meritã ac debitam fuisse defenderes. Deinde qui locus abs te prætermißus est in Cepionem? Vt tu illa oĩa odio, inuidia, misericordia miscuisti? Nec hæc solùm in defensione, sed etiã in Scauro, cæterisq; meis testibus

quorum tu testimonia non refellendo, sed ad eundē impetum populi confugiendo, refutasti. Quæ cùm abs te modo commemorarentur, equidē nulla præcepta desiderabam. istam enim ipsam demonstrationem defensionum tuarum ab ipso commemoratam, doctrinam esse non mediocrem puto. Atqui si ita placet, inquit Antonius, trademus etiam quæ nos sequi in dicendo, quæq; maximè spectare solemus. Docuit enim iam nos longa uita, usúsq; rerum maximarū, ut quib. rebus animi hominū mouerentur, teneremus. Equidē primum considerare soleo, postulet ne causa: nā neq; paruis in reb. adhibendæ sunt hæ dicendi faces, neq; ita animatis hominib. ut nihil ad eorū mentes oratione flectendas proficere poßimus: ne aut irrisione aut odio digni putemur, si aut tragœdias agamus in nugis, aut conuellere adoriamur ea quæ non poßint commoueri. nā quoniam hæc fere maximè sunt in iudicum animis, aut quicunq; illi erunt apud quos agamus, oratione molliendа, amor, odium, iracundia, inuidia, misericordia, spes, lætitia, timor, molestia: sentimus amorē conciliari, si id uelle uideare, quod sit utile ipsis apud quos agas, defendere: si aut pro bonis uiris, aut certè pro ijs q illis boni atq; utiles sint, laborare. Nanq; hæc res amorē magis cōciliat, illa uirtutis defensio charitatem: plusq; proficit si proponitur spes utilitatis futuræ, q̃ præteriti beneficij commemora-

Vbi conueniat.

moratio. Enitendum est ut ostendas in ea re, quam defendas, aut dignitatem inesse, aut utilitatem: eũq; cui concilies hunc amorem, significes nihil ad utilitatem suam retulisse, ac nihil omnino fecisse causa sua. Inuidetur enim commodis hominum ipsorum, studijs autem eorum cæteris commodandi fauetur. Dignitatis & utilitatis mentione conciliari aios.

Videndumq́; hoc loco est, ne quos ob benefacta diligi uolemus, eorum laudem, atq; gloriam, cui maximè inuideri solet, nimis efferre uideamur. Atque ijsdem his ex locis & odium in alios struere discemus, & à nobis ac nostris dimouere. Eademq́; hæc genera tractanda sunt in iracundia uel excitanda, uel sedanda. Nam si quod ipsis qui audiunt, perniciosum aut inutile sit, id factum augeas, odium creatur. Sin quod aut in bonos uiros, aut in eos quos quisq; minimè debuerit, aut in Rempub. tum excitatur, si non tam acerbum odium, tamen aut inuidiæ aut odij non dißimilis offensio. Item timor incutitur aut ex ipsorum periculis, aut ex communibus. Interior est ille proprius, sed hic quoq; communis ad eandem similitudinem est perducendus. Par atque una est ratio spei, lætitiæ, molestiæ. Sed haud sciam an acerrimus longe sit omnium motus inuidiæ: nec minus uirium opus sit in ea comprimenda, quàm in excitanda. Inuident autem homines maxime paribus, aut inferioribus, cum se relictos sentiunt, illos autem dolent euolasse. Sed etiam supe-

Turpitudo & damnum odiũ conflant.

Inuidiã arrogãtia, et esse quiddã pręter meritum cõsecutũ.

rioribus inuidetur sæpe uehementer, & eo magis, si intollerãtius se iactant, & æquabilitatem cõmunis iuris, præstantia dignitatis aut fortunæ suæ trãscunt. Quæ si inflammanda sunt, maximè dicendũ est, non esse uirtute parta, deinde etiam uitijs atq; peccatis. Tum si erunt honestiora atq; grauiora, tamen nõ esse tanti ulla merita, quanta sit insolentia hominis, quantumq; fastidium. Ad sedandum autẽ, magno illa labore magnisq; periculis esse parta, nec ad suum commodum, sed ad aliorum esse collata: seseq; si quã gloriã peperisse uideatur, tametsi ea nõ sit æqua merces periculi, tamẽ ea non delectari, totamq; abijcere atq; deponere. Omninoq; perficiendum est (quoniam pleriq; sunt inuidi, maximeq; est hoc commune uitium, & peruagatum: inuidetur autem præstanti florentiq; fortunæ) ut hæc opinio minuatur, & illa excellens opinione fortuna, cum laboribus & miserijs permista esse uideatur.

Misericordiam calamitas.

Iam misericordia mouetur, si is qui audit, adduci potest ut illa quæ de altero deplorentur, ad suas res reuocet, quas aut tulerit acerbas, aut timeat, aut intuens alium, crebro ad se ipsum reuertatur. Ita cum singuli casus humanarum miseriarum grauiter accipiuntur, si dicuntur dolenter, tum afflicta & prostrata uirtus maxime luctuosa est: & ut illa altera pars orationis, quæ probitatis commendatione boni uiri debet speciẽ tueri, lenis (ut sæpe

iam dixi) atq; summissa: sic hæc quæ suscipitur ab oratore ad commutandos animos, atq; omni ratione flectendos, intenta ac uehemens esse debet. Sed est quædam in his duobus generibus, quorum alterum lene, alterum uehemens esse uolumus, difficilis ad distinguendum similitudo. Nam ex illa lenitate qua conciliamur ijs qui audiunt, ad hanc uim acerrimam qua eosdem excitamus, influat oportet aliquid, et ex hac ui nonnunquã animi aliquid influendum est illi lenitati: neq; est ulla temperatior oratio quã illa in qua asperitas contentionis, oratoris ipsius humanitate conditur: remißio autẽ lenitatis quadam grauitate, & cõtentione firmatur. In utroque aũt genere dicendi, & illo in quo uis atq; contentio quæritur, & hoc q ad uitam & mores accõmodatur: et principia tarda sunt, et exitus tamẽ spißi & producti esse debent. Nã neq; aßiliendum statim est ad illud genus orationis, (abest enim totũ à causa: & homines prius ipsum illud quod propriũ sui iudicij est, audire desiderãt) nec cũ in eam rationem ingressus sis celeriter discedendũ est. Non enim sicut argumentũ simul atq; positum est, arripitur, alterumq; & tertium poscitur: ita misericordiã, aut inuidiam, aut iracundiam, simul atq; intuleris, poßis commouere. Argumentũ enim ratio ipsa cõfirmat: quæ simul atq; emissa est, adhærescit. Illud aũt genus orationis nõ cognitionẽ iudicis, sed

Ethicõ pathetico misceri.

inflandũ.

Initia leniora finis concitatior.

Vrgendos esse affectus copia orationis post probationem

magis

magis perturbationẽ requirit: quam conſequi niſi multa, & uaria, & copioſa oratione, & ſimili contentione actionis nemo poteſt. Quare qui aut breuiter, aut ſummiſſe dicunt, docere iudicem poſſunt: commouere non poſſunt: in quo ſunt omnia. Iam illud perſpicuum eſt, omnium rerum in contrarias partes facultatem ex ijſdem ſuppeditari locis.

Docet reſpõdentẽ quomodo argumẽta ſint diluenda.

Sed argumento reſiſtendum eſt, aut ijs, quæ comprobandi eius cauſa ſumuntur, reprehendendis: aut demonſtrando id quod concludere illi uelint, nõ effici ex propoſitis, nec eſſe conſequens: aut ſi ita non refellas, afferendũ eſt in contrariam partẽ quod ſit aut grauius, aut æquè graue.

Quomodo affectꝰ cõuellẽdi.

Illa autem quæ à conciliationis cauſa leuiter, aut permotionis uehementer aguntur, contrarijs commotionibus inferẽda ſunt, ut odio beneuolentia, ut miſericordia inuidia tollatur.

De facetijs. Arte tradi non poſſe.

Suauis aũt eſt & uehementer ſæpè utilis iocus, & facetiæ: quæ etiam ſi alia omnia tradi arte poſſunt, naturæ ſunt propria certè, neq; ullam artem deſiderant: in quibus tu longè alijs mea ſententia Cæſar excellis: quo magis mihi etiã teſtis eſſe potes aut nullam eſſe artem ſalis, aut ſi qua eſt, eã nos tu potiſſimũ docebis. Ego uerò, inquit Cæſar, omni de re facetiùs puto poſſe ab homine non inurbano, quàm de ipſis facetijs diſputari. Itaq; cum quoſdam Græcos inſcriptos libros eſſe uidiſſem de ridiculis, nonnullam in ſpem ueneram poſſe me aliquid ex

iſtis

istis discere. Inueni aũt ridicula & salsa multa Græcorum. Nam & Siculi in eo genere, & Rhodij, & Byzantij, & præter cæteros Attici excellunt, sed qui eius rei rationem quãdam conati sunt artemq; tradere, sic insulsi extiterunt, ut nihil aliud eorum nisi ipsa insulsitas rideatur. Quare mihi quidem uidetur nullo modo doctrina ista res posse tradi. Etenim cum duo genera sint facetiarum, alterum æquabiliter in omni sermone fusum, alterum peracutum & breue: illa à ueteribus superior, cauillatio: hæc altera, dicacitas nominata est. Leue nomẽ habet utraque res: quippe leue enim est totum hoc, risum mouere. Veruntamen, ut dicis Antoni, multum in causis persæpe lepôre & facetijs profici uidi. Sed quum in illo genere perpetuæ festiuitatis ars non desideretur, (natura enim fingit homines, & creat imitatores, & narratores facetos, & uultu adiuuante, & uoce, & ipso genere sermonis) tum uerò in hoc altero dicacitatis quid habet ars loci, cum antè illud facete dictum emissum hærere debeat, quàm cogitari potuisse uideatur? Quid enim hic meus frater ab arte adiuuari potuit, quum à Philippo interrogatus quid latraret, furem se uidere respondit? Quid in omni oratione Crassus uel apud Centumuiros contra Scæuolam, uel contra accusatorem Brutum, cum pro Cn. Planco diceret? Nã id quod tu mihi tribuis, Antoni, Crasse est

Distributio.

omni-

omnium sententia concedendum. Non enim fere quisquam reperietur præter hunc in utroque genere lepôris excellens, & illo quod in perpetuitate sermonis, & hoc quod in celeritate atq; dicto est. Nam hæc perpetua contra Scæuolam Curiana defensio tota redundauit hilaritate quadam, & ioco: dicta illa breuia non habuit. Parcebat enim aduersarij dignitati: in quo ipso seruabat suam: quod est hominibus facetis & dicacibus difficilimum, habere hominum rationem & temporum, & ea quæ occurrant, cùm salsißimè dici poßint, tenere. Itaq; nonnulli ridiculi homines hoc ipsum non insulse interpretantur. Dicere enim aiunt Ennium flammam à sapiente facilius ore in ardente opprimi, quàm bona dicta teneat. Hæc scilicet bona dicta, quæ salsa sint. Nam ea dicta appellantur proprio iam nomine. Sed ut in Scæuolam continuit ea Crassus, atque illo altero genere, in quo nulli aculei contumeliarũ inerant, causam illam disputationemq; elusit: sic in Bruto, quem oderat, & quem dignum contumelia iudicabat, utroq; genere pugnauit. Quàm multa de balneis, quas nuper ille uendiderat: quàm multa de amisso patrimonio dixit? Atque illa breuia, cùm ille diceret se sine causa sudare. Minimè mirum, inquit, modò enim existi de balneis. Innumerabilia huiuscemodi fuerunt, sed nõ minus illa iucũda perpetua, cũ enim Brutus duos lectores excitasset, &

Dicta, quę dicantur.

alteri

alteri de colonia Narbonensi Craßi orationem legendam dedisset, alteri de lege Seruilia, & cum cōtraria inter sese de Rep. capita contulisset, noster hic facetißimè tres patris Bruti de iure ciuili libellos tribus legendos dedit. Ex lib. I. FORTE EVENIT VT IN PRIVERNATI ESSEMVS. Brute, testificatur pater se tibi Priuernatem fundum reliquisse. Deinde ex libro II. IN ALBANO ERAMVS EGO ET MARCVS FILIVS. Sapiens uidelicet homo cum primis nostræ ciuitatis, norat hunc gurgitem, metuebat ne cum is nihil haberet, nihil esse ei relictū putaretur. Tum ex lib. III. in quo finem scribendi fecit (tot enim, ut audiui Scæuolā dicere, sunt ueri Bruti libri) IN TIBVRTI FORTE ASSEDIMVS EGO ET M. FILIVS. Vbi sunt ij fundi Brute, quos tibi pater publicis cōmentarijs consignatos reliquit? Quòd nisi puberem te, inquit, iam haberet, quartum librum composuißet, & se etiam in balneis lotū cum filio, scriptum reliquisset. Quis est igitur qui non fateatur hoc lepore atq; ijs facetijs non minùs refutatum esse Brutum, quàm illis tragœdijs quas egit idem cùm casu in eadem causa cum funere efferretur anus Iunia? prò dij immortales, quæ fuit illa, quanta uis, quàm inexpectata, quàm repentina? cum coniectis oculis, gestu omni, imminenti, summa grauitate, & celeritate? uerbo-

rum.

rum. Brute, quid sedes? quid illam anum patri nunciare uis tuo? quid illis omnibus quorum imagines duci uides, quid maioribus tuis, quid Lucio * Bruto, qui hūc populum dominatu regio liberauit? quid te facere? cui rei, cui gloriæ, cui uirtuti studere? patrimonio'ne augendo? At id non est nobilitatis. sed fac esse: nihil superest: libidines totū dissipauerunt. An iuri ciuili? est paternum: sed dicet, te, cum ædes uenderes, ne in rutis quidem, & cæsis soliū tibi paternū recepisse. An rei militari, qui nunquā castra uideris? An eloquentiæ, quæ nulla est in te, & quicquid est uocis ac linguæ, omne in istum turpissimū calumniæ quæstum contulisti? Tu lucem aspicere audes? tu hos intueri? tu in foro, tu in urbe, tu in ciuium esse conspectu? Tu illam mortuam, tu imagines ipsas non perhorrescis? quibus nō modo imitādis, sed ne collocandis quidem tibi ullum locum reliquisti. Sed hæc tragica atq; diuina: faceta aūt & urbana innumerabilia ex una concione meministis. Nec enim concio maior unquam fuit, nec apud populum grauior oratio, quàm huius contra collegam in cēsura nuper, neque lepôre, & festiuitate conditior. Quare tibi Antoni utrunq; assentior, & multum facetias in dicendo prodesse sæpe, & eas arte nullo modo posse tradi. Et illud qdē admiror, te nobis in eo genere tribuisse tantū, & nō huius rei quoq; palmam, ut cæterarum, Crasso detulisse. Tum Antonius,

* Iulio

nius, Ego uerò ita fecissem, inquit, nisi interdum in hoc Crasso paulum inuiderem. Nam esse quamuis facetum, atq; salsum, non nimis est per se ipsum inuidendum: sed cùm omnium sis uenustißimus, & urbanißimus, omnium grauißimum & seuerißimum & esse & uideri, quod isti contigit uni, id mihi uix ferendum uidebatur. Hic cùm arrisisset Crassus, Attamen, inquit Antonius, cùm artem esse facetiarum Iuli negares, aperuisti quiddã quod præcipiendum uideretur. Haberi enim dixisti rationẽ oportere hominum, rei, temporis, ne quid iocus de grauitate decerperet, quod quidẽ in primis à Crasso obseruari solet. Sed hoc præceptum prætermittendum est facetiarum, cùm his nihil opus sit: nos autem quomodo utamur cùm opus sit, quærimus ut in aduersarium, & maximè si eius stultitia poterit agitari, in testem stultum, cupidum, leuem, si facilè homines audituri uidebuntur, omnino probabiliora sunt quæ laceßiti dicimus, quàm quæ priores. Nam & ingenij celeritas maior est, quæ apparet in respondendo, & humanitatis est responsio. Videmur enim quieturi fuisse, nisi essemus laceßiti: ut in ista ipsa concione nihil fere dictum est ab hoc, quod quidem facetius dictum uideretur, quod non prouocatus responderit. Erat autẽ tanta grauitas in Domitio, tanta authoritas, ut quod esset ab eo obiectum, lepore magis eleuandum, quàm con-

Regulæ.

tentione frangendum uideretur. Tum Sulpitius: Quid igitur? inquit, patiemur Cæsarem, qui quanquam Crasso facetias concedit, tamen multo in eo studio magis ipse elaborat, non explicare totum nobis genus hoc iocandi quale sit, & unde deducatur? præsertim cum tantam uim & utilitatem salis & urbanitatis esse fateamur? Quid si, inquit Iulius, assentior Antonio dicenti nullam esse artem salis? Hic cùm Sulpitius reticuisset: Quasi uerò, inquit Crassus, horum ipsorum, de quibus Antonius tam diu loquitur, ars ulla sit: Obseruatio quædam est, ut ipse dixit, earum rerum quæ in dicendo ualent: quæ si eloquentes facere posset, quis esset non eloquens? Quis enim hæc uel non facile, uel certè aliquo modo posset ediscere? Sed ego in his præceptis hanc uim, & hanc utilitatem esse arbitror, nõ ut ad reperiendum quid dicamus, arte ducamur, sed ut ea quæ natura, quæ studio, quæ exercitatione consequimur, aut recta esse confidamus, aut praua intelligamus, quum quò referenda sint, didicerimus. Quare Cæsar, ego quoque à te hoc peto, ut si tibi uidetur, disputes de hoc toto iocandi genere quid sentias, ne qua fortè dicendi pars, quoniam ita uoluistis, in hoc tali cœtu, atque in tam accurato sermone præterita esse uideatur. Ego uerò inquit, ille quoniam collectam à conuiua Crasse exigis, non committam ut si defugerim, tibi causam

Exordiũ Cæsaris.

sam aliquam dem recusandi: quanquam soleo sæpe mirari eorum impudentiam, qui agunt in scena gestum spectante Roscio. Quis enim sese commouere potest, cuius ille uitia non uideat? Sic ego nunc Crasso audiente primùm loquar de facetijs, & docebo sus (ut aiunt) oratorem eum quem cum Catulus nuper audisset, fœnum alios aiebat esse oportere. Tum ille, locabatur, inquit Catulus, præsertim cùm ita dicat ipse, ut ambrosia alendus esse uideatur. Verùm te Cæsar audiamus, ut ad Antonij reliqua redeamus. Et Antonius, Perpauca qdẽ mihi restant, inquit: sed tamen defessus iam labore atq; itinere disputationis meæ, requiescã in Cæsaris sermone, quasi in aliquo peropportuno diuersorio. Atqui, inquit Iulius, non nimiũ liberale hospitium meũ dices. nam te in uiã, simul ac perpaululum gustaris, extrudã & eijciam. Ac ne diutius uos demorer, de omni isto genere qd sentiã perbreuiter exponã. De risu quinq; sunt quæ quærantur: unũ, quid sit: alterum, unde sit: tertium, sit'ne oratoris uelle risum mouere: quartum, quatenus: quintum, quæ sint genera ridiculi. Atq; illud primum, quid sit ipse risus, quo pacto cõcitetur, ubi sit, quomodo existat, atq; ita repente erũpat, ut eũ cupientes tenere nequeamus, & quomodo simul latera, os, uenas, uultum, oculos occupet, uiderit Democritus. Neque enim ad hunc sermonẽ hoc pertinet: & si ptineret,

Beneuolẽtiam extenuatione captat.

Quid sit risus.

nescire me tamen id non puderet, quod ne ipsi quidem illi scirent qui pollicerentur. Locus autem & regio quasi ridiculi (nã id proximè quæritur) turpitudine, & deformitate quadam continetur. Hæc enim ridentur uel sola, uel maximè, quæ notant, & designant turpitudinẽ aliquam nõ turpiter. Est autem, ut ad illud tertium ueniam, est planè oratoris, mouere risum, uel quòd ipsa hilaritas beneuolentiam conciliat ei per quẽ excitata est, uel quòd admirantur omnes acumen uno sæpe in uerbo positũ, maximè respondẽtis, nonnunquã etiam lacessentis: uel q; frangit aduersarium, quòd impedit, quòd eleuat, quòd deterret, quòd refutat, uel quòd ipsum oratorẽ politum esse hominem significat, quòd eruditũ, q; urbanum, maximeq́; q; tristitiam ac seueritatem mitigat, & relaxat, odiosasq́; res sæpe, quas argumentis dilui non facile est, ioco risuq́; dissoluit. Quatenus autem sint ridicula tractanda oratori, perquàm diligenter uidendum est: id quod in quarto loco quærendi posueramus. Nam nec insignis improbitas, & sceleri iuncta, nec rursus miseria insignis agitata ridetur. Facinorosos enim maiore quadam ui, quàm ridiculi uulnerari uolunt: miseros illudi nolunt, nisi si se fortè iactant. Parcendum est autem maximè charitati hominum, ne temerè in eos dicas qui diliguntur. Hæc igitur adhibenda est primũ in iocando moderatio.

Materia.

Sitne oratoris.

Quatenus.

Itaq;

Itaq; ea facilimè luduntur, quæ neq; odio magno, nec misericordia maxima digna sunt. Quamobrem materies omnis ridiculorum est in istis uitijs, quæ sunt in uita hominum neq; charorũ, neq; calamitosorum, neq; eorũ qui ob facinus ad supplicium rapiendi uidentur: eaq; belle agitata ridẽtur. Est etiã deformitatis, & corporis uitiorum satis bella materies ad iocandum. Sed quærimus idẽ quod in cæteris rebus maximè quærendum est, quatenus. In quo non modò illud præcipitur, ne quid insulsè, sed etiam si quid perridiculè poßis. Vitandum est oratori utrunq;, ne aut scurrilis iocus sit, aut mimicus. Quæ cuiusmodi sint facilius iam intelligemus, cum ad ipsa ridiculorum genera deuenerimus. Duo enim sunt genera facetiarum, quorum alterum re tractatur, alterum dicto. Re, si quando quid tanquam aliqua fabella narratur, ut olim tu Crasse in Memmium, comedisse eum lacertum Largij, cùm esset cum eo Tarracinæ de amicula rixatus. Salsa, attamen à te ipso ficta tota narratio, Addidisti clausulam, tota Tarracina: tum omnibus in parietib. inscriptas fuisse literas, tria L L L, duo M M. Cùm quæreres id quid esset, senem tibi quendam oppidanum dixisse, Lacerat lacertum Largij mordax Memmius. Perspicitis hoc genus quàm sit facetum, quàm elegans, quàm oratorium, siue habeas uerè quod narrare poßis, quod tamen est mendaciunculis asper-

Facetiæ re dicto.

gendum: siue fingas. Est autem hæc huius generis uirtus, ut ita facta demonstres, ut mores eius de quo narres, ut sermo, ut uultus omnes exprimantur: ut ijs qui audiunt, tum geri illa, fieriq; uideantur. In re est item ridiculum, quod ex quadam deprauata imitatione sumi solet, ut idem Crassus, Per tuam nobilitatem, per uestram familiam. Quid aliud fuit in quo concio rideret, nisi illa uultus, & uocis imitatio? PER TVAS STATVAS uerò cùm dixit, & extento brachio paululum etiam de gestu addidit, uehementius risimus. Ex hoc genere est illa Rosciana imitatio senis:

Tibi ego Antipho asſero, inquit, senium est cùm audio.

Atque ita est totum hoc ipso genere ridiculum, ut cautißimè tractandum sit. Mimorum est enim ethologorum si nimia est imitatio, sicut obscœnitas. Orator surripiat oportet imitationem: ut is qui audiat, cogitet plura quàm uideat. Præstet idem ingenuitatem, & ruborem suum, uerborum turpitudine, & rerum obscœnitate uitanda. Ergo hæc duo genera sunt eius ridiculi quod in re positũ est: quæ sunt propria perpetuarum facetiarum, in quibus describuntur hominum mores, & ita effinguntur, ut aut re narrata aliqua quales sunt intelligantur, aut imitatione breuiter iniecta in aliquo insigni ad irridendũ uitio reperiantur. In dicto autem ridiculum

Vitanda uerborũ turpitudo obscœnitas in imitando.

culum

culum est id quod uerbi aut sententiæ quodam acumine mouetur: sed ut in illo superiore genere uel narrationis, uel imitationis uitanda est mimorum ethologorum similitudo, sic in hoc scurrilis oratori dicacitas magnopere fugienda est. Quid igitur? distinguemus à Crasso, à Catulo, à cæteris familiarem uestrum Granium, aut Vargulam amicum meum? Non me hercule in mentem mihi quidem uenit, sunt enim dicaces: Granio quidem nemo dicacior. Hoc opinor primùm, ne quotiescunque potuerit dictum dici, necesse habeamus dicere: Pusillus testis processit. Licet, inquit, rogare? Philippus tum quæsitor properans, modò breuiter: hic ille, non accusabis: per pusillum rogabo: Ridicule, sed sedebat iudex L. Aurifex, breuior etiam quã ipse testis: omnis est risus in iudicem conuersus: uisum est totum scurrile iudicium. Ergo hæc, quæ cadere possunt in quos nolis, quamuis sint bella, sunt tamen ipso genere scurrilia: ut iste, qui se uult dicacem, & me hercule est, Appius, sed nonnunquam in hoc uitiũ scurrile delabitur: Cœnabo, inquit, apud te, huic Lusco familiari meo C. Sextio: uni enim locum uideo. Est hoc scurrile, & quod sine causa lacesßiuit, & tamẽ id dixit quod in omnes luscos cõueniret. Et quia meditata putantur esse, minùs ridentur. Illud egregium Sextij, & ex tempore, Manus laua, inquit, & cœna. Temporis igitur ratio

Vitanda scurrilitas.

& ipsius dicacitatis moderatio, & tēperantia, & raritas dictorum distinguet oratorem à scurra: & quod nos cum causa dicimus, non ut ridiculi uideamur, sed ut proficiamus aliquid, illi totum diem, & sine causa. Quid enim est Vargula assecutus, cum eum candidatus A. Sempronius cum Marco suo fratre cōplexus esset, Puer abige muscas? Risum quæsiuit, qui est mea sententia uel tenuißimus ingenij fructus. Tempus igitur dicendi prudentia, & grauitate moderabimur: quarum utinam artē aliquam haberemus: sed domina natura est. Nunc exponamus genera ipsa summatim quæ risum maximè moueant. Hæc igitur sit prima partitio: Quod facetè dicatur, id aliàs in re habere, aliàs in uerbo facetias: maximè autem homines delectari, si quando risus coniunctè re uerboq; moueatur. Sed hoc mementote, quoscunq; locos attingam, unde ridicula ducantur, ex ijsdem locis ferè etiam graues sententias posse duci: tantum interest, quod grauitas honestis in reb. seuerè, iocus in turpiculis & quasi deformibus ponitur: uelut in ijsdē uerbis, & laudare frugi seruū poßumus, et si est nequam, iocari. Ridiculum

Neuianū est illud Neronianū † uetus in furace seruo, solum esse, cui domi nihil sit nec obsignatum, nec occlusum: quod idem in bono seruo dici solet, sed hoc ijsdē etiā uerbis. Ex ijsdem autē locis omnia nascūtur. Nā quod Sp. Caruilio grauiter claudicanti ex uulnere

ob

ob Rempub. accepto, & ob eam causam uerecundā-ti in publicū prodire, mater dixit, Quin prodis mi Spuri, ut quotiescunq; gradum facias, toties tibi tuarum uirtutū ueniat in mentem? præclarū, et graue est, Quod Caluino Glaucia claudicanti, Vbi est uetus illud? num claudicat? at hic clodicat, hoc ridiculū est: & utrunq; ex eo quod in claudicatione animaduerti potuit, est ductū. Quid hoc Næuio ignauius? Seuerè Scipio. At in male olentem, Video me à te nō conueniri sed circumueniri: subridiculè Philippus. At utrunq; genus cōtinet uerbi ad literā immutati similitudo. Ex ambiguo dicta uel argutißima putantur: sed nō semper in ioco, sæpe etiam in grauitate uersantur. Africano illi maiori coronam sibi in conuiuio ad caput accommodanti, cùm ea sæpiùs rumperetur, P. Lucinius Varus, Noli mirari, inquit, si non conuenit, caput enim magnum est laudabile & honestum, At ex eodem genere est, Caluus satis est quod dicit. Parum'ne multa? Nullum genus est ioci, quo non ex eodem seuera & grauia sumantur. Atq; hoc etiam animaduertendum, non eße omnia ridicula faceta. Quid enim potest eße tam ridiculum, quàm Sannio est? sed ore, uultu, imitādis moribus, uoce, deniq; corpore ipso ridetur. Salsum hunc poßum dicere, atq; ita, ut non eiusmodi oratorem esse uelim, sed ut mimum. Quare primum genus hoc quod risum uel maximè mouet, non

Vitia uitā da facetis

Distortū os.

Imitatio morum.

vox.

Obscœnitas.

est nostrum, morosum, superstitiosum, suspiciosum, gloriosum, stultum. Naturæ ridentur ipsæ, quas personas agitare solemus, non sustinere. Alterum genus est imitatione admodum ridiculũ, sed nobis tantũ licet furtim si quando, & cursim. Alterũ minime est liberale. Tertium, oris deprauatio, non digna nobis. Quartum, obscœnitas, non solum non foro digna, sed uix conuiuio liberorum. Detractis igitur tot rebus ex hoc oratorio loco, facetiæ reliquæ sunt quæ aut in re, ut antè diuisi, positæ uidentur esse: aut in uerbo, nam quod quibuscunq; uerbis dixeris, facetum tamen est: re continetur, quod mutatis uerbis salem amittit, in uerbis habet lepôrem omnem. Ambigua sunt in primis acuta, atq; in uerbo posita, nõ in re: sed non sæpe magnum risum mouent, magis ut belle, & literate dicta laudantur: ut in illum Titium, qui cùm studiose pila luderet, et idem signa sacra noctu frangere putaretur, gregalesq; eum in campũ non uenisse requirerent, excusauit Vespa Terentius, quòd eum brachiũ fregisse diceret. Vt illud Africani, quod est apud Lucilium, Quid Decius Nuculam? an cõfixum uis facere? inqt. Vt tuus amicus, Crasse, Granius, non esse Sextãtis. Et si quæritis, is qui appellatur dicax, hoc genere maxime excellit, sed risus mouẽt alia maiores. Ambiguum per se ipsum probatus id quidem, ut antè dixi, uel maxime: ingeniosi enim uidetur, uim uerbi in

Primus locus, Ambiguum.

in aliud atque cæteri accipiant, posse ducere: sed admirationem magis quàm risum mouet, nisi si quã do incidit in aliud genus ridiculi: quæ genera percurram equidẽ. sed scitis esse notißimum ridiculi genus, cùm aliud expectamus, aliud dicitur: hic nobismetipsis noster error risum mouet: quòd si admistum est etiam ambiguum sit salsius: ut apud Næuium uidetur esse misericors ille qui iudicatum duci uidens, percontatur ita:

Secundus ἀπροσδόκητον.

Quanti addictus? mille nummûm

Si addidisset tantũmodo, ducas licet: esset illud genus ridiculi præter expectationẽ: se quia addidit,

Nihil addo, ducas licet.

Addito ambiguo altero genere ridiculi, fuit, ut mihi quidem uidetur, salsißimus. Hoc tum est uenustißimũ, cum in altercatione arripitur ab aduersario uerbum, & ex eo, ut à Catulo in Philippum, in eum ipsum aliquid qui laceßiuit, infligitur. Sed cum plura sint ambigui genera, de quibus est doctrina quædam subtilior, attendere, & aucupari uerba oportebit: in quo ut ea quæ sunt frigidiora uitemus, (etenim cauendum est ne arceßitum dictum putetur) permulta tamen acutè dicemus. Alterum genus est, quod habet paruam uerbi immutationem, quod in litera positum Græci uocant Paranomasiam, ut nobiliorem mobiliorem Cato: aut ut idem cum cuidam dixisset, Eamus deambulatum, & ille,

Tertius, Paranomasia.

Quid

Quid opus fuit de? Imò uero, inquit, quid opus fuit te? Aut eiusdem responsio illa, Si tu, & aduersus & Quartus. auersus impudicus es. Etiam interpretatio nominis Aetymologia. habet acumen, cum ad ridiculum conuertas, quamobrem ita quis uocetur: ut ego nuper Nummum diuisorem, ut Neoptolemum ad Troiam, sic illum in campo Martio nomen inuenisse. Atq; hæc omnia Quintus Versus. uerbo continentur, Sæpe etiam uersus facete interponitur, uel ut est, uel paululum immutatus: aut aliqua pars uersus, ut Statius Scauro stomachanti, ex quo sunt nonnulli qui tuam legem de ciuitate natam Crasse dicant,

St, tacete, quid hoc clamoris est? quibus nec pater, nec mater sit,

Tanta confidentia estis? auferte istam enim superbiam.

Nam in Cœlio sanè etiam ad causam utile fuit tuum illud

Antoni, cũ ille à se pecuniã profectã diceret testis, & haberet filium delicatiorem, abeunte iam illo, Sextus. Prouerbia. Sentin' senem esse tactum triginta minis?

In hoc genus coniiciuntur prouerbia, ut illud Scipionis, cũ Asellus omneis prouincias stipendia merentem se peragrasse gloriaretur, Agas Asellum, &c. Quare ea quoq; quoniam mutatis uerbis non possunt retinere eandem uenustatem: non in re, sed in uerbis posita ducantur. Est etiã in uerbo positũ

non

non insulsum genus, ex eo cum ad uerbum, non ad sententiam rem accipere uideare: ex quo uno genere totus est. Tutor minus uetus oppidò ridiculus. Sed abeo à mimis: tantùm genus huius ridiculi insigni aliqua & nota re notari uolo. Est autẽ ex hoc genere illud quod tu Crasse nuper ei qui te rogasset, nũ tibi molestus esset futurus si ad te bene ante lucem uenisset. Tu uero, inquisti, molestus non eris: iubebis igitur te, inquit, suscitari? & tu, Certe negaras te molestum futurum. Ex eodem hoc uetus illud est, quod aiunt Maluginensem illum M. Scipionem, quum ex centuria sua renunciaret Accidinum consulem, præcoq; dixisset, Dic de L. Manlio: Virum bonum, inquit, egregiumq; ciuem esse arbitror. Ridicule etiam illud, L. Porcius Nasica censori Catoni, cum ille: Ex tui animi sententia tu uxorem habes? non hercule inquit, ex animi tui sententia. hæc aut frigida sunt, aut tum salsa cũ aliud est expectatum, NATVRA enim nos (ut ante dixi) noster delectat error, ex quo cum quasi decepti sumus expectatione, ridemus. In uerbis etiam illa sunt quæ aut ex immutata oratione ducuntur, aut ex unius uerbi translatione, aut ex inuersione uerborum. Ex immutatione, ut olim Rusca, cũ legem ferret annalẽ dissuasor M. Seruilius, Dic mihi inquit, M. Primari, num si contra te dixero, mihi male dicturus es, ut cæteris fecisti? Vt sementem feceris, ita metes, inqt. Septimus. Metaphoræ.

Ex

Ex translatione autē, ut cùm Scipio ille maior Corinthijs statuam pollicentibus eo loco ubi aliorū essent imperatorum, turmales dixit displicere. Inuertuntur autem uerba, ut Crassus apud Marcum Perpennam iudicem pro Aculeone cum diceret, aderat contra Aculeonem Gratidiano L. Heluius Lamia deformis, ut nostris, qui cùm interpellaret odiose, Audiamus, inquit, pulchellum puerum, Crassus, cum esset arrisum, Non potui mihi, inquit Lamia, formam ipse fingere: ingenium potui. tum hic, Audiamus, inquit, disertum: multo etiam arrisum est uehementiùs. Sunt etiam illa uenusta, ut in grauibus sententijs, sic in facetijs. Dixi enim dudum materiā aliam esse ioci, aliam seueritatis: grauium autem, et iocorum unam esse rationem. Ornant igitur in primis orationem uerba relata contrariè: quod idem genus est sæpe etiam facetum: ut Sergius ille Galba cùm iudices L. Scribonio tribuno Pl. ferret familiares suos, & dixisset Libo, Quando tandem Galba de triclinio tuo exibis? Cum tu, inquit, de cubiculo alieno. A quo genere ne illud quidem plurimum distat, quod Glaucia Metello, Villam in Tyburte habes, cortem in palatio. Ac uerborum quidem genera quæ essent faceta, dixisse me puto. Rerum plura sunt eaq; magis (ut dixi antè) ridentur, in quib. est narratio, res sanè difficilis. Exprimenda enim sunt, et ponēda ante oculos ea quæ uideātur, et uerisimilia,

Octauus. Ironiæ.

Nonus. Cōtraria.

Rerū loci. Narratio.

lia, quod est proprium narrationis: & quæ sint, quod ridiculi proprium est, subturpia: cuius exemplum, ut breuißimum, sit sanè illud quod antè posui, Craßi de Memmio. Et ad hoc genus adscribamus etiam narrationes apologorum. Trahitur etiam aliquid ex historia: ut cum Sex. Titius se Cassandram esse diceret, Multos, inquit Antonius, possum tuos Aiaces Oïleos nominare. Est etiã ex similitudine, quæ aut collationem habet, aut tanquam imaginem. Collationem, ut ille Gallus olim testis in Pisonem, cũ innumerabilem Magio præfecto pecuniã dixißet datam, idq; Scaurus tenuitate Magij redargueret, Erras, inquit, Scaure: ego enim Magiũ non conseruasse dico, sed tanquã nudus nuces legeret, in uentrem abstulisse. Ut illud, M. Cicero senex huius uiri optimi nostri familiaris pater, nostros homines similes esse Syrorum uenalium: ut quisque optime Græcè sciret, ita esse nequißimum. Valde autem ridentur etiam imagines, quæ ferè in deformitatem, aut aliquod uitium corporis ducuntur cum similitudine turpioris: ut meum illud in Helmium Manciam: Iam ostendã cuiusmodi sis: cũ ille, Ostende quæso: demonstraui digito pictũ gallum in Mariano scuto Cimbrico sub nodis distortũ, eiecta lingua, buccis fluentibus. Risus est commotus: nihil tã Manciæ simile uisum est. Ut cum Testio Penario mentum in dicendo intorquenti, tum ut diceret, si

Apologi.
Historiæ.
Similitudo.

quid

quid uellet, si nucem fregisset. Etiam illa quæ minuendi, aut augendi causa ad incredibilem admirationē efferuntur: uelut tu Crasse in concione, ita sibi ipsum magnum uideri Memmium, ut in forū descendens, caput ad fornicem Fabij demitteret. Ex quo genere etiam illud est, quod Scipio apud Numantiam cum stomacharetur cū C. Metello, dixisse dicitur, si quintum pareret mater eius, asinum fuisse parituram. Arguta etiam significatio est, cum parua re, & sæpe uerbo res obscura & latens illustratur: ut cùm C. Fabricio P. Cornelius, homo, ut existimabatur, auarus, & furax, sed egregie fortis, & bonus imperator, gratias ageret quòd se homo inimicus consulem fecisset, bello præsertim magno, & graui: Nihil est quod mihi gratias agas, inquit, si malui compilari, quàm uenire. Vt Asello Africanus obijcienti lustrum illud infelix, Noli inquit, mirari: is enim qui te ex ærarijs exemit, lustrum condidit, & taurum immolauit. Tanta suspicio est ut religione ciuitatem obstrinxisse uideatur Mummius, quòd Asellum ignominia leuarit. Vrbana etiam

Ironia. dissimulatio est, cùm alia dicūtur, ac sentias: nō illo genere, de quo anteà dixi, quum contraria dicas, ut Lamiæ Crassus: sed cum toto genere orationis seuerè ludas, cū aliter sentias, ac loquare: ut noster Scæuola Septumeleio illi Anagnino, cui pro C. Gracchi capite erat aurum repensum, roganti ut se

in Asiam præfectum duceret: Quid tibi uis, inquit, insane? tanta malorum est multitudo ciuium, ut tibi hoc ego confirmem, si Romæ manseris, te paucis annis ad maximas pecunias esse uenturũ. In hoc genere Fannius in annalibus suis Africanũ hunc Aemilianum dicit fuisse, & eum Græco uerbo appellat εἴρωνα. Sed uti ferunt, qui melius hæc norunt, Socratem opinor in hac ironia dißimulantia'que longè lepôre, & humanitate omnibus præstitisse. Genus est perelegans, & cum grauitate salsum, cum'que oratorijs dictionibus, tum urbanis sermonibus accommodatum. Et hercule omnia hæc quæ à me de facetijs disputantur, non maiora forensium actionum, quàm omnium sermonum condimenta sunt. Nam quod apud Catonem est, qui multa retulit, ex quibus à me exempli causa multa ponuntur, per mihi scitum uidetur, C. Publicium solitum dicere, P. Mummium, cuiuis tempori hominem esse: sic profectò res se habet, nullum ut sit uitæ tempus in quo non deceat lepôrem, humanitatem'que uersari. Sed redeo ad cætera. Est huic finitimum dißimulationi, cùm honesto uerbo uitiosa res appellatur: ut cùm Africanus censor tribu mouebat eum centurionem qui in Pauli pugna non affuerat, cùm ille se custodiæ causa diceret in castris remansisse, quæreretq; cur ab eo notaretur: Non amo, inquit, nimium diligentes. Acutum etiam illud est, cùm ex alterius oratio-

ne aliud excipias atq; ille uult: ut Salinatori Maximus, cùm Tarento amisso arcem tamen Liuius retinuisset multaq; ex ea prælia præclara fecisset, cùm aliquot post annos Maximus id oppidum recepisset, rogaretq; eum Salinator ut meminisset opera sua se Tarentum recepisse, Quid ni, inquit, meminerim? nunquam ego recepissem, nisi tu perdidisses. Sunt etiã illa subabsurda, sed eo ipso nomine sæpè ridicula, non solum mimis perapposita, sed etiam quodammodo nobis. Homo fatuus postquam rem habere cœpit, est mortuus. Quid est tibi ista mulier? uxor, similis mediusfidius, quandiu ad aquas fuit, nunquã est mortuus. genus hoc leuius, & ,ut dixi, mimicum: sed habet nonnunquam aliquid etiam apud nos loci, ut uel non stultus quasi stultè cum sale dicat aliquid: ut tibi Antoni Mancia, cùm audisset te censorem à M. Duronio de ambitu postulatum: aliquãdo, inquit, tibi tuum negotium agere licebit. Valde hæc ridentur & hercule omnia quæ à prudentibus quasi per dissimulationem non intelligendi subabsurdè salseq; dicuntur. Ex quo genere est etiam non uideri intelligere quod intelligas, ut Pontidius: Qualem existimas qui in adulterio deprehenditur? Tardum. Vt ego, qui in delectu Metello cùm excusationem oculorum à me non acciperet, & dixisset, Tu igitur nihil uides? Ego uerò, inquã, à porta Exquilina uideo uillam tuam. Vt illud Nasicæ, qui cùm ad poëtam En

Non intellecta.

nium

nium uenisset, eique ab ostio quærenti Ennium, ancilla dixisset domi non esse, Nasica sensit illam domini iussu dixisse, & illum intus esse: paucis pòst diebus cum ad Nasicam uenisset Ennius, & eum à ianua quæreret, exclamat Nasica se domi non esse: Tum Ennius: Quid? ego non cognosco uocem, inquit, tuam? Hic Nasica, Homo es impudens, ego cùm te quærerem, ancillæ tuæ credidi te domi non esse: tu mihi non credis ipsi? Est bellum illud quoque, ex quo is qui dixit, irridetur in eo ipso genere quod dixit: ut cùm Qu. Opimius consularis, qui adolescentulus malè audisset, festiuo homini Aegilio, qui uideretur mollior, nec esset, dixisset: Retorta.

- Quid tu Aegilia meá
Quando ad me uenis cum tua colu, & lana?
- Non pol (inquit) audeo,
Nam me ad famosas uetuit mater accedere.

Salsa sunt etiã quæ habent suspicionem ridiculi absconditam: quo in genere est illud Siculi, cui cũ familiaris quidam quereretur, ꝙ diceret uxorẽ suam suspendisse se de ficu: Amâbo te, inquit, da mihi ex ista arbore quos seram surculos. In eodem genere est quod Catulus dixit cuidam Oratori malo, qui cùm in Epilogo misericordiam se mouisse putaret, postquã assedit, rogauit hunc, uideretúrne misericordiã mouisse. Ac magnam quidẽ, inquit, neminem enim putò Suspiciosa.

esse tam durum, cui non oratio tua miseranda uisa sit. Me quidem hercule ualde illa mouent stomachosa, & quasi submorosa ridicula, non cum à moroso dicuntur, tum enim non sal, sed natura ridetur. In quo, ut mihi uidetur, persalsum illud est apud Naeuium,

Quid ploras pater? mirum, ni cantem: condemnatus sum.

Huic generi quasi contrarium est ridiculi genus patientis, ac lenti, ut cùm Cato percussus esset ab eo qui arcam ferebat, cùm ille diceret, Caue: rogauit nunquid aliud ferret præter arcam? Etiam stultitiæ salsa reprehensio, ut ille Siculus, cui prætor Scipio patronum causæ dabat hospitem suum hominem nobilem, sed admodum stultum: Quæso, inquit, prætor, aduersario meo da istum patronum: deinde mihi neminem dederis. Mouent etiam illa quæ coniectura explananTur longè aliter atq; sunt, sed acutè atq; concinne: ut cũ Scaurus accusaret Rutilium ambitus, cùm ipse consul esset factus, ille repulsam tulisset, & in eius tabulis ostenderet literas A F P R. idq; diceret esse, Actum fide P. Rutilij. Rutilius autem, Antè factum, pòst relatum. C. Cannius eques Rom. tum Rufo adesset, exclamat, neutrum illis literis declarari. Quid ergo? inquit Scaurus. Aemilius fecit plectitur Rutilius. Ridentur etiam discrepantia, Quid huic abest? nisi res & uirtus?

Patienter dicta.

Coniecturæ.

Bel-

Bella etiam est familiaris reprehensio quasi erran- tis, ut cùm obiurgauit Albius Granium, quòd cùm eius tabulis quiddam Albutio probatum uideretur, & ualdè absoluto Scæuola gauderet, neque intelligeret contra suas tabulas esse iudicatum. Huic similis est etiam admonitio in consilio dando familiaris, ut cum patrono malo, cùm uocem in dicendo obtudisset, suadebat Granius, ut mulsum frigidum biberet simul ac domum rediisset. Perdam, inquit uocem, si id fecero. Melius est, inquit, quàm reum. Bellum etiam est, cum quod cuiq; sit consentaneum, dicitur: ut cùm Scaurus nonnullam haberet inuidiam ex eo quòd Phrygionis Pompeij locupletis hominis bona sine testamento possederat, sederetq; aduocatus reo Bestiæ, cùm funus quoddam duceretur: accusator C. Memmius, Vide, inquit, Scaure, mortuus rapitur, si potes esse possessor. Sed ex his omnibus nihil magis ridetur quàm quòd est præter expectationem: cuius innumerabilia sunt exempla uel Appij maioris illius, qui in senatu cùm ageretur de agris publicis, & de lege Thoria, & premeretur Lucullus ab ijs qui à pecore eius depasci agros publicos dicerent, Non est, inquit, Luculli pecus illud, erratis: (defendere Lucullum uidebatur.) Ego liberum puto esse: qua lubet pascitur. Placet etiam mihi illud Scipionis illius, qui T. Gracchum perculit, cùm ei M. Flaccus multis probris obiectis P. Mutium iudicem

Reprehẽsio.

Admonitio.

Mores.

ἀπροσδόκητα.

tulisset, Eiero, inquit, iniquus est: cùm esset admurmuratum: Ah, inquit, Patres conscripti: non ego mihi illum iniquum eiero, uerùm omnibus. Ab hoc uerò Crasso nihil facetius, cùm læsisset testis Silus Pisonem, quòd se in eum audisse dixisset: Potest fieri, inquit, Sile, ut is unde te audisse dicis, iratus dixerit. Annuit Silus. Potest etiam ut tu non rectè intellexeris: id quoq; toto capite annuit, ut se Crasso daret. Potest etiam fieri, inquit, ut omnino quod te audisse dicis, nunquam audieris. Hoc ita præter expectationem accidit, ut testem omnium risus obrueret. Huius generis est plenus Næuius, & iocus est familiaris,

Sapiens si algebis, tremes.

& alia permulta. Sæpè etiam facetè concedas aduersario id ipsum quod tibi ille detrahit: ut C. Lælius, cùm ei quidam malo genere natus diceret indignum esse suis maioribus: At hercule, inquit, tu tuis dignus. Sæpè etiam sententiose ridicula dicuntur, ut M. Cincius quo die legem de donis & muneribus tulit, cùm C. Cento prodijsset, & satis contumeliose, Quid fers Cinciole? quæsisset: Vt emas, inquit, Cai, si uti uelis. Sæpè etiam salsè quæ fieri non possunt optantur: ut M. Lepidus cum cæteris in campo exercentibus, in herba ipse recubuisset. Vellem hoc esset, inquit, laborare. Salsum est etiam quærentibus & quasi percontantibus lentè respondere

dere

dere quod nollent, ut censor Lepidus cum M. Antistio Pirgensi equum ademisset, amiciq; cùm uociferarentur, & quærerent quid ille patri suo responderet, cur ademptum sibi equum diceret, cum optimus colonus, parcißimus, modestißimus, frugalißimus esset: Me istorum, inquit, nihil credere. Colliguntur à Græcis alia nonnulla, execrationes, admirationes, minationes. Sed hæc ipsa nimis mihi uideor multa in genera descripsisse. Nam illa quæ uerbi ratione & ui continentur, certa ferè ac definita sunt: quæ plerunq; ut antè dixi, laudari magis quàm rideri solent. Hæc autem quæ sunt in re, & in ipsa sententia, partib. sunt innumerabilia, generibus pauca. Expectationibus enim decipiendis, & naturis aliorum irridendis, ipsorum ridiculè indicandis, & similitudine turpioris, & dißimulatione, & subabsurda dicendo, & stulta reprehendendo, risus mouentur. Itaque imbuendus est is qui iocose uolet dicere, quasi natura quadam apta ad hæc genera, & moribus, ut ad cuiusque modi genus ridiculi, uultus etiam accommodetur, qui quidem quo seuerior est, & tristior, ut in te Craße, hoc illa quoque quæ dicuntur, salsiora uideri solent. Sed iam tu Antoni, qui hoc diuersorio sermonis tui libenter acquieturum te esse dixisti, tanquam in Pontinum diuerteris, neq; amœnum, neq; salubrē locū: cēseo ut satis diu te putes requieuisse, & iter reliquum

Epilogus.

Antonij sermo, quo ptexit reliquã dispu tationẽ: repetit au tem quædam ex su perioribus. πίστεις, ἤθη, πάθη.

conficere pergas. Ego uerò atq; hilare quidem à te acceptus, inquit, & cùm doctior per te, tum etiam audacior factus sum ad iocandum. Non enim uereor ne quis me in isto genere leuiorem iam putet, quoniam quidem tu Fabricios mihi authores, & Africanos, Maximos, Catones, Lepidos protulisti. Sed habetis ea quæ uoluistis ex me audire, de quibus quidem accuratius dicendum, & cogitandum fuit. nam cætera faciliora sunt, atq; ex ijs quæ iam dicta sunt, reliqua nascũtur omnia. Ego enim cùm causam sum aggressus, atq; omnia cogitando, quoad facere potui, persecutus, cùm & argumenta causæ, & eos locos quibus animi iudicum conciliantur, & illos quibus permouentur, uidi, atq; cognoui, tum constituo quid habeat quæque causa boni, quid mali. Nulla enim ferè res potest in dicendi disceptationem, aut controuersiam uocari, quæ non habeat utrunq;: sed quantum habeat, id refert. Mea autem ratio in dicendo hæc esse solet, ut boni quod habeat id amplectar, exornem, exaggerem: ibi commorer, ibi habitem, ibi hæream: à malo autem, uitioq; causæ ita recedam, non ut id me defugere appareat, sed ut totum bono illo ornando, & augendo dißimulatum obruatur: & si causa est in argumentis, firmißima quæque maximè tueor, siue plura sunt, siue aliquod unum: sin autem in conciliatione aut in permotione causa est, ad eam me potißimùm partem, quæ maximè

Duas regulas pro ponit extra artem Quę vrgẽda, quæ dissimulanda.

mè commouere animos hominum poteſt, conſero. Summa denique huius generis hæc eſt, ut ſi in refellendo aduerſario firmior eſſe oratio, quàm in confirmandis noſtris rebus poteſt, omnia in illum conferam tela: ſin noſtra faciliùs probari, quàm illa redargui poſſunt, abducere animos à contraria defenſione, & ad noſtram conor traducere. Duo deniq; illa, quæ facilima uidentur, quoniam quæ difficiliora ſunt, non poſſum, mihi pro meo iure ſumo. Vnum, ut moleſto aut difficili argumento, aut loco nonnunquam omnino nihil reſpondeam: quod forſitan aliquis iure irriſerit. Quis enim eſt qui id facere non poßit? Sed tamen ego de mea nunc, non de aliorum facultate diſputo: confiteorq; me, ſi quæ premat res uehementiùs, ita concedere ſolere, ut non modo non abiecto, ſed ne reiecto quidem ſcuto fugere uidear, ſed adhibere quandam in dicendo ſpeciem, atq; põpam, & pugnæ ſimilem fugam: conſiſtere uerò in meo præſidio, ſic ut non fugiendi hoſtis, ſed capiendi loci cauſa ceßiſſe uidear. Alterum eſt illud, quod ego Oratori maximè cauendum, & prouidendum puto, quodq; me ſolicitare ſumme ſolet: Non tam ut proſim cauſis, elaborare ſoleo, quàm ut ne quid obſim: non quin enitendum ſit in utroq;, ſed tamen multò eſt turpius Oratori nocuiſſe uideri cauſæ, quàm non profuiſſe. Sed quid hoc loco uos inter uos Catule? an hæc, ut ſunt contemnenda, contemnitis?

Nihil malè facere.

Minimè, inquit ille, sed Cæsar de isto ipso quidam uelle dicere uidebatur. Me uerò lubente, inquit Antonius, dixerit, siue refellendi causa, siue quærendi. Tum Iulius: Ego mehercule, inquit, Antoni, semper is fui, qui de te Oratore sic prædicarem, unum te in dicendo mihi uideri rectißimum, propriumq́; hoc esse laudis tuæ, nihil à te unquam esse dictum, quod obesset ei pro quo diceres: idq́; memoria teneo, cùm mihi sermo cum hoc ipso Crasso multis audientibus esset de te institutus, Crassusq́; plurimis uerbis eloquentiam laudaret tuam, dixisse me, cum cæteris tuis laudibus hanc esse uel maximam, quòd non solùm quòd opus esset, diceres, sed etiam quòd non opus esset, non diceres. Tum illum mihi respondere memini. cætera in te summè esse laudanda, illud uerò improbi esse hominis, & perfidiosi, dicere quod alienum esset, & nocere ei pro quo quisq; diceret: quare non sibi eum disertum, qui id non faceret, uideri: sed improbum, qui faceret.

Occupatio.

Nunc, si tibi uidetur Antoni, demonstres uelim quare tu hoc ita magnum putes, nihil in causa mali facere, ut nihil tibi in Oratore maius esse uideatur. Dicam equidem Cæsar, inquit, quid intelligam: sed & tu, & uos omnes, hoc, inquit, mementote, non me de perfecti Oratoris diuinitate quadam loqui, sed exercitationis, & consuetudinis meæ mediocritate. Craßi quidem responsum excellentis cuiusdam est

ingenij ac singularis: cui quiddã portenti simile esse uisum est, posse aliquẽ inueniri Oratorem, qui aliquid mali faceret dicẽdo, obesſetq; ei quem defenderet: facit enim de se coniecturã, cuius tanta uis ingenij est, ut neminẽ nisi consultò putet, quod contra se ipsum sit, dicere, sed ego non de præstanti quadã & eximia, sed propè de uulgari & communi prudẽtia disputo: & apud Græcos fertur incredibili quadam magnitudine consilij, atq; ingenij Atheniẽsis ille fuisse Themistocles, ad quem quidã doctus homo, atq; in primis eruditus acceßisse dicitur, eiq; artẽ memoriæ, quæ tum primum proferebatur, pollicitum esse se traditurum: cũ ille quæsisset quid'nam illa ars efficere posset, dixisse illum doctorem, ut omnia meminisset, & ei Themistoclem respondisse, gratius sibi illum esse facturum si se obliuisci quæ uellet, quàm si meminisse docuisset. Vides'ne quæ uis in homine acerrimi ingenij, quàm potens, & quanta mens fuerit, qui ita responderit, ut intelligere possemus nihil ex illius animo, quod semel esset infusum, unquam effluere potuisse: cùm quidem ei fuerit optabilius obliuisci posse potius quod meminisse nollet, quàm q; semel audisset, uidisset'ue, meminisse. Sed neq; propter hoc Themistoclis responsum, memoriæ nobis opera danda non est, neque illa mea cautio & timiditas in causis propter præstantem prudentiam Craßi negligenda est. Vterq; enim istorum nõ mihi

Amplificat ab exemplo.

hi attulit aliquam, sed suam significauit facultatem, Etenim permulta sunt in causis in omni parte orationis circunspiciunda ne quid offendas, ne quò irruas. Sæpe aliquis testis aut non lædit, aut minus lædit, nisi lacessatur: orat reus, urgent aduocati ut inuehamur, ut maledicamus, denique ut interrogemus, non moueor, non obtempero, non satisfacio, neq; tamen ullam assequor laudem. Homines enim imperiti facilius quod stultè dixeris, reprehendere, quàm quod sapienter tacueris, laudare possunt. Hic quantum fit mali si iratum, si non stultum, si non leuem testem læseris? Habet enim & uoluntatem nocendi in iracundia, & uim in ingenio, & pondus in uita. Nec si hoc Crassus non committit, ideo non multi & sæpe committunt: quo quidem mihi uideri turpius nihil solet, quàm cùm ex Oratoris dicto aliquo aut responso, aut rogato sermo ille sequitur, Occîdit ille? Aduersariu'mne? Imò uerò, aiunt, se, & eum quem defendit, hoc Crassus non putat nisi perfidia accidere posse: ego autē sæpißimè uideo in causis aliquid mali facere homines minimè malos. Quid? illud quod supra dixi, solere me cedere, &, ut planius dicam, fugere ea quæ etiam ualdè causam meam prememerent, cùm id non faciunt alij, uersanturq; in hostium castris, ac sua præsidia dimittunt, mediocriter'ne causis nocent, cùm aut aduersariorum adiumenta confirmant, aut ea quæ sanare nequeunt, exulcerant? Quid

Cauenda. Exempla regulæ.

Quid? cùm personarum quas defendunt, rationem non habent? Si quæ sunt in his inuidiosa, non mitigant extenuando, sed laudando & efferendo inuidiosiora faciunt, quantum est in eo tandem mali? Quid? si in homines charos, iudicibusq; iucundos, sine ulla præmunitione orationis acerbius & contumeliosius inuehare? non'ne abs te iudices abalienes? Quid? si, quæ uitia aut incommoda sunt in aliquo iudice uno, aut pluribus, ea tu in aduersarijs exprobrando, non intelligas te in iudices inuehi, mediocre peccatum est? Quid? si cum pro altero dicas, litem tuam facias, aut læsus efferare iracundia, causam relinquas, nihil'ne noceas? in quo ego, non quo libenter malè audiam, sed quia ego causam non libenter relinquo, nimium patiens, & lentus existimor: ut cùm te ipsum Sulpiti obiurgabam quòd ministratorem peteres, non aduersarium. Ex quo etiã illud aßequor, ut si quis mihi maledicat, petulans, aut planè insanus esse uideatur. In ipsis autem argumentis si quid posueris aut apertè falsum, aut ei quod dixeris, dicturus'ue sis, contrarium, aut genere ipso remotum ab usu iudiciorum, ac foro, nihil'ne noceas? Quid multa? Omnis cura mea solet in hoc uersari semper (dicam enim sæpiùs) si poßim, ut boni aliquid efficiam dicendo: sin id minùs, ut certè ne quid mali. Itaq; nunc illuc redeo Catule in quo tu me paulò antè laudabas, ad ordinem collocationẽq; rerum,

De dispositione.

rerum, ac locorũ: cuius ratio est duplex: altera quã affert natura causarum: altera, quæ Oratorũ iudicio, & prudentia comparatur. Nam, ut aliquid ante rem dicamus, deinde ut rem exponamus, pòst ut eã probemus nostris præsidijs confirmandis, contrarijs refutandis, deinde ut cõcludamus, atq; ita peroremus: hoc dicendi genus natura ipsa præscribit. Vt uerò statuamus ea quæ probandi, docendi, ac persuadendi causa dicenda sunt, quemadmodum componamus, id est uel maximè propriũ Oratoris prudẽtiæ. Multa enim occurrunt argumẽta, multa quæ in dicendo profutura uideantur: sed eorũ partim ita leuia sunt, ut cõtemnenda sint: partim etiam si quid habẽt adiumenti, sunt nonnunquam eiusmodi, ut insit in ijs aliquid uitij, neque tanti sit illud quod prodeße uideatur, ut cum aliquo malo coniũgatur. Quæ autem sunt utilia, atque firma, si ea tamen (ut sæpè fit) ualde multa sunt, ea quæ ex ijs aut leuißima sunt, aut alijs grauioribus consimilia, secerni arbitror oportere, atq; ex oratione remoueri. Equidem cum colligo argumenta causarum, non tam ea numerare soleo, quàm expendere: Et quoniam, quod sæpè iam dixi, tribus rebus omnes ad nostram sententiam perducimus, aut docendo, aut conciliando, aut permouendo: una ex tribus his rebus res præ nobis est ferenda, ut nihil aliud nisi docere uelle uideamur: reliquæ duæ, sicuti sanguis in corporibus, sic illæ in perpe-

perpetuis orationibus fusæ esse debebunt. Nam & principia, & ceteræ partes orationis, de quibus paulopòst pauca dicemus, habere hanc uim magnopere debent, ut ad eorum mentes apud quos agitur, mouendas permanare possint. Sed his partibus orationis, quæ etsi nihil docent argumentando, persuadendo tamen & commouēdo proficiunt plurimum, quanquam maximè proprius est locus & in exordiendo, & in perorando: digredi tamen ab eo quod proposueris atque agas permouendorum animorum causa, sæpè utile est. itaque uel narratione exposita sæpè datur ad commouendos animos digrediendi locus, uel argumentis nostris confirmatis, uel contrarijs refutatis, uel utroque loco, uel omnibus, si habet eam causa dignitatem, atque copiam, rectè id fieri potest: hæcq; causæ sunt ad augendum, & ad ornandum grauissimæ, atque plenissimæ, quæ plurimos exitus dant ad eiusmodi digressionem, ut ijs locis uti liceat quibus animorum impetus eorum qui audiunt, aut impellantur, aut reflectantur. Atque etiam in illo reprehendo eos, qui quæ minimè firma sunt, ea prima collocant. In quo illos quoque errare arbitror, qui si quando (id quod mihi nunquam placuit) plureis adhibent patronos, uti quemque eorum minimum putant esse, ita eum primùm uolunt dicere. Res enim hoc postulat, ut eorum expectationi qui audiunt, quàm celerrimè succurratur:

Aspergi ethe & pathe omnibus orationis partibus, sed tamen potissimum locum esse eis in exordio, post narrationem epilogis.

In Murenæ causa.

tur: cui ſi initio ſatisfactum non ſit, multo plus ſit in reliqua cauſa laborandum. Malè enim ſe res habet quæ non ſtatim ut dici cœpta eſt, melior fieri uidetur. Ergo ut in Oratore optimus quiſq;, ſic & in oratione firmiſsimum quodq; ſit primum: dum illud tamen in utroq; teneatur, ut ea quæ æquè excellant, ſeruentur etiam ad perorandum: ſi quæ erunt mediocria (nam uitioſis nuſquam eſſe oportet locum) in mediam turbam atq; in gregem conijciantur. Hiſce omnibus rebus conſideratis, tum deniq; id, quod primum eſt dicendum, poſtremo ſoleo cogitare, quo utar exordio. Nam ſi quando id primum inuenire uolui, nullum mihi occurrit, niſi aut exile, aut nugatorium, aut uulgare, atq; commune. Principia autem dicendi ſemper cùm accurata, & acuta, & inſtructa ſententijs, apta uerbis, tum uerò cauſarum propria eſſe debent. Prima eſt enim quaſi cognitio* & commendatio orationis in principio: quæ continuo eum qui audit, permulcere, atque allicere debet. In quo mirari ſoleo non equidem iſtos qui nullam huic rei operam dederunt, ſed hominem in primis diſertum atq; eruditum Philippum, qui ita ſolet ad dicendum ſurgere, ut quod primum uerbum habiturus ſit, neſciat: & ait idem, cùm brachium concaleſecerit, tum ſe ſolere pugnare: neq; attendit eos ipſos unde hoc ſimile ducat, illas primas haſtas ita iactare leniter, ut & uenuſtati uel maximè ſeruiant, & reliquis uiri-

De exordijs.

Vtendum eſſe exordijs.

* Alias coitio.

Amplificat exemplo.

uiribus suis consulant. Neq; est dubium quin exordium dicendi uehemens, & pugnax non sæpe esse debeat: sed si in ipso illo gladiatorio uitæ certamine quo ferro decernitur, tamē ante congressum multa fiunt, quæ non ad uulnus, sed ad speciem ualere uideantur: quanto hoc magis in oratione expectādum est, in qua non uis potius, sed delectatio postulatur? Nihil est deniq; in natura rerū omniū, quod se uniuersum profundat, & quod totum repente euolet: sic omnia quæ fiunt, quæq; aguntur acerrimè, lenioribus principijs natura ipsa prætexuit. Hæc omnia in dicendo non extrinsecus alicunde quærenda, sed ex ipsis uisceribus causæ sumēda sunt. Idcirco tota causa pertentata atq; perspecta, locis omnib. inuentis atq; instructis, considerandū est quo principio sit utendū: sic & facile reperietur: sumentur enim ex ijs rebus quæ erunt uberrimæ uel in argumentis, uel in ijs partibus ad quas causas dixi digredi sæpe oportere. Ita & momenti alquid afferent, cùm erunt penè ex intima defensione deprōptæ: & apparebit eas nō modò non esse cōmuneis, nec in alias causas posse trāsferri, sed penitus ex ea causa quæ tū agatur effloruisse. Omne autē principiū, aut rei totius quæ agitur, significationem habere debebit, aut aditū ad causam, et cōmunitionē, aut quoddā ornamentum, & dignitatē. Sed oportet ut ædib. ac templis uestibula & aditus, sic causis prin-

Parabolā retorquet

A natura rerum.

Loci exordiorum.

cipia pro portione rerum præponere. Itaq; in paruis atq; frequentibus causis ab ipsa re est exordiri sæpe commodius. Sed cùm erit utendum principio (quod plerunq; erit) aut ex reo, aut ex aduersario, aut ex re, aut ex eis apud quos agetur, sententias duci decebit. Ex reo (reos appello, quorum res est) quæ significent uirũ bonum, quæ liberalem quæ calamitosum, quæ misericordia dignũ, quæ ualeant contra falsam criminationem. Ex aduersario, ijsdẽ ex locis ferè contraria. Ex re, si crudelis, si infanda, si præter opinionẽ, si immeritò, si misera, si ingrata, si indigna, si noua, si quæ restitui sanariq; non poßit. Ex ijs autem apud quos agetur, ut beneuolos, beneq; existimantes faciamus: quod agendo efficitur melius, quàm rogãdo. Est id quidem in totam orationẽ confundendum, nec minime in extremam: sed tamen multa principia ex eo genere gignuntur. Nam & attentum commonent Græci ut principio faciamus iudicem, & docilem: quæ sunt utilia, sed non principij magis propria, quàm reliquarũ partium: faciliora etiam in principijs: q & attenti tum maximè sunt, cùm omnia expectant: & dociles magis initijs esse possunt: illustriora enim sunt quæ in principijs, quàm quæ in medijs causis dicuntur, aut augendo, aut refellẽdo. Maxima autem copia principiorũ ad iudicem aut alliciendum, aut incitandum ex ijs locis trahitur, qui ad motus ani-

Quomodo dispo- nant ethe & pathe.

morum

morum cõficiendos inerunt in causa: quos tamen totos in principio explicari non oportebit, sed tantũ impelli primò iudicem leuiter, ut iam inclinato reliqua incumbat oratio. Cõnexum autẽ ita sit principiũ consequenti orationi, ut non tanquam citharœdi procemium affictum aliquod, sed cohærens cum omni corpore membrũ esse uideatur. Nam nonnulli cũ illud meditati ediderũt, sic ad reliqua transeũt, ut audientiam sibi fieri uelle uideantur. Atque eiusmodi illa prolusio debet esse non ut Samnitum, qui uibrant hastas ante pugnam, quibus in pugnando nihil utuntur: sed ut ipsis sententijs quibus proluserunt, uel pugnare poßint. Narrare uerò rem, quòd breuiter iubent, si breuitas appellanda est, cùm nullum uerbum redundet, breuis est L. Crassi oratio si tum est breuitas, cùm tantum uerborum est quantum necesse est, aliquando id opus est: sed sæpe obest uel maximè in narrando, non solũ quòd obscuritatem affert, sed etiam quòd eam uirtutem quæ narrationis est maxima, ut iucunda, & ad persuadendum accommodata sit, tollit: uidelicet illa:

De narratione.

Breuis.

Nam is postquam exceßit ex ephebis

Quàm longa est narratio? mores adolescentis ipsius, & seruilis percontatio, mors Chrysidis, uultus & forma & lamentatio sororis: reliqua peruariè, iucundeq; narrantur. Quòd si hanc breuitatem quæsisset:

Effertur, imus, ad ſepulchrum uenimus,
In ignem poſita eſt.

In his ferè decem uerſiculis totum conficere potuiſſet: quanquam hoc ipſum, effertur imus, conciſum eſt ita ut non breuitati ſeruitum ſit, ſed magis ue-nuſtati. Quòd ſi nihil fuiſſet, niſi, In ignem poſita eſt: tamen res tota cognoſci facilè potuiſſet: ſed & feſtiuitatem habet narratio diſtincta perſonis, & interpuncta ſermonibus: & eſt probabilius quod geſtum eſſe dicas, cùm quemadmodũ actum ſit, exponas: & multo apertius ad intelligendũ eſt, ſi ſic conſtituitur aliquando, ac nõ iſta breuitate percurritur. Apertam enim narrationẽ tam eſſe oportet, quàm cæteras: & hoc magis in hac elaborandum eſt, quod et difficilius eſt non eſſe obſcurũ in re narranda, quàm aut in principio, aut in argumento, aut in purgando, aut perorando: & maiore etiam periculo hæc pars orationis obſcura eſt, quàm cæteræ: uel quia ſi quo alio in loco eſt dictum quid obſcurius, tantùm id perit quod ita dictum eſt: narratio obſcura totam obcæcat orationem: uel quòd alia poßis, ſemel ſi obſcurius dixeris, dicere alio loco planius: narrationis unus eſt in cauſa locus. Erit autem perſpicua narratio, ſi uerbis uſitatis, ſi ordine temporum conſeruato, ſi non interruptè narrabitur. Sed quando utendũ ſit aut non ſit narratione, id eſt conſilij. Neq; enim ſi nota res eſt, nec dubium

Aperta.

Difficillimũ dilucidã narrationẽ texere.

bium

bium sit quid gestum sit, narrari oportet: nec si aduersarius narrauit, nisi si refellemus: ac si quando erit narrandũ, ne illa quæ suspicionẽ & crimen efficient, contráq; nos erunt, acriter ꝑsequamur: & quicquid poterit, detrahamus: ne illud quod Crassus, si quando fiat, perfidia, nõ stultitia fieri putat, ut causæ noceamus, accidat. Nam ad summam totius causæ pertinet, cautè, an contrà demonstrata res sit: quod omnis orationis reliquæ fons est narratio. Sequitur, ut causa ponatur: in quo uidendum est quid in controuersiam ueniat. Tunc suggerenda sunt firmamenta causæ coniuncta, & infirmandis contrarijs, & tuis confirmandis. Nanq; una in causis ratio quædam est eius orationis quæ ad probandam argumentationem ualet. Ea autem & confirmationem & reprehensionem quærit: sed quia neq; reprehendi quæ contrà dicuntur, possunt, nisi tua confirmes: neq; hæc confirmari, nisi illa reprehendas: idcirco hæc & natura, & utilitate, & tractatione coniuncta sunt. Omnia autem cõcludenda plerunq; reb. augendis, uel inflammando iudice, uel mitigando: omniáq; cum superioribus orationis locis, tum maximè extremo, ad mentes iudicum q̃ maximè permouendas, & ad utilitatẽ nostram uocandas conferenda sunt. Neq; sanè iam causa uidetur esse cur secernamus ea præcepta, quæ de suasionibus tradenda sunt, aut laudationib. Sunt enim ple-

Propositio, confirmatio, & cõfutatio.

Peroratio

De suasorijs.

raq; communia, sed tamen suadere aliquid aut dis-suadere, grauißimæ mihi uidetur esse personæ. nam & sapientis est, consiliũ explicare suum de maximis rebus: & honesti & diserti, ut mente prouidere, authoritate probare, oratione persuadere possit. Atque hæc in senatu minore apparatu agenda sunt. Sapiens enim est consilium, multisq; alijs dicẽdi relinquendus locus: uitanda etiã ingenij ostentationisq; suspicio. Concio capit omnẽ uim orationis & grauitatem, uarietatemq; desiderat Ergo in suadendo nihil est optabilius, quàm dignitas. Nam qui utilitatem putat, non quid maximè uelit suasor, sed quid interdum magis sequatur, uidet. Nemo est enim præsertim in tam clara ciuitate, quin putet expetendã maximè dignitatem: sed uincit utilitas plerunq;, cũ subest ille timor, ea neglecta ne dignitatem quidem posse retineri. Controuersia autem inter hominum sententias, aut in illo est, utrum sit utilius, aut etiam cùm id conuenit, certatur, utrum honestati potius, aut utilitati consulendum sit. Quæ quia pugnare sæpe inter se uidentur: qui utilitatem defendit, enumerabit commoda pacis, opum, potentiæ, pecuniæ, uectigalium, præsidij, militum, utilitates cæterarum rerum, quarum fructum utilitate metimur, itemq; incommoda contrariorum. Qui ad dignitatem impellet, maiorum exempla, quæ erunt uel cum periculo gloriosa, colliget. posteritatis im-

Persona.

Loci. Dignitas. Vtilitas.

tis immortalem memoriam augebit: utilitatem ex laude nasci defendet, semperq; eam cum dignitate esse coniunctam. Sed quid fieri poßit, aut non poßit, quidq; etiam sit necesse, aut non sit, in utraque re maximè est quærendum. Inciditur enim omnis iam deliberatio, si intelligitur non posse fieri, aut si neceßitas affertur: & qui id docuit non uidentibus alijs, is plurimum uidit. Ad consilium autem de Rep. dandum caput est, nosse Remp. ad dicendum uera probabiliter, nosse mores ciuitatis: qui quia crebro mutantur, genus quoq; orationis est sæpe mutandum: & quanquã una ferè uis est sæpe eloquentiæ, tamen quia summa dignitas est populi, grauißima causa Relp. maximi motus multitudinis, genus quoq; dicendi grandius quoddã et illustrius esse adhibendũ uidetur: maximaq; pars orationis admouẽda est ad animorũ motus nonnunquã aut cohortatione, aut commemoratione aliqua, aut in spem, aut in metum, aut ad cupiditatẽ, aut ad gloriam concitandos: sæpe etiã à temeritate, iracundia, spe, iniuria, inuidia, crudelitate reuocandos. Fit autem, ut quia maxima quasi oratori scena uideatur concio, natura ipsa ad ornatius dicẽdi genus excitetur. Habet enim multitudo uim quandam talẽ, ut quemadmodum tibicen sine tibijs canere, sic orator nisi multitudine audiente eloquens esse non poßit. Et cùm sint populares multi uarijq; lapsus,

Necesßitas Impoßibilitas.

ἄτεχνα.

Vitia vitãda, ne qd inepte dicas, ne q̃s lędas, ne turpia dicas, ne cõmoueare furore multitudinis.

uitanda est acclamatio aduersa populi, quæ aut orationis peccato aliquo excitatur, si asperè, si arroganter, si turpiter, si sordidè, si quoquo animi uitio dictum esse aliquid uideatur: aut hominũ offensione, uel inuidia, quæ aut iusta est, aut ex criminatione atque fama: aut res si displicet: aut si est in aliquo motu suæ cupiditatis aut metus multitudo: hisq; quatuor causis totidem medicinæ opponuntur. Tum obiurgatio, si est authoritas: tum admonitio, quasi lenior obiurgatio: tum promißio, si audierint probaturos: tum deprecatio, quod est infimum, sed nonnunquam utile. Nullo autem loco plus facetiæ prosunt, & celeritas, & breue aliquod dictum nec sine dignitate, & cum lepôre. Nihil enim tam facilè, quàm multitudo à tristitia & sæpe acerbitate, commodè ac breuiter, & acutè & hilarè dicto deducitur. Exposui ferè, ut potui, uobis in utroq; genere causarum, quæ sequi solerem, quæ fugere, quæ spectare, quaq; omnino in causis ratione uersari. Nec illud tertium laudationum genus est difficile, quod ego initio quasi à præceptis nostris secreueram: sed quia & multa sunt orationum genera, & grauiora, & maioris copiæ, de quibus nemo ferè præciperet: & quòd nos laudationibus nõ ita multum uti solemus, totũ hunc segregabam locum. Ipsi enim Græci magis legendi, qui delectationis, aut hominis alicuius ornandi, quàm utilita-

Remedia opponit singulis uitijs.

De laudatorio genere.

Quis usus demõstratiui generis.

tis

tis huius forensis causa, laudationes scriptitauerũt: quorum sunt libri, quibus Themistocles, Aristides, Agesilaus, Epaminondas, Philippus, Alexander, aliiq; laudantur. Nostræ laudationes, quibus in foro utimur, aut testimonij breuitatem habent nudam atq; inornatam, aut scribuntur ad funebrem concionem, quæ ad orationis laudem minime accommodata est. Sed tamen quoniam est utendum aliquando, nonnunquam etiam scribendum: uelut Pub. Tuberoni Africanum auunculum laudanti scripsit C. Lælius: uel ut nosmetipsi ornandi causa, Græcorũ more, quos uelimus, laudare poßimus, sit à nobis quoque tractatus etiam is locus. Perspicuum est igitur alia esse in homine optanda, alia laudanda. Genus, forma, uires, opes, diuitiæ, cæteraq; quæ fortuna dat aut extrinsecus, aut corpori, non habent in se uerã laudem, quæ deberi uirtuti uni putatur: sed tamen quod ipsa uirtus in earum rerum usu ac moderatione maxime cernitur, tractanda etiam in laudationibus hæc sunt naturæ ac fortunæ bona: in quibus est summa laus, non extulisse se in potestate, non fuisse insolentem in pecunia, non se prætulisse alijs propter abundantiã fortunæ: ut opes & copiæ non superbiæ uideantur ac libidini, sed bonitati ac moderationi facultatem & materiam dedisse. Virtus autem, quæ est per se ipsa laudabilis, & sine qua nihil laudari potest, tamẽ habet plures partes, quarũ

Duplicia bona.

Duplices uirtutes uulgò notæ, ut illæ Cæsaris.

alia est ad laudationem aptior. Sunt enim aliæ uirtutes quæ uidentur in moribus hominum, & quadam comitate ac beneficentia positæ: aliæ quæ in ingenij aliqua facultate, aut animi magnitudine ac robore. Nam clementia, iustitia, benignitas, fides, fortitudo in periculis communibus, iucũda est auditu in laudationibus. Omnes enim hæ uirtutes non tã ipsis qui eas in se habent, quàm generi hominum fructuosæ putantur. Sapientia & magnitudo animi, qua omnes res humanæ reguntur, tenues, & pro nihilo putantur: & in excogitando uis quædam ingenij, & ipsa eloquentia, admirationis habet non minus, iucunditatis minus. Ipsos enim magis uidemur quos laudamus, quã illos apud quos laudamus, ornare ac tueri: sed tamen in laudando iungenda sunt etiam hæc genera uirtutum. Feriunt enim aures hominum cum illa quæ iucunda & grata, tum etiam illa quæ mirabilia sunt in uirtute laudari. Et quoniam singularum uirtutum sunt certa quædam officia ac munera, & sua cuiq; uirtuti laus propria debetur, erit explicandum in laude iustitiæ, quid cum fide, quid cum æquabilitate, quid cum eiusmodi aliquo officio is qui laudabitur, fecerit. Epiceia. itemq; in cæteris res gestæ ad cuiusq; uirtutis genus & uim, & nomen accõmodabuntur. Gratißima autem laus eorum factorum habetur, quæ suscepta uidentur à uiris fortibus sine emolumẽto ac præmio.

quæ

quæ uero etiam cum labore, & periculo ipsorum: hæc habent uberrimã copiam ad laudandum, quòd & dici ornatißimè possunt, & audiri facillime. Ea enim deniq; uirtus esse uidetur præstantis uiri, quæ est fructuosa alijs, ipsi autem laboriosa, aut periculosa aut certè gratuita. Magna etiam illa laus & admirabilis uideri solet, tulisse casus sapienter aduersos, non fractum esse fortuna, retinuisse in rebus asperis dignitatẽ. Neq; tamen illa non ornant, habiti honores, decreta uirtutis præmia, res gestæ iudicijs hominũ comprobatæ: in quibus etiam felicitatem ipsam deorum immortaliũ iudicio tribui, laudationis est. Sumendæ autem res erunt aut magnitudine præstabiles, aut nouitate primæ, aut genere ipso singulares. Neq; enim paruæ, neq; usitatæ, neque uulgares, admiratiõe aut omnino laude dignæ uideri solent. Est etiam cum cæteris præstantibus uiris comparatio in laudatione præclara. De quo genere libitum mihi est paulo plura quàm ostenderam, dicere, non tam propter usum forensem, qui est à me in omni hoc sermone tractatus, quàm ut hoc uideretis, si laudationes essent in oratoris officio, quod nemo negat, oratori uirtutũ omnium cognitionẽ, sine qua laudatio effici non poßit, esse necessariã. Iam uituperandi præcepta cõtrarijs ex uitijs sumenda esse perspicuũ est. simul est illud ante oculos, nec bonum uirũ proprie & copiose laudari

Peregrina Iudicium hominũ.

sine

ſine uirtutum, nec improbum notari ac uituperari ſine uitiorum cognitione ſatis inſigniter atq; aſperè poſſe. Atq; his locis & laudandi & uituperandi ſæpe nobis eſt utendum in omni genere cauſarum. Habetis de inueniendis rebus, diſponendisq; quid ſentiam. Adiungam etiam de memoria, ut labore Craſſum leuem, neq; ei quicquam, aliud de quo diſſerat, relinquam, niſi ea quibus rebus hæc exornentur. Perge uero, inquit Craſſus. libenter enim te cognitum iam artificem, aliquandoq; euolutum illis integumentis diſsimulationis tuæ nudatumq; perſpicio: & quod mihi nihil, aut quod non multum relinquis, percommode facis, eſtq; mihi gratum. Iã iſtuc quantum tibi ego reliquerim, inquit Antonius, erit in tua poteſtate, ſi enim uerè agere uolueris, omnia tibi relinquo: ſin diſsimulare, tu quemadmodum his ſatisfacias, uideris. Sed ut ad rem redeam, non ſum tanto ego, inquit, ingenio, quanto Themiſtocles fuit, ut obliuionis artem quàm memoriæ malim: gratiamq; habeo Simonidi illi Ceo, quem primum ferunt artem memoriæ protuliſſe. Dicunt enim, cum cœnaret Cranone in Theſſalia Simonides apud Scopam fortunatum hominem & nobilem, ceciniſſetq; id carmen quod in eum ſcripſiſſet, in quo multa ornandi cauſa poëtarum more in Caſtorem ſcripta, & Pollucem fuiſſent, nimis illum ſordidè Simonidi dixiſſe, ſe dimidium eius ei quod pactus eſſet

Epilogus.

De memoria.

pro

pro illo carmine, daturum: reliquum à suis Tyndaridis, quos æquè laudasset, peteret, si ei uideretur. paulò pòst esse ferunt nunciatum Simonidi ut prodiret, iuuenes stare ad ianuam duos quosdam, qui eum magnopere euocarent: surrexisse illum ipsum, prodisse, uidisse neminem: hoc interim spatio conclaue illud ubi epularetur Scopas, concidisse, ea ruina ipsum oppressum cum suis interisse: quos cum humare uellent sui, neq; possent obtritos internoscere ullo modo, Simonides dicitur ex eo quod meminisset quo eorum loco quisq; cubuisset, demonstrator uniuscuiusq; sepeliendi fuisse. Hac tum re admonitus inuenisse fertur, ordinem esse maxime qui memoriæ lumen afferret. Itaq; ijs qui hanc partem ingenij exercerent, locos eße capiendos, & ea quæ memoria tenere uellent, effingenda animo, atq; in his locis collocanda: sic fore, ut ordinem rerum, locorũ ordo conseruaret, res autem ipsas rerum effigies notaret: atq; ut locis pro cera, simulachris pro literis uteremur. Qui sit autem oratori memoriæ fructus, quanta utilitas, quanta uis, quid me attinet dicere? tenere quæ didiceris in accipienda causa, quæ ipse cogitaris, omnes fixas esse in animo sententias, omnem descriptum uerborum apparatum, ita audire uel eum unde dicas, uel eum cui respondendum sit, ut illi non infundere in aures tuas orationem, sed in animo uideantur inscribere. Itaq; soli qui memoria uigent,

Ordo.
Loci.
Imagines.

Amplificat ab usu artis.

uigent, sciunt quid, & quatenus, & quomodo dictu ri sunt, cui responderint, quid supersit: ijdemq; multa ex alijs causis aliquando à se acta, multa ab alijs audita meminerunt. Quare confiteor equidem huius boni naturam esse principem: sicut earum rerũ de quibus antè locutus sum, omnium. Sed hæc ars tota dicendi, siue artis imago quædam est, & similitudo, habet hanc uim, non ut totum aliquid cuius in ingenijs nostris pars nulla sit, pariat & procreet, uerùm ut ea quæ sunt orta iam in nobis & procreata, educet atq; confirmet. Veruntamen neque tam acri memoria ferè quisquam est, ut non dispositis notatisq; rebus ordinem uerborum aut sententiarum complectatur: neq; uero tam hebeti, ut nihil hac consuetudine & exercitatione adiuuetur.

Fons artis

Vidit enim hoc prudẽter, siue Simonides, siue alius quis inuenit, ea maxime animis affigi nostris, quæ essent à sensu tradita atq; impressa: acerrimũ autẽ ex omnibus nostris sensibus, esse sensum uidendi: quare facillimè animo teneri posse ea quæ perciperentur auribus, aut cogitatione, si etiam oculorum commendatione animis traderentur, ut res cæcas, & ab aspectus iudicio remotas conformatio quædam, & imago, & figura ita notaret, ut ea quæ cogitando complecti uix possemus, intuendo quasi teneremus. His autem formis atq; corporibus, sicut omnibus rebus quæ sub aspectum ueniunt, se-

des

des opus est. etenim corpus intelligi sine loco non potest. Quare ne in re nota & peruulgata multus & insolens sim, locis est utendum multis, illustribus, explicatis, modicis interuallis. Imaginibus autem agentibus, acribus, insignitis, quæ occurrere, celeriterq́; percutere animum poßint. Quam facultatem & exercitatio dabit, ex qua consuetudo gignitur, & similium uerborum, conseruata & immutata casibus: aut traducta ex parte ad genus notatio, et unius uerbi imagine totius sententiæ informatio, pictoris cuiusdam summi ratione & modo formarũ uarietate locos distinguentis. Sed uerborum memoria quæ minùs est nobis necessaria, maiore imaginum uarietate distinguitur. Multa enim sunt uerba quæ quasi articuli connectunt membra orationis, quæ formari similitudine nulla possunt, eorum fingendæ nobis sunt imagines, quibus semper utamur. Rerum memoria propria est oratoris. Eam singulis personis bene positis notare poßumus: ut sententias imaginibus, ordinem locis comprehendamus. Neque uerum est quod ab inertibus dicitur, opprimi memoriã imaginũ pondere, & obscurari etiam id quod per se natura tenere potuißet. Vidi enim ego summos homines, & diuina propè memoria, Athenis Carneadẽ: in Asia quem uiuere hodie aiunt, Sceptiũ Metrodorum: quorum uterq; tanquam literis in cera, sic se aiebat imaginibus

Loci.

Imagines.

Duplices similitudines rerũ & uerborum.

nibus in ijs locis quos haberet, quæ meminisse uellet, perscribere, Quare hac exercitatione non eruenda memoria est si est nulla naturalis: sed certè si latet, euocanda est. Habetis sermonē bene longum hominis utinam non impudentis: illud quidem certè, non nimis uerecundi: qui quidem cùm te Catule, tum etiam L. Crasso audiente de dicendi ratione tam multa dixerim. Nam istorum ætas minùs me fortasse mouere debuit. Sed mihi ignoscetis profectò, si modò quæ causa me ad hanc insolitam mihi loquacitatem impulerit, acceperitis. Nos uerò, inquit Catulus, (etenim pro me hoc, & pro meo fratre respondeo) non modo tibi ignoscimus, sed te diligimus, magnamq; tibi habemus gratiam, & cùm humanitatem & facilitatem agnoscimus tuam, tum admiramur istam scientiam & copiam. Equidē hoc me assecutum puto, quòd magno sum leuatus errore: & illa admiratione liberatus, quòd multis cum alijs semper admirari solebam, unde esset illa tanta tua in causis diuinitas. Nec enim te ista attigisse arbitrabar, quæ diligentißimè cognosse, & undique collegisse, usúq; doctum partim correxisse uideo, partim comprobasse. Neque eo minùs eloquentiam tuam, & multo magis uirtutem & diligentiam admiror: & simul gaudeo iudicium animi mei comprobari, quod semper statui, neminē sapientiæ laudem, & eloquentiæ sine summo studio, & labore,

Epilogus.

& doctrina cõsequi posse. Sed tamen quidnam est id quod dixisti, fore ut tibi ignosceremus si cognosseemus quæ te causa in sermonem impulisset? Quæ est enim alia causa, nisi quòd nobis, & horum adolescentium studio, qui te attentißimè audierunt, morem gerere uoluisti? Tum ille: Adimere, inquit, omnem recusationem Crasso uolui, quem ego paulo sciebam uel prudentiùs uel inuitiùs) nolo enim dicere de tam suaui homine fastidiosiùs) ad hoc genus sermonis accedere. Quid enim poterit dicere? consularem se esse hominem, & censorium? Eadem nostra causa est. An ætatem afferet? Quadriennio minor est: An se nescire? Quæ ego serò, quæ cursim arripui, quæ succisiuis operis, ut aiũt, iste à puero summo studio, summis doctoribus. Nihil dicam de ingenio, cui par nemo fuit. etenim me dicentem qui audierit, nemo unquam tam sui despiciens fuit, qui desperaret aut melius, aut eodem modo se posse dicere: Crasso dicente, nemo tam arrogans, qui similiter se unquam dicturum esse confideret. Quamobrem ne frustra hi tales uiri uenerint, te aliquando Crasse audiamus. Tum ille: Vt ita ista esse concedã, inquit, Antoni, quæ sunt longè secùs, quid mihi tu tandem hodie, aut cuiquam homini, quod dici posit, reliquisti? Dicã enim uerè, amicißimi homines, quod sentio. Sæpè ego doctos homines, quid dico sæpè? Imò nonnunquam, sæpè enim quî potui, qui puer

Inuitatur Crassus.

in forum uenerim, neq; inde unquam diutius, quàm quæstor abfuerim: sed tamen audiui, ut heri dicebā, & Athenis cū essem, doctißimos uiros, & in Asia istum ipsum Sceptium Metrodorū, cùm de his ipsis rebus disputaret: neq; uerò mihi quisquā copiosius unquam uisus est, neq; subtilius in hoc genere dicendi, quā iste hodie, esse uersatus: quod si esset aliter, & aliquid intelligerē ab Antonio prætermißū, nō eßem tam inurbanus, ac penè inhumanus, uti eo grauarer q̃ uos cupere sentirem. Tum Sulpitius, An ergo, inquit, oblitus es Crasse, Antonium ita partitum esse tecū, ut ipse instrumentū Oratoris exponeret, tibi eius distinctionē atq; ornatū relinqueret? Hic ille, Primū, quis Antonio permisit, inquit, ut et partes faceret, & utram uellet, prior ipse sumeret? Deinde, si ego rectè intellexi, cū ualde libenter audirem, mihi cōiunctè est uisus de utraq; re dicere. Ille uerò, inquit Cotta, ornamenta orationis nō attigit, neq; eam laudē ex qua eloquentia nomen ipsum inuenit. Verba igitur, inquit Crassus, mihi reliquit Antonius, rem ipse sumpsit. Tum Cæsar, Si quod difficilius est, id tibi reliquit: est nobis, inquit, causa cur te audire cupiamus. sin q̃ facilius, tibi causa non est cur recuses. Et Catulus, Quid? quod dixisti, inquit, Crasse, si hic hodie apud te maneremus, te morem nobis esse gesturum, nihil'ne ad fidē tuam putas pertinere? Tum Cotta ridens, Possem tibi, inquit, Crasse cō

cedere

cedere, sed uide ne quid Catulus attulerit religionis. opus hoc censorium est. Id aũt committere uide quã sit homini turpe censorio. Agite uerò, ille inquit, ut uultis: sed nunc quidem, quoniam id temporis est, surgendum censeo, & requiescendum: post meridiem, si ita uobis est commodum, loquemur aliquid, nisi fortè me in crastinum differre mauultis. Omnes se uel statim, uel si ipse post meridiem mallet, quàm primùm tamen audire uelle dixerunt.

IN LIBRVM II. SCHOLIA PHILIP. MELANCTH.

Magna nobis pueris.

NARratio, in qua exempla proponit Oratorum quorum eloquentia extitit ex quadam eximia doctrina. Aculeo fuit Iurisperitus, propter cognitionẽ iuris Crasso valde familiaris.

Quorũ consiliũ quale.) Accommodat exempla ad locũ communẽ suprà disputatum, in quo Crassus constituit vberem, & admirabilem eloquentiam sine multiplici doctrina non posse existere.

Nec verò te charissime frater.) Commendatio operis. Præfatur enim, hos libros grauiores & vberiores esse vulgaribus rhetoricis libellis.

Ac si tibi videntur.) Refellit argumẽta Catuli de loco ac tempore. quod videlicet remissionum causa secesserint in hunc locum hoc tempore. Et addit locum communem de relaxandis animis, interdum opus esse hominibus ocio.

Audite, inquit, audite.) Orditur ab ironia, in qua detrahit sibi doctrinam: dicit se non instructum esse hac scholastica doctrina, nec esse se versatum in hoc genere studiorum.

Certum autem.) Tria genera causarum, Iudiciale, deliberatiuum, & demonstratiuum.

Hanc similitudinem scribendi.) Imperiti in scribendis historijs exponunt acta & euentus, quemadmodum & nostri historici commemorant, bellum fuisse Henrico tertio cũ Rom. Pontifice, Imperatorem esse deiectum ab imperio, filium patri suffectum gesisse atrox bellum cũ patre. Causas verò dissensionis cum Pontifice non exponunt Secundò, neq; consilia partium dissentientium recitant, videlicet, qua occasione, aut quo consilio primùm motum sit bellum. Verùm huius rei satis magnus artifex est Liuius, qui legerit illum diligenter, ille non perdiderit operam.

DE IMITATIONE.

Cùm in alijs omnibus artibus magnam vim esse imitationis constet, dubitari non debet, quin eos etiam, qui in his eloquentiæ studijs versantur magnoperè adiuuet. Etenim cùm quotidianus sermo imitetur eorum linguam, quibus cum viuimus, & quorum oratione aures nostræ quotidie personant, verisimile est id genus dicendi colorem ducere eorum, quæ sępè multumq; legimus. Sed cùm de imitatione nonnulla sit eruditorum dissensio, vt intelligi, quæ ea de re à Quintiliano ac alijs tradita sunt, facilius posint, placuit & nostram sententiam recensere. Principiò quædam generalis est imitatio verborũ ac phrasis seu formularum Latini sermonis. prima enim cura esse debet, vt quàm copiosissimam supellectilem bonorum verborum, ac figurarum nobis paremus. Ad hoc proderit non omnium lectio, sed horum maximè, Ciceronis, Terentij,

Imitatio g[e]n[er]alis Verbor[um].

Cæsaris, Liuij. Plautus abundat bonis verbis ac figuris. Quare & is legendus est, sed ita vt fugiamus obsoleta quædam illius verba: ea scilicet quæ uidemus Ciceronis ætate repudiata esse. idem ferè de Salustio iudicari potest. Non oberit etiam attingere Plinios, Tacitum, sed cùm horum seculo iam degenerasset nonnihil sermo Romanus, iudicium adhibendum est, ne nimium amemus quasdam nouas illorum, seu formulas seu figuras. Post hos eloquentiæ studiosis fugiendi penè omnes. Deinde generalis imitatio rerum est, quam probat Fabius, putàtque multarum lectionem profuturam, quia acumen in inueniendo, prudentiámque in disponendo multorum exempla acuant, & ijsdem inuentionis locis eadem ratione in disponendo ferè omnes diserti vtuntur. Quare non oberit multa exempla cognouisse, præsertim cùm in similibus causis ijsdemq; locis, tamen aliud alijs in mentem veniat, quod magis ad rem pertinet. Neque verò tantùm similitudo quædam est artificum in inueniendo ac disponendo, sed etiam quædam elocutionis similitudo est. Omnes enim alicubi vtuntur amplificationibus, & reliquis ornamentis orationis. Postremò specialis quædam imitationis ratio est posita in collocatione verborum, in absoluendis argumentis, & in ordine periodorum. Neque est hæc, vt aliqui existimant, inutilis diligentia. Reddit enim illustrem & perspicuam orationem. Est autem omne in dicendo studium eò referendum, vt oratio quàm maximè clara perspicuáq; efficiatur. Et quia Ciceronis in compositione diligentia summa fuit, hunc nobis magistrum, hoc exemplum maximè proponere debemus, in hũc toto animo, totáque mente intueri, hunc ita amare, vt cùm ad alios tanquam ad hospites aliquãdo expatiati simus, ad hunc statim redeamus,

apud hunc habitemus, hunc familiarissimum nobis faciamus, vt scribentes imaginem orationis eius intueamur, ad eamq́; cogitationes ac stylum dirigamus. Sed priusquam præcepta huius rei tradamus, exempla quædam ostendemus, vt intelligi posset quantum præstet Ciceronem potius quàm alios sequi. Pliniana oratio sæpè numeris Platonis obscurior est, hanc ob causam, quia compositio Ciceronianæ dissimilis est, ita accidit vt sæpè in vnam periodum infarciantur multa quæ syntaxin perturbant. Sæpè non explentur inchoatæ sententiæ, connectuntur alicubi sententiæ nihil cohærentes: alicubi desunt argumentis conclusiones & epiphonemata. Huiusmodi vitia sequuntur negligentiam in componendo: sic argumentatur Plinius in præfatione, vnumquenque ei maximè iudici debere satisfacere, quem ipse sibi elegerit, non quem sors dederit. Sors enim sæpè dat iniquos, dat imperitos iudices: cùm autem ipse ad sui operis cognitionem Cæsarem tanquam iudicem adhibuerit, se quoque hoc debuisse præstare, vt placeret scriptum Cæsari. Hic locus paulò obscurior est apud authorem, cùm tantum antecedens ponat, idq́; exemplis amplificet, postea relinquat argumentum mutilum sine conclusione hoc modo: Quàm plurimùm refert sortiatur aliquis iudicem an eligat, multúq́; adparatus interest apud inuitatum hospitem & oblatum. Cùm apud Catonem illum ambitus hostem, & repulsis tanquam honoribus ineptis gaudentem, flagrantibus comitijs pecuniam deponerent candidati, hoc se facere pro innocentia, quod in rebus humanis summum esset, profitebantur. Inde illa nobilis M. Ciceronis suspiratio: ô te felicem M. Porti, à quo rem improbam petere nemo audet, cùm tribunos adpellaret L. Scipio Asiaticus, inter quos erat Gracchus, hoc attestabatur vel inimico iudice se probari posse.

Vides

Vides deesse conclusionem his exemplis, præterea etiam quædam esse assuta præter rem. Atque in huiusmodi exemplis facilè est videre rationem componendæ seruandæq; orationis, nō modò voluptatis causa vt modulatior ad aures accideret oratio, sed multò magis vtilitatis causa excogitatam esse, quia re ipsa experimur, sermonem temere effusum sæpè obscurum esse. Neque nos hoc loco ea, quæ de numeris à veteribus tradita sunt, attingemus. Quæ postea quàm vsus Latinæ linguæ vernaculus esse desijt, intelligi magna ex parte non possunt, sed alia quædam præcepta leuiora colligemus, quæ tamen vel ad intelligendos eos, qui de compositione orationis scripserunt, vel ad cognoscendam imitandi rationem nonnihil conducent. Quid enim profuerit de imitatione præcipere, nisi antea demonstremus, quæ virtutes maximè intuendæ petendæq; sint? Est autem initiò error eorum reprehendendus, qui tum se effingere aliquem scriptorem iudicant, cùm multos ab illo versus ex varijs collectos locis, vbi commodum est, consuunt. Quo genere dicendi nihil deformiùs aut monstrosius cogitari potest: vt enim si quis statuarius transferat à Phydiæ Minerua caput, thoracem à Polycleti puero sumat, pedes ab Hercule Euthycratis mutuetur, quia hæc maximè laudentur, planè monstrum efficiet, quia hæc vt suo quæque loco maximè decent: ita auulsa à suis corporibus, inter se minimè consentiunt. Ita neque oratio ex varijs locis authoris alicuius excerpta ritè cohærebit: Et si qui hanc vnam imitationis vim esse arbitrantur, aliena scripta compilare, & velut rapsodias quasdam vndique conuerrere: hi iure veluti Aesopica cornicula irridendi erunt. Accedit his etiam, qui alieno sermone tanquam per interpretem eloqui omnia conantur sæpè vt desit oratio. Neq; enim nisi ma-

gno labore ista authoris, quem sequuntur, fragmenta, è libris excerpi possunt. Non igitur probanda est illa seruitus, quam irrisit Horatius, cũ inquit:

O imitatores seruum pecus, vt mihi sæpè
Bilem atq; iocum vestri mouêre tumultus.

Sed debet imitatio quandam efficere similitudinem, vt cùm ipsi genuimus orationem, agnosci tamen posśit, quod exemplum secuti simus. Ad eam rem opus est primũ copiosa suppellectile bonorum verborum, quæ vltro se dicturis offerãt. Deinde tuenda est etiam forma iungendorũ verborum, quæ non abhorreat à Latina consuetudine, ad quam velut archetypum dirigamus & ipsi mentem in verbis coniungendis. Hanc similitudinem petere in imitando debemus. Etenim nisi etiam in coniungendis verbis veterum consuetudinem sequemur, nouum quoddam sermonis genus ac peregrinum inuehere in Latium, non Latinè loqui videbimur. Proinde elegendus est Cicero, cuius orationem nobis velut archetypũ proponamus, in quem mentẽ atq; oculos defigamus, non aliter atq; pictor eam faciem contemplatur quam depingit. Porrò vt intelligi melius posśit, & quid in iungendis verbis seruauerit Cicero, & quid in illius lectione in primis cõsiderare oporteat, explicabimus præcepta de cõpositione paulò antè instituta. Primũ præceptum de iungendis verbis, in quibus hoc maximè cauendum est, ne sint hyperbata vitiosa in oratione:

Saxa vocant Itali mediis quæ in fluctibus aras.

Et omnino ne longiùs inter se distent voces, quas intellectus copulat. ꝙ multis de causis accidit. Aliquando enim longè fluit oratio, cùm parentheses longiores inseruntur. Quale est Plinianę præfationis initium. Sæpè longius fluit oratio ob alias causas, quod quoties intellectui officit, vitiosum est. Vitanda sunt & ἀνανταπόδατα. Sed de simili-

milibus cùm Grammatici præcipiant, nos hoc loco breuiores erimus. Quæ autem esse spatia sententiarum soleant, postea ostendemus, cùm de comatis & colis dicemus. Hoc interea monere satis est, in Cicerone longiùs aliquanto distare eiusdem membri voces, quàm in Terentio. Est enim Comœdia quotidiano sermoni similior. Et Cicero sæpè illo humili genere orationis vtens, maximè in epistolis, & Philosophicis disputationibus, breuia membra efficit: non valde absimilia Terentiano generi, vt sunt illa. Grata tibi esse officia mea non miror, cognoui enim te gratissimum omnium, idq; nunquam destiti prædicare. Nec enim tu mihi gratiã modò habuisti, verum etiam cumulatè retulisti. In grandiore genere verba plerumque claudunt orationem, aut collectiuæ particulæ, aut comparatiua, aut superlatiua. Quæ si quis transferat in medium, statim sentiet, sonum orationis esse submissiorem, vt sunt hæc: An verò vir amplissimus P. Scipio Pontif. max. Tiberium Gracchum mediocriter labefactantem statum Reipublic. priuatus interfecit. Fac ita esse: An verò vir ampliss. P. Scipio Pont. Max. priuatus interfecit Gracchum mediocriter labefactantem statum Reipub. Hic mutato duarum vocum situ, planè alius est sonus orationis. Sed hæc tota ratio variè tractatur à Cicerone. Nam is grandioribus minùs est etiam in Philippicis vsus, quo tempore dixit canescere orationem suam, & fieri leniorem. Hæc duxi esse adscribenda, vt monerem, ne temerè clauderetis orationem, sed exempla veterum obseruaretis. Qui quidem plerunq; eo in loco verba ponunt, & alias, quas dixi voces, maximè cùm volunt sonum orationis esse pleniorem. Rursus cùm volũt videri summissiùs dicere, eiusmodi particulas in medium transferunt. Quod fecisse mihi initio primæ Philippicæ videtur. Antequam de Repub.

P. C. dicam, ea quæ dicenda hoc tempore arbitror, exponam uobis breuiter consilium & profectionis & reuersionis meæ. Fac ita esse: Breuiter consilium & profectionis & reuersionis meæ vobis exponam, sic enim subsideret oratio in longiorem pedem, exponam. Quod Quintilianus probat. Secundum præceptum plus aliquanto negotij habet de absoluendis sententijs. Est enim diligenter videndum, non modo ne propter verborum breuitatem fiat obscura oratio, sed etiam vt cùm opus est argumentis, subijciantur conclusiones, vt conclusionibus præponantur rationes, ne aliena à proposito inseramus argumentationibus. Quod dum fit, nimis procul conclusio à rationibus distrahitur. Magna vis est huius præcepti. Nam hæc diligentia multum ad orationis perspicuitatem facit. Atque huius rei miram artificem esse Ciceronem videbis.

Diuidunt totam rem.) Commemorat aliquot generalia præcepta ex arte.

Deinde quinq;.) Officia Oratoris.

Atq; hæc ego non reprehendo.) Partes orationis, & compendio perstringit quicquid est traditum à Rhetoribus de arte.

Voce & forma.) Instrumenta naturalia ad eloquentiam.

Ad probandum autem.) Duplicia esse argumēta quædam ἄτεχνα, id est, non artificialia, quædā ἔντεχνα, id est, artificialia. ἄτεχνα offert ipse status causæ, atque ipsa materies, de qua est controuersia: non enim ab Oratore excogitantur, sicut alia quæ ἔντεχνα dicuntur.

Tu vero, inquit, Antoni.) Tergiuersatio. Sententia huius loci est: quia dixisti iam de inuentione, itaq; debet etiam dicere de ornamentis.

Illa depromè nobis.) Ratio tractandi Theses, cùm videlicet à causa ad locos communes te recipis.

Neque

Neque enim quoties.) De locis dialecticis.

Ac primum naturam causæ.) De αἰτίῳ καὶ κρινομένῳ. ἄιτιον significat principalem rationem, vt in oratione Miloniana.

Milo iure occîdit Clodium.) Exemplum est in oratione pro Murena: Murena non potest accusari de ambitu: ἄιτιον, quia hoc quod dedit, est lege datum, non contra legem. ἄιτιον est maior & minor. κρινόμενον interdum minor, interdum maior est.

Constituunt enim in.) Iterum præcipit de locis communibus, seu thesibus, & prudenter reprehendit scriptores Rhetorices: quòd omittant theses, cùm has maximè oporteat tractari. De hypothesi nihil attinet præcipere: nam personarum nomina parum ad rem faciunt. Iubet igitur semper reuocare exemplum ad thesim. Thesim autē debemus scribere perfectè ductam per locos dialecticos, scilicet per definitionem, diuisionem, causas, pugnantia & adfinia.

Quid enim est, in quo.) Partitio locorum dialecticorum.

Sūt aūt loci triplices:
- Interiores, definitiones.
- Exteriores, pugnantium.
- Medij, causarū & effectuū.

DE AFFECTIBVS.

Ratio tractandorum adfectuum magna ex parte sumitur ex locis generis deliberatiui, scilicet ex honesto & vtili: honesta enim & vtilia amamus, turpia ac damnosa odio habemus ac fugimus. Sed hæc ipsa ratio honestorum & vtilium vestienda est circunstantijs, in quibus plurimum valent picturæ, quæ incurrunt in oculos: Et, vt Fabius ait, vim oculis adferunt. Quale illud est Vergilij de cæde Priami:

Altaria ad ipsa trementem
Traxit, & in multo lapsantem sanguine gnati.

Hic enim in singulis verbis singuli affectus sunt. Primùm auget atrocitatem cædis, quod ad aras fit. Postea παῖς est, in oculos incurrens, trementem. Item traxit, item lapsantem ac volutantem in sanguine: sed atrocissimum est quod in gnati sanguine volutatur. Itaque quod summum erat in postremum locum distulit. Talia sunt & hæc ex turpitudine: nempe ex ingratitudine tracta ac vestita circunstantijs. Quale:

Nunquam tuta fides, eiectum littore egentem.
Excepi, & regni demens in parte locaui.

Plato scribit Rhetoricam esse particulam assentationis. Vt autem certa præcepta assentatori dari non possunt: ita fortassis in hac quoque parte Rhetori certa præcepta præscribi non possunt. Multùm autem adiuuabitur aliquis cognitione honestorum & turpium, sine qua alioqui etiam eloquentia inops est.

DE CONFVTATIONE, VEL DE DISSOLVENDIS ARGVMENTIS.

Docet dissoluere argumenta hoc modo: aut enim propositio aliqua argumenti, vel eius probatio interpretanda est distinctione aliqua, vt cũ sic ratiocinor: Christianis non licet vindicare, bellare est vindicare, non licet igitur bellare. Hic maior neganda est, & probatio interpretanda. Aut vitium aliquod est in consequentia: vt lex Moysi Iudæis prohibuit suspendere fures: ergo nobis non licet suspendere fures. Aut soluitur argumentum si opponatur contrarium, vt Christus vetat iurare, ergo peccatum est iurare. Hic enim opponitur exemplum Apostoli iurantis.

Etenim cùm duo genera. Duo sunt genera facetiarum, alterum est triste, alterum perpetua hilaritas, vt est oratio Terentij.

Sed ego in his præceptis.) Ars prodest ad iudicandum, vtrùm repertis argumentis euagemur extra propositum, an apta dicamus, an cohærentia, &c.

Ego verò, atq.) Antonij oratio de iudicio. Primùm autem monet de delectu, vt bona eligamus & mala arte occultemus. Deinde videndum ne quid mali faciamus in causa.

Gratiùs sibi illum esse facturum.) Vt est Frederichi Imperatoris sententia, quæ & Norinbergæ in ære est scripta: RERVM IRRECVPERABILIVM SVMMA FELICITAS EST OBLIVIO.

Exitus dant ad eiusmodi.) Digresſiones nihil sunt nisi ἐπιφωνήματα, quæ sunt veræ amplificationes ad locum communem.

Cùm brachium concalefe.) Metaphora sumpta à militibus, qui non anteà exercent brachiū quàm pugnent.

De memoria.) Memoria magna ex parte naturæ bonitate contingit, adiuuatur aliqua ex parte etiam arte. Actio tota iam est alia quàm olim fuit, de qua infra plura dicet.

M. T. Ch

M. TVLLII CICERONIS DE ORATORE LIBER TERTIVS.

Propositio. INSTItuenti mihi, Quinte frater eum sermonem referre, & mandare huic tertio libro, quem post Antonij disputationem Crassus habuisset, acerba sanè recordatio ueterem animi curā molestiamq; renouauit. Nā illud immortalitate dignū ingenium, illa humanitas, illa uirtus L. Craßi morte extincta subita est, uix diebus decem post eum diē, qui hoc, & superiore libro continetur.

Narratio. Vt enim Romam redijt extremo Scenicorum ludorum die, uehementer commotus ea oratione quæ ferebatur habita esse in concione à Philippo, quem dixisse constabat, Videndum sibi aliud esse consilium: illo senatu se Rempublic. gerere non posse, mane Idibus Septemb. & ille, & senatus frequens uocatu Drusi in Curiam uenit. ibi cùm Drusus multa de Philippo questus esset,

Collatio. retulit ad senatum de illo ipso quod consul in eum ordinem tam grauiter in concione esset inuectus. Hic, ut sæpe inter homines sapientißi-

tißimos constare uidi, quanquam hoc Crasso cũ aliquid accuratius dixisset semper ferè contigisset, ut nunquam dixisse melius putaretur, tamen omnium consensu sic esse tum iudicatum, cæteros à Crasso semper omnes, illo autem die etiam ipsum à sese superatum. Deplorauit enim casum atq; orbitatẽ senatus, cuius ordinis, à Consule, qui quasi parens bonus, aut tutor fidelis esse deberet, tanquam ab aliquo nefario prædone diriperetur patrimonium dignitatis: neq; uerò esse mirandum, si cum suis consilijs Remp. profligasset, consilium senatus à Rep. repudiaret. Hic cùm homini & uehementi & diserto, & in primis forti ad resistendum Philippo quasi quasdam uerborum faces admouisset, non tulit ille, & grauiter exarsit, pignoribus'que ablatis Crassum instituit coërcere. Quo quidem ipso in loco multa à Crasso diuinitus dicta efferebantur, cũ sibi illum consulem esse negaret, cui senator ipse non esset. An tu cùm omnem authoritatem uniuersi ordinis pro pignore * putares, eamq; in conspectu populi Romani concideres, me his pignoribus existimas posse terreri? Non tibi illa sunt cedenda. Si Crassum uis coërcere, hæc tibi est excidenda lingua: qua uel euulsa, spiritu ipso libidinem tuã libertas mea refutabit. Permulta tum uehementißima contentione animi, ingenij, uirium, ab eo dicta esse constabat, sententiamq; eam quam senatus frequens

Perstringit capita argumentorũ Crassi.

De pignoribus Philippica prima.

Propugnare.

secu-

secutus est ornatißimis & grauißimis uerbis, ut populo Ro. satisfieret, nunquam senatus neq; consilium Reip. nec fidem defuisse ab eo dictam, & eundem, id quod in authoritatibus perscriptis extat, scribendo affuisse. Illa tanquam cygnea fuit diuini hominis uox, & oratio, quam quasi expectantes post eius interitum ueniebamus in Curiam, ut uestigium illud ipsum, in quo ille postremum institisset, contueremur. Nanq; tum latus ei dicenti condoluisse, sudorem'que multum consecutum esse audiebamus: ex quo cùm cohorruisset, cum febri domum rediјt: dieq; septimo est lateris dolore consumptus. O fallacem hominum spem, fragilem'que fortunã, & inanes nostras contentiones, quæ in medio spatio sæpè franguntur, & corruunt, & antè in ipso cursu obruuntur, quàm portum conspicere potuerunt. Nam quàm diu Craßi fuit ambitionis labore uita districta, tamdiu priuatis magis officijs, & ingenij laude floruit, quàm fructu amplitudinis, aut Reip. dignitate. Qui autem ei annus primus ab honorum perfunctione aditum omnium concessu ad summam authoritatem dabat, is eius omnem spem, atq; omnia uitæ consilia morte præuertit. Fuit hoc luctuosum suis, acerbum patriæ, graue bonis omnibus: sed ij tamen Remp. casus secuti sunt, ut mihi non erepta L. Crasso à Dijs immortalibus uita, sed donata mors esse uideatur. Non uidit

Exclamatio qua deplorat immaturam mortem.

dit flagrantem bello Italiam, nõ ardentẽ inuidia se natum, non sceleris nefarij principes ciuitatis reos, nõ luctum filiæ, non exilium generi, non acerbißimam C. Marij fugam, nõ illam post reditum eius cædem omnium crudelißimam, non deniq; in omni genere deformatam eam ciuitatem, in qua ipse florentißima multum omnibus gloria præstitisset. Sed quoniam attigi cogitatione uim, uarietatemq; fortunæ, non uagabitur oratio mea longius: atq; ijs ferè ipsis definietur uiris, qui hoc sermone quem referre cœpimus, continẽtur. Quis enim non iure beatam L. Craßi mortem illam, quæ est à multis sæpe defleta, dixerit, cum horum ipsorum sit, qui tum cũ illo postremum ferè collocuti sunt, euentum recordatus? Tenemus enim memoria, Q. Catulum uirum omni laude præstantem, cum sibi non incolumẽ fortunam, sed exilium & fugam deprecaretur, esse coactũ ut uita se ipse priuaret. Iam M. Antonij in his ipsis Rostris, in quibus ille Remp. cõstantißime cõsul defenderat, quæq; cẽsor imperatorijs manubijs ornarat, positum caput illud fuit, à quo erant multorum ciuium capita seruata. Neq; uero longe ab eo C. Iulij caput, hospitis Hetrusci scelere proditũ, cum L. Iulij fratris capite iacuit: ut ille qui hæc non uidit, & uixisse cum Rep. pariter, et cum illa simul extinctus esse uideatur. Neque enim propinquum suum maximi animi uirum P. Crassum suapte in-

terfectum manu, neq; collegæ sui Pontificis Maximi sanguine simulacrum Vestæ respersum esse uidit, cui mœrori (qua mente ille in patriã fuit) etiã C. Carbonis inimicißimi hominis eodem illo die mors nefaria fuisset. Non uidit corũ ipsorum qui tũ adolescentes Crasso se dicarant, horribiles miserosq; casus, ex quibus C. Cotta, quẽ ille florentẽ reliquerat, paucis diebus post mortem Craßi depulsus per inuidiam tribunatu, non multis ab eo tempore mensibus eiectus est è ciuitate. Sulpitius autem, qui in eadem inuidiæ flamma fuisset, quibuscũ priuatus coniunctißimè uixerat, hos in tribunatu spoliare instituit omni dignitate, cui quidem ad summam gloriam eloquentiæ florescenti, ferro erepta uita est, & pœna temeritatis non sine magno Reipublicæ malo constituta.

Apostrophe ad Crassum.

Ego uero te Crasse, cùm uitæ flore, tum mortis oportunitate, diuino consilio, & ortum & extinctum esse arbitror. Nam tibi aut pro uirtute animi, constantiaq; tua ciuilis ferri subeunda fuit crudelitas, aut si qua te fortuna ab atrocitate mortis uindicasset, eadem esse te funerum patriæ spectatorem coëgisset. Neque solum tibi improborum dominatus, sed etiam propter admißam ciuium cædem bonorum uictoria mœrori fuisset.

Amplificatio à γνώμη, λήτει δὲ βιώσας.

Mihi quidem Quinte frater, & eorum casus, de quibus antè dixi, & ea quæ nosmetipsi ob amorem in Rempublicam incredibilem

& singularem pertulimus ac sensimus, cogitanti, sententia sæpe tua uera ac sapiens uideri solet, qui propter tot, tantos, tamq; præcipites casus clarissimorum hominum atque optimorum uirorum, me semper ab omni contentione ac dimicatione reuocasti. Sed quoniam hæc iam neq; in integro nobis esse possunt, & summi labores nostri magna compensati gloria mitigantur, pergamus ad ea solatia, quæ non modo sedatis molestijs iucunda, sed etiam hærentibus salutaria nobis esse possunt: sermonēq; L. Craßi reliquum, ac penè postremum memoriæ prodamus, atque ei, etsi nequaquam parem illius ingenio, at pro nostro tamen studio meritam gratiam debitamq; referamus. Neq; enim quisquam nostrū, cum libros Platonis mirabiliter scriptos legit, in quibus omnibus fere Socrates exprimitur, non quanquam illa scripta sunt diuinitus, tamen maius quiddā de illo de quo scripta sunt, suspicatur. Quod itē nos postulamus, non à te quidem, qui nobis summa omnia tribuis, sed à cæteris, qui hæc in manus sument, ut maius quiddam de L. Crasso, quàm quantum à nobis exprimetur, suspicentur. Nos enim qui ipsi sermoni non interfuissemus, & quibus C. Cotta tantummodo locos ac sententias huius disputationis tradidisset, quo in genere orationis utrumque oratorem cognoueramus, id ipsum sumus in eorum sermone adumbrare conati. Quod si quis erit

Operis cō mendatio

qui ductus opinione uulgi, aut Antonium ieiuniorem, aut Crassum fuiße pleniorem putet, quàm quomodo à nobis uterq; inductus esset, is erit ex ijs q aut illos non audierit, aut iudicare non poßit. Nam fuit uterq; (ut exposui anteà) cùm studio, atq; ingenio, & doctrina præstans omnibus, tum in suo genere perfectus: ut neq; in Antonio deesset hic ornatus orationis, neque in Crasso redundaret. Vt igitur ante meridiem discesserunt, paululumq; requierunt, in primis hoc à se Cotta animaduersum esse dicebat, omne illud tempus meridianũ Craßum in acerrima atq; attentißima cogitatione posuiße: seseq;, qui uultum eius, cum ei dicendum esset, obtutumq; oculorum in cogitando probè noßet, atque in maximis causis sæpè uidisset, cùm dedita opera quiescentibus alijs in eam exhedrã uenisset, in qua Crassus lectulo posito recubuisset: cumq; eum in cogitatione defixum esse sensisset, statim receßisse, atque in eo silentio duas horas ferè esse consumptas: deinde cùm omneis inclinato iam in pomeridianum tempus die uenissent ad Crassum, Quid est Crasse? inquit Iulius, imus'ne sessum? etsi admonitum uenimus te, non flagitatum. Tum Crassus, An me tam impudentem esse existimatis, ut uobis hoc præsertim munus putem diutius posse debere? Quinam igitur, inquit ille, locus, an in media sylua placet? est enim is maximè & opacus, & frigidus. Sanè

Dialogus.

nè, inquit Craßus, etenim est in eo loco sedes huic nostro non inoportuna sermoni. Cum placuisset idem cæteris, in syluam uenitur: & ibi magna cũ audiendi expectatione considitur. Tum Crassus, Cùm authoritas atq; amicitia uestra, tum Antonij facilitas eripuit, inquit, mihi in optima mea causa libertatem recusandi: quanquam in partienda disputatione nostra cum sibi de ijs quæ dici ab oratore oporteret, sumeret, mihi autem relinqueret, ut explicarem, quemadmodum illa ornari oporteret, ea diuisit quæ seiuncta esse non poßunt. Nam cum omnis ex re atq; uerbis constet oratio: neq; uerba sedem † habere poßunt si rem subtraxeris, neq; res lumen, si uerba semoueris. Ac mihi quidem ueteres illi maius quiddam animo complexi, plus multo etiam uidiße uidentur, quàm quantum nostrorum ingeniorum acies intueri potest, qui omnia hæc quæ supra, & subter, unum eße, & una ui, atq; una consensione naturæ constricta eße dixerunt. Nullum est enim genus rerum, quod aut auulsum à cæteris per se ipsum constare, aut quo cætera si careant, uim suam atq; æternitatem conseruare poßint. Sed si hæc maior eße ratio uidetur, quàm ut hominum poßit sensu aut cogitatione comprehendi, est etiã illa Platonis uera, & tibi Catule certè non inaudita uox, omnem doctrinam harum ingenuarũ, et humanarum artium uno quodam societatis uinculo contineri.

Rerum, & uerborũ scientiam cohærere.

Fidem.

Exemplis amplificat.

timeri. Vbi enim perspecta uis est rationis eius, qua causæ rerũ atq; exitus cognoscũtur, mirus quidam omnium quasi consensus doctrinarum concentusq; reperitur. Sed si hoc quoq; uidetur esse altius, quã ut id nos humi strati suscipere poßimus, illud certè tamen quod amplexi sumus, quod profitemur, quod suscepimus, nosse & tenere debemus. Vna est enim, quod & ego hesterna die dixi, & aliquot locis antemeridiano sermone significauit Antonius, eloquentia, quascunque in oras disputationis regiones'ue delata est. Nam siue de cœli natura loquitur, siue de terræ, siue de diuina ui, siue de humana, siue ex inferiore loco, siue ex æquo, siue ex superiore, siue ut impellat homines, siue ut doceat, siue ut deterreat, siue ut concitet, siue ut reflectat, siue ut incendat, siue ut leniat, siue ad paucos, siue ad multos, siue inter alienos, siue cum suis, siue secũ, riuis est diducta oratio non fontibus: & quocunq; ingreditur, eodẽ est instructu ornatuq; comitata. Sed quoniam oppreßi iam sumus opinionibus, non modo uulgi, uerùm etiam hominum non leuiter eruditorũ, qui quæ complecti tota nequeunt, hæc faciliùs diuulsa, & quasi discerpta cõtrectant, & qui tanquam ab animo corpus, sic à sententijs uerba seiungunt, quorũ sine interitu fieri neutrum potest: non suscipiã oratione mea plus quã mihi imponitur: tantũ significabo breui, neq; uerborũ ornatũ inueniri

Laus eloquentiæ.

poße

posse non partitis expreßisq; sententijs, neq; esse ullam sententiam illustrem sine luce uerborum. Sed prius quàm illa conor attingere, quibus orationem ornari, atq; illuminari putem, proponam breuiter quid sentiam de uniuerso genere dicendi. Natura nulla est (ut mihi uidetur) quæ non habeat in suo genere res complureis dißimiles inter se, quæ tamen consimili laude dignentur. Nam & auribus multa percipimus, quæ etsi nos uocibus delectant, tamẽ ita sunt uaria sæpe, ut id quod proximum audias, iucundißimum esse uideatur: & oculis colliguntur penè innumerabiles uoluptates, quæ nos ita capiunt, ut unum sensum dißimili genere delectent: & reliquos sensus uoluptates oblectant dispares: ut sit difficile iudicium excellentis maximè suauitatis. At hoc idem quod est in naturis rerum, transferri potest etiam ad artes. Vna fingendi est ars, in qua præstantes fuerunt Myro, Polycletus, Lysippus: qui omnes inter se dißimiles fuerunt, sed ita tamen, ut neminem sui uelis esse dißimilem. Vna est ars, ratioq; picturæ, dißimillimiq; tamẽ inter se Zeuxis, Aglaophon, Apelles: neq; eorum quisquam est cui quicquam in arte sua deesse uideatur. Et si hoc in his quasi mutis artibus est mirandum, & tamen uerum, quanto admirabilius in oratione, atque in lingua, quæ cùm in ijsdem sententijs, uerbis'que uersetur, summas habet dißimilitudines, non sic ut alij

Varia esse dicẽdi genera.

Amplificat exemplis.

uituperandi sint, sed ut ij quos constet esse laudandos, in dispari tamen genere laudentur. Atque id primum in poëtis cerni licet, quibus est proxima cognatio cum oratoribus, quàm sint inter sese Ennius, Pacuuius, Acciusq; dißimiles: quàm apud Græcos Aeschylus, Sophocles, Euripides: quanquã omnibus par penè laus in dißimili scribendi genere tribuatur. Aspicite nunc eos homines atque intuemini, quorum de facultate quærimus, quid intersit inter oratorum studia, atque naturas. Suauitatem Isocrates, subtilitatem Lysias, acumen Hyperides, sonitum Aeschines, uim Demosthenes habuit. Quis eorum non egregius? tamen cuiusquàm nisi sui similis? Grauitatem Africanus, lenitatẽ Lælius, asperitatẽ Galba, profluens quiddã habuit Carbo, & canorum: quis horum nõ princeps tẽporibus illis fuit? & suo tamen quisq; in genere princeps, Sed quid ego uetera conquiram, cum mihi liceat uti præsentibus exemplis, atq; uiuis? Quid iucundius auribus nostris unquam accidit huius oratione Catuli? quæ est pura sic, ut Latinè loqui penè solus uideatur: sic autem grauis, ut in singulari dignitate omnis tamen adsit humanitas, ac lepos. Quid multa? istum audiens, equidem sic iudicare soleo, quicquid aut addideris, aut mutaueris, aut detraxeris, uitiosius, & deterius futurũ. Quid noster hic Cæsar? nónne nouã quandam rationẽ attulit orationis,

& dicendi genus induxit propè singulare? Quis unquam præter hūc res tragicas penè comicè, tristes remißè, seueras hilarè, forenses scenica propè uenustate tractauit? atq; ita, ut neq; iocus magnitudine rerum excluderetur, nec grauitas facetijs minueretur. Ecce præsentes duo propè æquales Sulpitius, & Cotta: quid tam inter se dißimile? quid tam in suo genere præstās? limatus alter, & subtilis, rem explicans proprijs, aptisq; uerbis, hæret in causa semper, & quid iudici probandū sit cum acutißimè uidit, omißis cæteris argumentis in eo mentē orationemq; defigit. Sulpitius autem fortißimo quodam animi impetu, plenißima & maxima uoce, summa contentione corporis, & dignitate motus, uerborum quoq; ea grauitate, & copia est, ut unus ad dicendum instructißimus à natura esse uideatur. Ad nosmetipsos iam reuertor, quoniam sic fuimus semper comparati, ut hominum sermonibus quasi in aliquod contentionis iudicium uocaremur. Quid tam dißimile, quàm ego in dicendo, & Antonius? cùm ille is sit orator, ut nihil eo poßit esse præstantius: ego autem, quanquam memet mei pœnitet, cùm hoc maximè tamen in comparatione coniungar. Videtis'ne genus hoc quod sit Antonij? fortè uehemens, commotum in agendo, præmunitum, & ex omni parte causæ septum, acre, acutum, enucleatum, in unaquaq; re commorans, ho-

nestè cedens, acriter insequens, terrens, supplicans, summa orationis uarietate, nulla nostrarum aurium satietate. Nos autem, quicunque in dicendo sumus, quoniam esse aliquo in numero uobis uidemur: certè tamen ab huius multum genere distamus, quod quale sit, non est meum dicere, propterea quòd minimè sibi quisque notus est, & difficillimè de se quisque sentit. Sed tamen dißimilitudo intelligi potest, & ex motus mei mediocritate, & ex eo quòd quibus uestigijs primũ institi, in ijs ferè soleo perorare, & quòd aliquanto me maior in uerbis, quam in sententijs eligendis labor & cura torquet, uerentem ne si paulò obsoletior fuerit oratio, non digna expectatione, & silẽtio fuisse uideatur. Quod si in nobis qui adsumus, tantæ dißimilitudines, tam certæ res cuiusq; propriæ, & in ea uarietate ferè melius à deteriore facultate magis quàm genere distinguitur, atque omne laudatur quod in suo genere perfectum est: quid censetis, si omnes qui ubique sunt aut fuerunt Oratores, amplecti uoluerimus? num'ne fore, ut quot Oratores, totidem penè reperiantur genera dicendi? Ex qua mea disputatione forsitan occurrat illud, si penè innumerabiles sint quasi formæ figuræq; dicendi, specie dispares, genere laudabiles, non posse ea quæ inter se discrepant, ijsdem præceptis, atque in una institutione formari. Quod non est ita: diligentißimeq; hoc

Occupatio.

hoc est eis qui instituunt aliquos atq; erudiunt, uidendum quo sua quenque natura maximè ferre uideatur. Etenim uidemus ex eodem quasi ludo summorum in suo cuiusq; genere artificum, & magistrorum exisse discipulos dißimiles inter se: attamen laudandos, cùm ad cuiusq; naturam institutio doctoris accommodaretur: cuius est uel maximè insigne illud exemplum (ut cæteras artes omittamus) quod dicebat Isocrates doctor singularis, se calcaribus in Ephoro, contrà autem in Theopōpo frenis uti solere. Alterum enim exultantem uerborum audacia reprimebat: alterum cunctantem, & quasi uerecundantem incitabat. Neque eos similes effecit inter se, sed tantum alteri affinxit, de altero limauit, ut id confirmaret in utroq;, quod utriusq; natura pateretur. Hæc eô mihi prædicenda fuerunt, ut si non omnia quæ proponerentur à me, ad omnium uestrum studium, & ad genus id, quod quisq; uestrum in dicendo probaret, adhærescerent: id à me genus exprimi sentiretis, quod maximè mihi ipsi probaretur. Ergo hæc et agenda sunt ab Oratore quæ explicauit Antonius, & dicenda quodammodo: Quinam igitur dicendi est modus melior (nam de actione pòst uidero) quàm ut latinè, ut planè, ut ornatè, ut ad id quodcunq; agetur, aptè congruenterq; dicamus? Atq; eorum quidem quæ duo prima dixi, rationē non arbitror expecta-

Vrgenda natura.

De elocutione præcepta.

Oratio sit latina, dilucida, ornata, apta

ri à

ri à me puri dilucidiq́; sermonis. Neq; enim conamur docere eum dicere, qui loqui nesciat: nec sperare qui latinè non poßit, hunc ornatè esse dicturum: neque uerò, qui non dicat quod intelligamus, hunc posse quod admiremur, dicere. Linquamus igitur hæc, quæ cognitionem habent facilem, usum necessarium: nam alterum traditur literis, doctrinaq́; puerili, alterum adhibetur ob eam causam, ut intelligatur quid quisq; dicat: quod uidemus ita esse necessarium, ut tamen eo minus nihil eße poßit. Sed omnis loquendi elegantia, quanquam expolitur scientia literarum, tamen augetur legendis oratoribus, & poëtis. Sunt enim illi ueteres, qui ornare nondum poterant ea quæ dicebāt, omnes propè præclarè locuti: quorum sermone assuefacti qui erunt, ne cupientes quidem poterunt loqui nisi Latinè. Neq; tamen erit utendum uerbis ijs, quibus iam consuetudo nostra non utitur, nisi quando ornandi causa, parcè, quod ostendam: sed usitatis ita poterit uti lectißimis, ut utatur ijs, qui in ueteribus erit scriptis studiose, & multum uolutatus. Atque ut latinè loquamur, non solùm uidendum est ut & uerba efferamus ea quæ nemo iure reprehendat, & ea sic & casibus, & temporibus, & genere, & numero conseruemus, ut ne quid perturbatum ac discrepans, aut præposterum sit: sed etiam lingua, & spiritus, & uocis sonus est ipse moderandus.

Nolo

Nolo exprimi literas putidius, nolo obscurari negligentius: nolo uerba exiliter exanimata exire, nolo inflata & anhelata grauius. Nam de uoce nondum ea dico quæ sunt actionis, sed hoc, quod mihi cum sermone quasi coniunctum uidetur. Sunt enim certa uitia quæ nemo est quin effugere cupiat, mollis uox, ut muliebris, aut quasi extra modum absona atq; absurda. Est autem uitium, quod nonnulli de industria consectantur. Rustica uox, & agrestis quosdam delectat, quò magis antiquitatem, si ita sonet, eorum sermo retinere uideatur, ut tuus Catule sodalis L. Cotta gaudere mihi uidetur grauitate linguæ, sonoq; uocis agresti: & illud quod loquitur priscum uisum iri putat, si planè fuerit rusticanum. Me autem tuus sonus, & suauitas * ista delectat, omitto uerborum, quanquam est caput: uerùm id adfert ratio, docent literæ, confirmat consuetudo & legendi & loquendi. Sed hanc dico suauitatem, quæ exit ex ore: quæ quidem ut apud Græcos Atticorum sic in Latino sermone huius est urbis maximè propria. Athenis iam diu doctrina ipsorum Atheniensium interijt, domicilium tantùm in illa urbe remanet studiorum, quibus uacant ciues, peregrini fruuntur, capti quodammodo nomine urbis, & authoritate: tamen eruditißimos homines Asiaticos quiuis Atheniensis indoctus, non uerbis, sed sono uocis, nec tam bene, quàm suauiter

Pronunciatio puerilis.

Subtilitas

ter

ter loquendo facile ſuperabit. Noſtri minus ſtudent literis quàm Latini: tamen ex iſtis, quos noſtis, urbanis, in quibus minimum eſt literarum, nemo eſt quin literatiſsimum togatorum omnium Q. Valerium Soranum lenitate uocis atque ipſo oris preſſu & ſono facile uincat. Quare cum ſit quædam certa uox Romani generis, urbisq; propria, in qua nihil offendi, nihil diſplicere, nihil animaduerti poßit, nihil ſonare aut olere peregrinum: hanc ſequamur, neque ſolùm ruſticam aſperitatem, ſed etiam peregrinam inſolentiam fugere diſcamus. Equidem cùm audio ſocrum meam Læliam (facilius enim mulieres incorruptam antiquitatem conſeruant, quòd multorum ſermonis expertes, ea tenent ſemper quæ prima didicerunt) ſed eam ſic audio, ut Plautum mihi aut Næuium uidear audire. Sono ipſo uocis ita recto, & ſimplici eſt, ut nihil oſtentationis aut imitationis afferre uideatur: ex quo ſic locutum eſſe eius patrem iudico, ſic maiores non aſperè, ut ille quem dixi, non uaſtè, non ruſticè, nõ hiulcè, ſed preßè & æquabiliter, & leniter. Quare Cotta noſter, cuius tu illa lata Sulpiti nonnunquam imitaris, ut iota literam tollas, & e pleniſsimum dicas, non mihi oratores antiquos, ſed meſſores uideris imitari. Hic cùm arriſiſſet ipſe Sulpitius, Sic agam uobiſcum, inquit Craſſus, ut quoniam me loqui uoluiſtis, aliquid de ueſtris uitijs audiatis.

diatis. Vtinam quidem, inquit ille: enim ipsum uolumus: idq; si feceris, multa (ut arbitror) hîc hodie uitia ponemus. At enim non sine meo periculo, Crassus inquit, possum Sulpiti te reprehēdere: quoniam Antonius mihi te simillimum dixit sibi uideri. Tum ille, tum quod monuit idem, ut ea quæ in quoq; maxima essent, imitaremur: ex quo uereor ne nihil sim tui nisi supplosionem pedis imitatus, & pauca quædā uerba, & aliquem, si forte, motum. Ergo ista, inquit Crassus, quæ habes à me, non reprehendo, ne me ipsum irrideam. Sunt aūt mea multo & plura, & maiora q̄ dicis. Quæ autem sunt aut tui planè, aut imitatione ex aliquo expressa, de ijs te, si quis me forte locus admonuerit, commonebo.

Prætereamus igitur præcepta latinè loquendi, quæ puerilis doctrina tradit, & subtilior cognitio ac ratio literarum alit, aut consuetudo sermonis quotidiani ac domestici libri confirmant, & lectio ueterum oratorum & poëtarum. Neq; uerò in illo altero diutius commoremur, ut disputemus quibus rebus assequi poßimus, ut ea quæ dicamus, intelligantur, latinè scilicet dicendo, uerbis usitatis, ac propriè demonstrantibus ea quæ significari ac declarari uolemus, sine ambiguo uerbo aut sermone, non nimis longa continuatione uerborum aut ualde productis ijs, quæ similitudinis causa ex alijs rebus transferuntur, non discerptis sententijs, non Sit dilucidus.

præ-

præposteris temporibus, non confusis personis, non perturbato ordine. Quid multa? tam facilis est tota res, ut mihi permirum sæpe uideatur, cùm difficilius intelligatur quid patronus uelit dicere, quàm si ipse ille qui patronum adhibet, de re sua diceret. Isti enim qui ad nos causas deferunt, ita nos plerunque ipsi docent, ut non desideres planius dici. Easdem res autem simul ac Fusius aut uester æqualis Pomponius agere cœpit, non æque quid dicant, nisi admodum attenti, intelligo, ita confusa est oratio, ita perturbata, nihil ut sit primum, nihil ut secundum: tantaq; insolentia ac turba uerborum, ut oratio quæ lumen adhibere rebus debet, ea obscuritatem & tenebras afferat, atque ut quodammodo ipsi sibi in dicendo obstrepere uideãtur. Verùm, si placet, quoniam hæc satis spero uobis quidem, certè maioribus molesta & putida uideri, ad reliqua aliquanto odosiora pergamus. Atqui uides, inquit Antonius, cum alias res agamus, quàm te inuiti audiamus, qui adduci possumus (de me enim cõijcio) relictis ut rebus omnibus te sectemur, te audiamus: ita de horridis rebus nitida, de ieiunis plena, de peruulgatis noua quædam est oratio tua. Faciles enim, inquit, Antoni, partes eæ fuerunt duæ, quas modò percurri, uel potius penè præterij, latinè loquendi, planeq; dicendi: reliquæ sunt magnæ, implicatæ, uariæ, graues, quibus omnis admi-

admiratio ingenij, omnis laus eloquentiæ continetur. Nemo enim unquam est Oratorem, quòd latinè loqueretur, admiratus: si est aliter, irrident, neque eum Oratorem tantummodo, sed hominem non putant: nemo extulit eum uerbis, qui ita dixisset, ut qui adessent, intelligerent quid diceret: sed contempsit eum qui minus id facere potuisset. In quo igitur homines exhorrescunt? quem stupefacti dicentem intuentur? in quo exclamant? quem deum, ut ita dicam, inter homines putant? Qui distinctè, qui explicatè, qui abundanter, qui illuminatè & rebus & uerbis dicunt, & in ipsa oratione quasi quẽdam numerum uersumq; conficiunt, id est, quod dico ornatè: qui idem ita moderantur, ut rerum, ut personarum dignitates ferunt, ij sunt in eo genere laudandi laudis, quod ego aptum, & congruens nominem. Qui ita dicerẽt, eos negauit adhuc se uidisse Antonius, & ijs hoc nomen dixit eloquentiæ solis esse tribuendum. Quare omnes istos me authore deridete atq; contemnite, qui se horum qui nunc ita appellantur, rhetorum præceptis omnem Oratorũ uim complexos esse arbitrantur: neq; adhuc quam personam teneant, aut quid profiteantur, intelligere potuerunt. Verùm enim Oratori quæ sunt in hominum uita, quandoquidem in ea uersatur Orator, atq; ea est ei subiecta materies, omnia quæsita, audita, lecta, disputata, tractata, agitata esse debẽt. Est enim

De ornatu.

Eloquentia complectitur prudentiã

enim eloquentia una quædam de summis uirtutibus, quanquam sunt omnes uirtutes æquales & pares: sed tamen est species alia magis alia formosa & illustris: sicut hæc uis, quæ scientiam complexa rerum, sensa mentis, & consilia sic uerbis explicat, ut eos qui audiant, quocunq; incubuerit, posit impellere: quæ quo maior est uis, hoc est magis cum probitate iungenda, summaq; prudentia: quarum uirtutū expertibus si dicendi copiam tradiderimus, nō eos quidem oratores effecerimus, sed furentibus quædam arma dederimus. Hanc, inquam, cogitandi pronunciandiq; rationem, uimq; dicendi ueteres Græci sapientiam nominabant: hinc illi Lycurgi, hinc Pittaci, hinc Solones, atque ab hac similitudine Coruncani nostri, Fabricij, Catones, Scipiones fuerūt, non tam fortasse docti, sed impetu mentis simili & uoluntate. Eadem autem alij prudentia, sed consilio ad uitæ studia dispari, quietem atque otium secuti, ut Pythagoras, Democritus, Anaxagoras, à regendis ciuitatibus totos se ad cognitionem rerum transtulerunt: quæ uita propter tranquillitatem, & propter ipsius scientiæ suauitatem, qua nihil est hominibus iucundius, plures, quàm utile fuit rebus publicis, delectauit. Itaq; ut ei studio se excellentißimis ingenijs homines dediderunt, ex ea summa facultate uacui, ac liberi temporis, multo plura quā erat neceße, doctißimi homines otio nimio, &

σοφοί.

ingenijs

ingenijs uberrimis affluentes, curanda sibi esse ac quærenda & inuestiganda duxerunt. Nam uetus quidem illa doctrina eadem uidetur et rectè facien di, & bene dicendi magistra: neq; disiuncti docto- res, sed ijdem erant uiuendi præceptores, atque di- cendi: ut ille apud Homerum Phœnix, qui se à Peleo patre Achilli iuueni comitem esse datum dicit ad bellum, ut illum efficeret oratorem uerborum, acto- remq; rerum. Sed ut homines labori aßiduo & quo tidiano assueti, cùm tempestatis causa opere probi bentur, ad pilam se, aut ad talos, aut ad tesseras con ferunt, aut etiam nouum sibi ipsi aliquem excogitãt in otio ludum: sic illi à negotijs publicis tanquam ab opere aut temporibus exclusi, aut uoluntate sua feriati, totos se alij ad poëtas, alij ad geometras, alij ad musicos contulerunt: alij etiam, ut diale- ctici, nouum sibi ipsi studium ludumq; pepererunt: atque in ijs artibus quæ repertæ sunt, ut puerorum mentes ad humanitatem fingerentur, atque uirtu- tem, omne tempus atque ætates suas consumpse- runt. Sed quòd erant quidam, ij'que multi, qui aut in Republica propter ancipitem, quæ non potest esse seiuncta, faciendi dicendi'que sapientiam flo- rerent, ut Themistocles, ut Pericles, ut Therame- nes, aut qui minus ipsi in Repub. uersarentur, sed ut huius tamen eiusdem sapientiæ doctores essent, ut Gorgias, Thrasimachus, Isocrates, inuenti sunt,

μύθων τε ῥητῆρ' ἔμεναι πρηκτῆρά τε ἔργων.

qui cùm ipsi doctrina et ingenijs abundarent, à re autem ciuili, & à negotijs animi quodã iudicio abhorrerent, hanc dicendi exercitationem exagitarent, atq; contemnerent: quorum princeps Socrates fuit is, qui omnium eruditorum testimonio, totiusq; iudicio Græciæ, cùm prudentia, & acumine, & uenustate & subtilitate, tum uerò eloquentia, uarietate, copia, quam se cunq; in partem dedisset, omnium fuit facilè princeps. Is, qui hæc quæ nos nunc quærimus tractarent, agerent, docerent, cùm nomine appellarentur uno, quòd omnis rerum optimarum cognitio, atq; in ijs exercitatio, Philosophia nominaretur, hoc commune nomen eripuit, sapienterq; sentiendi, & ornatè dicendi scientiam re cohærentes, disputationibus suis separauit: cuius ingeniũ, uariosq; sermones immortalitate scriptis suis Plato tradidit, cùm ipse literam Socrates nullam reliquisset. Hinc dißidium illud extitit quasi linguæ atq; cordis, absurdum sanè, & inutile, & reprehendendum, ut alij nos sapere, alij dicere docerent. Nam cùm essent plures orti ferè à Socrate, quòd ex illius uarijs, & diuersis, & in omnem partem diffusis disputationibus alius aliud apprehenderat, proseminatæ sunt quasi familiæ dissentientes inter se, & multum disiunctæ, & dispares: cùm tamen omnes se Philosophi Socraticos & dici uellent, & esse arbitrarentur. Ac primò ab ipso Platone

Sciffę professiones.

tone Aristoteles, & Xenocrates: quorum alter Peripateticorum, alter Academiæ nomen obtinuit. Deinde ab Antisthene, qui patientiam, & duritiam in Socratico sermone maximè adamârat, Cynici primùm, deinde Stoici. Tum ab Aristippo, quem illæ magis uoluptariæ disputationes delectârant, Cyrenaica Philosophia manauit, quam ille & eius posteri simpliciter defenderant, ij qui nunc uoluptate omnia metiuntur, dum uerecundius id agunt, nec dignitati satisfaciunt, quam non aspernantur: nec uoluptatem tuentur, quam amplexari uolunt. Fuerunt etiam alia genera Philosophorum, qui se omnes ferè Socraticos eße dicebant, Eretriocorum, Herilliorum, Megaricorum, Pyrrhoneorum: sed ea horum ui & disputationibus sunt iamdiu fracta, & extincta. Ex illis autem quæ remanent, ea Philosophia quæ suscepit patrocinium uoluptatis, etsi cui uera uideatur, procul abest tamen ab eo uiro, quem quærimus, & quem authorē publici consilij, & regendæ ciuitatis ducem, & sententiæ atq; eloquentiæ principem in senatu, in populo, in causis publicis esse uolumus: nec ulla tamen ei Philosophiæ fiet iniuria à nobis. Non enum repelletur inde quò aggredi cupiet, sed in hortulis quiescet suis, ubi uult ubi etiam recubans molliter & delicatè, nos auocat à rostris, à iudicijs, à curia, fortasse sapienter, ac præsertim à Rep. Verùm ego non quæro nunc

Quod Philosophiæ genus maximè sit aptū Oratori.

quæ ſit Philoſophia uerißima, ſed quæ oratori con iuncta maximè. Quare iſtos ſine ulla contumelia dimittamus. Sunt enim et boni uiri, & quoniam ſibi ita uidentur, beati: tantumq́; eos admoneamus ut illud, etiam ſi eſt uerißimum, tacitum tamen tanquam myſterium teneant, quod negant uerſari in Repub. eſſe ſapientis. Nam ſi hoc nobis atque optimo cuique perſuaſerint, non poterunt ipſi eſſe, id quod maximè cupiunt, otioſi. Stoicos autem, quos minimè improbo, dimitto tamen, nec eos iratos uereor, quoniam omninò iraſci neſciunt: atq; hanc ab ijs habeo gratiam, quòd ſoli ex omnibus eloquentiam uirtutem ac ſapientiam eße dixerunt: ſed utrunque eſt in his, quod ab hoc quem inſtruimus oratore ualdè abhorreat, uel quod omnes qui ſapientes non ſint, ſeruos, latrones, hoſtes, inſanos eſſe dicunt, neq; tamen quenquam eſſe ſapientem. Valde autem eſt abſurdum, ei concionem, aut ſenatum, aut ullum cœtum hominum committere: cui nemo illorum qui adſint, ſanus, nemo ciuis, nemo liber eſſe uideatur. Accedit, quod orationis etiam genus habent fortaſſe ſubtile, & certè acutum, ſed ut in oratore, exile, inuſitatum, abhorrens ab auribus uulgi, obſcurum, inane, ieiunum, attamen eiuſmodi, quo uti ad uulgus nullo modo poßit. Alia enim & bona & mala uidentur Stoicis, & cæteris ciuibus, uel potius gentibus, alia uis honoris, ignominiæ,

præ-

præmij, supplicij: uerè, an secus, nihil ad hoc tempus: sed ea si sequatur, nullam unquam rem dicendo expedire poßimus. Reliqui sunt Peripatetici, & Academici: quanquam Academicorum nomen est unum, sententiæ duæ: nam Speusippus Platonis sororis filius, & Xenocrates, qui Platonem audierat, & qui Xenocratem Polemo, & Crantor, nihil ab Aristotele, qui unà audierat Platonem magnoperè dissensit: copia fortasse, & uarietate dicendi pares non fuerunt. Arcesilas primùm, qui Polemonem audierat, ex uarijs Platonis libris sermonibusq; Socraticis hoc maximè arripuit, nihil esse certi, quod aut sensibus aut animo percipi posit. Quem ferunt eximio quodam usum lepôre dicendi, aspernatum esse omne animi, sensusq; iudicium, primumq; instituisse (quanquam id fuit Socrati cum maximè) non quid ipse sentiret ostendere, sed contra id, quod quisque se sentire dixisset, disputare. Hinc hæc recentior Academia emanauit, in qua extitit diuina quadam celeritate ingenij, dicendiq; copia Carneades: cuius ego etsi multos auditores cognoui Athenis, tamen authores certißimos laudare possum, & socerum meum Scæuolam, qui eum Romæ audiuit adolescens, & Q. Metellum L.F. familiarem meum, clarißimum uirum, qui illum à se adolescente Athenis iã affectũ senectute multos dies auditum esse dicebat: Hæc aũt, ut ex Apennino flu-

Probat Peripateticã sectã & Academicã.

minum, sic ex communi sapientium iugo sunt doctrinarum facta diuortia, ut Philosophi tanquam in superum mare Ionium defluerent, Graecum quiddam, et portuosum: Oratores autem in Inferum hoc Tuscum & barbarum, scopulosum, atq; infestum laberentur, in quo etiam ipse Vlyßes errasset. Quare si hac eloquentia, atq; hoc Oratore contenti sumus, qui sciat aut negare oportere quod arguere, aut, si id non poßis, tum ostendere quòd is fecerit, qui insimuletur, aut rectè factum, aut alterius culpa, aut iniuria, aut ex lege, aut non contra legem, aut imprudentia, aut necessariò, aut non eo nomine usurpandum, quo arguatur, aut non ita agi ut debuerit, ac licuerit: & si satis esse putatis ea, quae isti scriptores artis docent, discere, quae multò tamen ornatius, quàm ab illis dicuntur, & uberius explicauit Antonius: sed si his contenti estis, atq; ijs etiam, quae dici uoluistis à me: ex ingenti quodam Oratorem immensoq; campo in exiguum sanè gyrum compellitis. Sin ueterem illum Periclem, aut hunc etiam, qui familiarior nobis propter scriptorum multitudinem est, Demosthenem sequi uultis & si illam praeclaram & eximiam speciem Oratoris perfecti & pulchritudinem adamastis, aut uobis haec Carneadia, aut illa Aristotelia uis comprehendenda est. Namque (ut antè dixi) ueteres illi usque ad Socratem, omnem omnium rerum quae ad mores

Epilogus.

Ratio epilogi.

res hominum, quæ ad uitam, quæ ad uirtutem, quæ ad Rempub. pertinebant, cognitionem & scientiã cum dicendi ratione iũgebant: postea dissociati (ut exposui) à Socrate diserti à doctis, & deinceps à Socraticis item omnibus, Philosophi eloquentiam despexerunt, Oratores sapientiam: neq; quicquam ex alterius parte tetigerũt, nisi quod illi ab his, aut ab illis hi mutuarẽtur, ex quo promiscuè haurirent, si manere in pristina communione uoluissent. Sed ut pontifices ueteres propter sacrificiorum multitudinem tres uiros epulones esse uoluerunt, cùm essent ipsi à Numa, ut etiam illud ludorum epulare sacrificium facerent instituti: sic Socratici à se causarum actores à communi Philosophiæ nomine separauerunt, cùm ueteres dicendi, & intelligendi mirificam societatem esse uoluissent: Quæ cũ ita sint, paululum equidem de me deprecabor, & petam à uobis, ut ea quæ dicam, non de memetipso sed de Oratore dicere putetis. Ego enim sum is, qui cũ summo studio patris in pueritia doctus essem, & in forum ingenij tantum quantum ipse censeo, non tantum quantum ipse forsitan uobis uidear, detulißem, non poßim me dicere hæc, quæ nunc complector, perinde ut dicam dicẽda esse, didicisse: quippe qui omnium maturrimè ad publicas causas accesserim, annosq; natus unum & uiginti, nobilißimum hominem & eloquentißimum in iudicium uocarim, cui

Amplificatio à simili.

A sua persona.

disciplina fuerit forum, magister usus, & leges & instituta populi Romani, mosq; maiorum. Paulum, sitiens istarum artium, de quibus loquor, gustaui, quæstor in Asia cùm essem, æqualem ferè meum ex Academia rhetorem nactus Metrodorum illum, de cuius memoria commemorauit Antonius: & inde decedens, Athenis: ubi ego diutiùs esse moratus, nisi Atheniensibus, quòd mysteria non referrent, ad quæ biduò seriùs ueneram, succensuissem. Quare hoc, quòd complector tantam scientiam, uimq; doctrinæ, non modò non pro me, sed contra me est potiùs: non enim quid ego, sed quid Orator poßit, disputo: atque hos omnes qui artes rhetoricas exponunt perridiculos. Scribunt enim de litium genere, & de principijs, & de narrationibus: illa uis autem eloquentiæ tanta est, ut omnium rerum, uirtutum, officiorum, omnis'que naturæ quæ mores hominum, quæ animos, quæ uitam continet, originem, uim, mutationes'que teneat: eadem mores, leges, iura describat, Rempublicam regat, omnia quæ ad quancunque rem pertineant, ornatè copiose'que dicat. in quo genere nos quidem uersamur tantum, quantum possumus, quantum ingenio, quantum mediocri doctrina, quantum usu ualemus: neque tamen istis qui in una Philosophia quasi tabernaculum uitæ suæ collocârunt, multùm sanè in disputatione concedimus. Quid enim meus fami-

Occupatio, præfert diser tos Philosophis. Nam Philosophiã tractare possunt diserti, vt maximè non didicerit.

familiaris C. Velleius afferre potest, quamobrem uoluptas sit summum bonum, quod ego non copiosius poßim uel tutari, si uelim, uel refellere ex illis locis, quos exposuit Antonius, hac dicendi exercitatione? in qua Velleius est rudis, unusquisque nostrûm uersatus. Quid est quod aut Sext. Pompeius, aut duo Balbi, aut meus amicus, qui cum Panætio uixit, M. Vigellius, de uirtute hominum Stoici poßint dicere, qua in disputatione ego his debeam aut uestrûm quisquam concedere? Non est enim Philosophia similis artium reliquarum: nam quid faciet in geometria qui non didicerit? quid in musicis? aut taceat oportebit, aut ne sanus quidem iudicetur. Hæc uerò quæ sunt in Philosophia, ingenijs eruuntur ad id quod in quoque uerisimile est eliciendum acutis, atque acribus: eaq; exercitata oratione poliuntur. Hic hic noster uulgaris orator si minùs erit doctus, attamen in dicendo exercitatus, hac ipsa exercitatione communi istos quidem nostros uerberabit, neque se ab ijs contemni, ac despici sinet. Sin aliquid extiterit aliquando qui Aristotelis more de omnibus rebus in utranq; sententiam poßit dicere, & in omni caussa duas contrarias orationes præceptis illius cognitis explicare, aut hoc Arcesilæ modò, & Carneadis contra omne quod propositum sit, disserat, quiq; ad eam rationem adiungat hunc rhetoricum usum, moremq;, exercitationemq;

quòd philosophia se vltrò offerat: tamen perfectior futurus est orator, si didicerit philosophiam.

Epilogi repetitio.

nemq́; dicendi: is sit uerus, is perfectus, is solus Orator. Nam neque sine forensibus neruis satis uehemens & grauis, nec sine uarietate doctrinæ satis politus & sapiens esse Orator potest. Quare Coracē istum uestrū patiamur nos quidem pullos suos excludere in nido, qui euolent clamatores odiosi ac molesti, Pamphilumq́; nescio quem sinamus in infulis tantam rem tanquā pueriles delitias aliquas depingere, nosq́; ipsi hac tam exigua disputatione hesterni & hodierni diei totum Oratoris munus explicemus, dūmodo illa res tanta sit, ut omnibus Philosophorum libris, quos nemo Oratorum istorum unquam attigit, comprehensa esse uideatur. Tum Catulus: Haudquaquā hercule, inquit, Crasse mirandum est, esse in te tantam dicendi uel uim, uel suauitatem, uel copiam: quem quidem antea natura rebar ita dicere, ut mihi non solùm Orator summus, sed etiam sapientißimus homo uiderêre. Nunc intelligo illa te semper etiā potiora duxisse, quæ ad sapientiam spectarent, atq; ex his hanc dicendi copiam fluxisse: sed tamen, cùm omneis gradus ætatis recordor tuæ, cumq́; uitam tuam ac studia considero: neque quo tempore ista didiceris, uideo, nec magnoperè te istis studijs, hominibus, libris intelligo deditum: neq; tamen possum statuere utrum magis mirer, te illa quæ mihi persuades maxima esse adiumenta, potuisse in tuis tantis occupationibus per-

Corax.

Pāphilus.

perdiscere: an, si non potueris, posse isto modo dicere. Hic Crassus, Hoc tibi, inquit, Catule primum persuadeas uelim, me non multò secus facere cū de Oratore disputē, ac facerem si esset mihi de histrione dicendum. Negarem enim posse eum satisfacere in gestu, nisi palæstram, nisi saltare didicisset: neq; ea cùm dicerem, me esse histrionē necesse esset, sed fortasse non stultum alieni artificij existimatorem. Similiter nunc te Oratore uestro impulsu loquor summo scilicet. Semper enim quacunq; de arte aut facultate quæritur, de absoluta et perfecta quæri solet. Quare si iam me uultis esse Oratorem, si etiam sat bonum, si bonum deniq;, non repugnabo: (quid enim nunc sim ineptus? ita me existimari scio) quod si ita est, summus tamen certè non sum. Neq; enim apud homines res est ulla difficilior, neque maior, neq; quæ plura adiumenta doctrinæ desideret. Attamen quoniam de Oratore nobis disputandum est, de summo Oratore dicam necesse est. Vis enim & natura rei, nisi perfecta ante oculos ponitur, qualis & quanta sit, intelligi non potest. Me autem Catule fateor, neq; hodie in istis libris, & cum istis hominibus uiuere, nec uerò, id quod tu rectè commeministi, ullum unquam habuisse sepositum tempus ad discendum: ac tantum tribuisse doctrinæ temporis, quantum mihi puerilis ætas, forenses feriæ concesserint. At si quæris Catule de doctrina ista quid

Succisiuis horis & obiter posse Philosophiā perdisci.

ego

ego sentiam, non tantum ingenioso homini, & eî qui forum, qui curiam, qui causas, qui Rempub. spectet, opus esse arbitror temporis, quantum sibi ij sumpserunt quos discẽtes uita defecit. Omnes enim artes aliter ab ijs tractantur, qui eas ad usum transferunt, aliter ab ijs qui ipsarum artium tractatu delectati, nihil in uita sunt aliud acturi. Magister hic Samnitium summa iam senectute est, & quotidie commentatur: nihil enim curat aliud, atq; uelocius puer addidicerat: sed quod erat aptus ad illud, totumq; cognorat, fuit, ut est apud Lucilium:

Exempla.

Cuiuis.

Quamuis bonus ipse:
Samnis in ludo, ac rudibus causis * satis asper.

Sed plus operæ foro tribuebat, amicis, rei familiari. Valerius quotidie cantabat: erat enim scenicus: quid faceret aliud? at Numerius Furius noster familiaris, cùm est commodum cãtat: est enim paterfamiliâs, est eques Romanus: puer didicit quod discendum fuit. Eadem ratio est harum artium maximarum: dies & noctes uirum summa uirtute, & prudentia uidebamus Philosopho cùm operam daret, Q. Tuberonem: at eius auunculum uix intelligeres id agere, cùm ageret tamen, Africanum. Ista discuntur facilè, si & tantum sumas quantum opus sit, & habeas qui docere fideliter poßit, & scias etiam ipsa discere. Sed si tota uita nihil uelis aliud agere, ipsa tractatio & quæstio quotidie ex se gi-

gnit

gnit aliquid, quod cum desidiosa delectatione uesti ges. Ita fit ut agitatione rerũ sit infinita cognitio, facilis usus doctrinam confirmet, mediocris opera tribuatur, memoria, studiumq; permaneat. Libet autem semper discere, ut si uelim ego talis optimè ludere, aut pilæ studio tenear, etiam fortasse si aßequi non poßim: at alij, quia præclarè faciunt, uehementiùs quàm caussa postulat, delectantur, ut Titius pila, Brulla talis. Quare nihil est quod quisquam magnitudinem artium ex eo quod senes discunt, pertimescat. Nanque aut senes ad eas accesserunt, aut usque ad senectutem in studijs detinentur, aut sunt tardißimi. Res quidem se mea sententia sic habet, ut nisi quod quisq; citò potuerit, nunquam omninò poßit perdiscere. Iam iam, inquit Catulus, intelligo Crasse quid dicas: & hercule aßentior: satis uideo tibi homini ad perdiscendum acerrimo, ad ea cognoscenda quæ dicis, fuisse tẽporis. Pergis'ne inquit Crassus, me, quæ dicam, de me, non de re putare dicere? Sed iam, si placet, ad instituta redeamus. Mihi uerò, Catulus inquit, placet. Tum Craßus, Quorsum igitur hæc spectat, inquit, tam longa, & tam altè repetita oratio? Hæ duæ partes, quæ mihi supersunt, illustrandæ orationis, ac totius eloquentiæ cumulandæ: quarum altera dici postulat ornatè, altera aptè, hanc habet uim, ut sit quam maximè iucunda, quàm maximè in sensus eorum, qui Epilogus.

audi-

audiunt, influat, et quã plurimis ſit rebus inſtructa. Inſtrumentum autem hoc forenſe, litigioſum, acre, tractatum ex uulgi opinionibus, exiguum ſanè atq; mendicum eſt. Illud rurſus ipſum, quod tradunt iſti, qui profitentur ſe dicendi magiſtros, non multùm eſt maius, quàm illud uulgare, ac forenſe. Apparatu nobis opus eſt, & rebus exquiſitis undiq; et collectis, arceßitis, comportatis, ut tibi Cæſar faciendum eſt ad annum: ut ego in ædilitate laboraui, q, quotidianis, & uernaculis rebus ſatisfacere me poſſe huic populo non putabam. Verborum eligendorum, & collocandorum & concludendorum facilis eſt uel ratio, uel ſine ratione ipſa exercitatio. Rerum eſt ſylua magna: quàm cùm Græci iam non tenerent, ob eamq; cauſam iuuentus noſtra dediſceret penè diſcendo, etiam Latini, ſi dijs placet, hoc biennio magiſtri dicendi extiterunt: quos ego cenſor edicto meo ſuſtuleram, non quô (ut neſcio quos dicere aiebant) acui ingenia adoleſcẽtium nollem, ſed contrà ingenia obtundi nolui corroborari impudẽtiam. Nam apud Græcos, qui cuiuſmodi eſſent uidebam, tamen eſſe præter hanc exercitationem linguæ, doctrinam aliquam humanitatem dignam ſcientia: hos uerò nouos magiſtros nihil intelligebam poſſe docere, niſi ut auderent: quod etiam cum bonis rebus coniunctum, per ſe ipſum eſt magnoperè fugiendum. Hoc cùm unum traderetur, & cum

impu-

impudentiæ ludus eßet, putaui eſſe cenſoris, ne longiùs id ſerperet, prouidere: quanquam non hæc ita ſtatuo, atq; decerno, ut deſperem Latinè ea de quibus diſputauimus, tradi ac perpoliri. Patitur enim & lingua noſtra, & natura rerum ueterem illam excellentemq; prudentiam Græcorum ad noſtrum uſum moremq; transferri: ſed hominibus opus eſt eruditis: qui adhuc in hoc quidẽ genere noſtri nulli fuerunt: ſin quando extiterint, etiam Græcis erũt anteponẽdi. Ornatur igitur oratio genere primũ, & quaſi colore quodam & ſucco ſuo. Nam ut grauis, ut ſuauis, ut erudita ſit, ut liberalis, ut admirabilis, ut polita, ut ſenſus, ut dolores habeat quantum opus ſit, non eſt ſingulorum articulorum: in toto ſpectantur hæc corpore. Vt porrò conſperſa ſit quaſi uerborum ſententiarumq; floribus, id non debet eſſe fuſum æquabiliter per omnem orationẽ, ſed ita diſtinctum, ut ſint quaſi in ornatu diſpoſita quædam inſignia et lumina. Genus igitur dicẽdi eſt eligendum, quod maximè teneat eos qui audiant: & quod non ſolum delectet, ſed etiam ſine ſatietate delectet. Non enim à me iam expectari puto, ut moneam ut caueatis ne exilis, ne inculta ſit ueſtra oratio, ne uulgaris, ne obſoleta: aliud quiddam maius & ingenia me hortantur ueſtra, & ætates. Difficile enim dictu eſt quænam cauſa ſit, cur ea, quæ maximè ſenſus noſtros impellunt uoluptate

Quis modus eſſe in ornando debeat.

& specie prima acerrimè commouent, ab ijs celerrime fastidio quodam, & satietate abalienemur. Quanto colorum pulchritudine & uarietate floridiora sunt in picturis nouis pleraq;, quàm in ueteribus? quæ tamen etiam si primo aspectu nos ceperunt, diutius non delectant. cùm ijdem nos in antiquis tabulis illo ipso horrido obsoletoq; teneamur? Quanto meliores sunt, & delicatiores in cantu flexiones, & falsæ uoculæ, quàm certæ & seueræ? quibus tamen non modo austeri, sed si sæpius fiunt, multitudo ipsa reclamat. Licet hoc uidere in reliquis sensibus, unguentis minùs diu nos delectari summa & acerrima suauitate cõditis, quàm his moderatis & magis laudari quæ * terram, quàm quæ crocum sapiunt: in ipso tactu esse modum & mollitudinis, & leuitatis. Quin etiam gustatus, qui est sensus ex omnibus maxime uoluptuarius, quiq; dulcitudine * præter cæteros sensus commouetur, quàm cito id quod ualde dulce est, aspernatur, ac respuit? Quis potione uti aut cibo dulci diutius potest? quum utroque in genere ea quæ leuiter sensum uoluptate moueant, facilime fugiant satietatẽ: sic omnibus in rebus VOLVPTATIBVS maximis fastidium finitimum est. Quo hoc minus in oratione meremur, in qua uel ex poëtis, uel ex oratoribus possumus iudicare cõcinnam, distinctã, ornatam, festiuam, sine intermißione, sine reprehensio-

Terrã sapiũt. Vide Pli. lib. 17. cap. 5. Aliĩ codices habẽt, ma. lau. quod cerã quã quod crocum olere uideatur.

dulcedine

hensio-

hensione sine uarietate, quamuis claris sit coloribus picta uel poësis, uel oratio, non posse in delectatione esse diuturna. Atque eo citius in oratoris aut in poëtæ concinnis ac fuco offenditur, quod sensus in nimia uoluptate natura non mente satiantur: in scriptis, & in dictis non aurium solùm, sed animi iudicio etiam magis infucata uitia noscuntur. Quare, bene, & præclare, quamuis nobis sæpe dicatur, belle, & festiue, nimium sæpe nolo: quanquam illa ipsa exclamatio non potest melius: sit uelim crebra, sed habeat tamen illa in dicendo admiratio ac summa laus umbram aliquam, & recessum, quò magis id quod erit illuminatum, extare atque eminere uideatur. Nunquam agit hunc uersum Roscius eo gestu, quo potest:

Nam sapiens uirtuti honorem præmium, haud prædam petit.

Sed abijcit prorsus, ut in proximos,

Ecquid uideo? ferro septus poßidet sedes sacras.

Incidat, aspiciat, admiretur, stupescat. Quid ille alter?

Quid petam præsidij?

Quàm leniter? quàm remisse? quàm non actuosè? instat enim,

O pater, ô patria. ô Priami domus,

In quo tanta commoueri actio non posset, si esset consumpta super iore motu & exhausta: neque id actores priùs uiderunt, quàm ipsi poëtæ, quàm de-

niq; illi etiam qui fecerunt modos, à quibus utriſq; ſummittitur aliquid, deinde augetur, extenuatur, inflatur, uariatur, diſtinguitur. Ita ſit nobis igitur ornatus & ſuauis orator: nec tamen poteſt aliter eſſe ut ſuauitatem habeat auſteram & ſolidam, non dulcem atq; decoctam: nam ipſa ad ornandum præcepta quæ dantur, eiuſmodi ſunt, ut ea quamuis uitioſiſsimus orator explicare poſsit. Quare, ut ante dixi, primùm ſylua rerum, ac ſententiarum comparanda eſt: qua de parte dixit Antonius: hæc formãda filo ipſo & genere orationis, illuminãda uerbis, uarianda ſententijs. Summa autem laus eloquentiæ eſt amplificare rem ornando: quod ualet non ſolùm ad augendum aliquid, & tollendum altius dicendo, ſed etiam ad extenuandum, atq; abijciendum. Id deſideratur omnibus ijs in locis, quos ad fidem orationis faciendam adhiberi dixit Antonius, uel cùm explanamus aliquid, uel cùm conciliamus animos, uel cùm concitamus. Sed in hoc quod poſtremum dixi, amplificatio poteſt plurimum: eaq; una laus oratoris eſt, et propria maximè, Etiam maior eſt illa exercitatio, quam extremo ſermone inſtruxit Antonius (primo reijciebat) laudandi & uituperandi. Nihil eſt enim ad exaggerandam & amplificandã orationem accommodatius, quã utrunq; horum cumulatiſsimè facere poſſe. Conſequentur etiam illi loci, qui quanquã proprij cauſarum, et inhærẽtes in

De amplificationibus.

eorum neruis esse debent, tamen quia de uniuersa
re tractari solent, communes à ueteribus nominati
sunt, quorum partim habent uitiorum et peccato=
rum acrem quandam cum amplificatione incusatio
nem, aut querelam, contra quam dici nihil solet, nec
potest, ut in depeculatorem, in proditorem, in par=
ricidam: quibus uti confirmatis criminibus opor=
tet: aliter enim ieiuni sunt, atque inanes. Alij au=
tem habent deprecationem, aut miserationem: alij
uerò ancipites disputationes, in quibus de uniuerso
genere in utranque partem disseri copiosè licet.
Quæ exercitatio nunc propria duarum Philoso=
phiarum, de quibus antè dixi, putatur: apud anti=
quos erat eorum à quibus omnis de rebus forẽsibus
dicẽdi ratio, & copia petebatur. De uirtute enim,
de officio, de æquo & bono, de dignitate, honore,
ignominia, præmio, pœna, similibusq; de rebus in
utranque partem dicendi, animos & uim & artem
habere debemus. Sed quoniam de nostra possessio=
ne depulsi, in paruo, & eo litigioso prædiolo re=
licti sumus, & aliorum patroni, nostra tenere, tue=
riq; non potuimus, ab ijs (quod indignissimum est)
qui in nostrum patrimonium irruperunt, quod o=
pus est nobis, mutuemur. Dicunt igitur nunc qui=
dem illi, qui ex particula parua urbis ac loci no=
men habent, & Peripatetici Philosophi aut Aca=
demici nominantur, olim autem propter eximiam

rerum maximarum scientiam à Græcis politici Philosophi appellati, uniuersarum rerum publicarum nomine uocabantur, omnem ciuilem orationem in horum alterutro genere uersari, aut definita controuersia certis temporibus, ac reis: hoc modo: Placeat'ne à Carthaginensibus captiuos nostros redditis suis recuperari? aut infinitè de uniuerso genere quærentis, quid omnino de captiuo statuendum, ac sentiendum sit: atque horum superius illud genus, causam aut controuersiam appellant: eamq; tribus, lite, aut deliberatione, aut laudatione definiunt. Hæc autem altera quæstio infinita, & quasi proposita, consultatio nominatur: atque hactenus loquuntur. Etiam hac instituendo diuisione utuntur, sed ita non ut iure, aut iudicio, ut denique recuperare amissam possessionem, sed ut ex iure ciuili surculo defringendo usurpare uideantur. Nam illud alterum genus, quod est temporibus, locis, reis definitum, obtinent, atque id ipsum lacinia. Nunc enim apud Philonem, quem in Academia maximè uigere audio, etiam harum iam causarum cognitio exercitatioq; celebratur. Alterum uerò tantummodo in prima arte tradenda nominant, & oratoris esse dicunt: sed neque uim, neque naturam eius, nec partes, nec genera proponunt, ut præteriri omnino fuerit satius, quam attentatum deseri. Nunc enim inopia reticere in-

Quæ tractatio locorũ communium.

telligun-

telliguntur, tum iudicio uiderentur. Omnis igitur res eandem habet naturam ambigendi, de qua quæri & disceptari potest siue in infinitis consultationibus disceptatur, siue in ijs causis quæ in ciuitate & in forensi disceptatione uersantur: neque est ulla quæ non aut ad cognoscendi, aut ad agendi uim rationemq; referatur: nam aut ipsa cognitio rei scientiaq; perquiritur, ut, uirtus suam'ne propter dignitatem, an propter fructus aliquos expetatur: aut agendi consilium exquiritur, ut sit'ne sapiendi capessenda Respubl. Cognitionis autem tres modi, coniectura, definitio, &, ut ita dicam, consecutio. Nam quid in re sit coniectura quæritur: ut illud: Sit ne in humano genere sapientia? Quam autem uim quæque res habeat, definitio explicat: ut si quæratur quid sit sapientia. Consecutio autem tractatur, cum quid quanque rem sequatur, inquiritur: ut illud, sit ne aliquando mentiri boni uiri? Redeunt rursus ad coniecturam, eam'que in quatuor genera dispertiunt: nam aut quid sit, quæritur, hoc modo: Natura'ne sit ius inter homines, an opinionibus? Aut quæ sit origo cuiusque rei, ut quod sit initium legum, aut rerumpublicarum. Aut causa, & ratio: ut si quæratur, cur doctißimi homines de maximis rebus dissentiant? Aut de immutatio-

ne, ut si disputetur, num interire uirtus in homine, aut num in uitium poßit conuerti? Definitionis autem sunt disceptationes, ut cum quæritur quid in communi mente quasi impressum sit: ut si disseratur, id'ne sit ius, quod maximæ parti sit utile? Aut cum quid cuiusque sit proprium exquiritur, ut, ornatè dicere, proprium'ne sit oratoris, an id etiam aliquis prætereà poßit? Aut cum res distribuitur in partes, ut si quæratur quot sint genera rerum expetendarum, ut sint'ne tria, corporis, animi, externarumq; rerum? Aut cum quæ forma, & quasi naturalis nota cuiusque sit, describitur: ut si quæratur auari species, seditiosi, gloriosi. Consecutionis autem duo prima quæstionum genera ponuntur. Nam aut simplex est disceptatio, ut si disseratur, expetenda'ne sit gloria? aut ex comparatione: laus, an diuitiæ magis expetendæ sint? Simplicium autem sunt tres modi: De expetendis fugiendis'ue rebus, ut expetendi'ne honores sint? num fugienda paupertas? De æquo, aut iniquo: æquum ne sit ulcisci iniurias etiam propinquorum? De honesto, aut turpi: ut hoc, sit'ne honestum gloriæ causa mortem obire? Comparationis autem duo sunt modi: unus, cùm idem'ne sit, an aliquid intersit, quæritur: ut metuere & uereri: ut rex, & tyrannus: ut assentator, & amicus. Alter, cum quid præstet aliud alij, quæritur:

ritur:ut illud, optimi'ne cuiusque sapientes, an populari laude ducantur? Atque eæ quidem disceptationes quæ ad cognitionem referuntur, sic ferè à doctißimis hominibus describuntur. Quæ uerò referuntur ad agendum, aut in officij disceptatione uersantur, quo in genere quid rectum, faciendumq; sit, quæritur, cui loco omnis uirtutum & uitiorum est sylua subiecta: aut in animorum aliqua permotione aut gignenda, aut sedanda tollendáue tractantur. Huic generi subiectæ sunt cohortationes, obiurgationes, consolationes, miserationes omnisq; ad omnẽ animi motum & impulsio, &, si ita res feret, mitigatio.

Explicatis igitur his generibus ac modis disceptationum omnium, nihil sanè ad rem pertinet, si qua in re discrepauit ab Antonij diuisione nostra partitio. Eadem enim sunt membra in utrisque disputationibus, sed paulò secùs à me atque ab illo partita ac distributa. Nunc ad reliqua progrediar, meq; ad meum munus pensumq; reuocabo. Nam ex illis locis quos exposuit Antonius, omnia sunt ad quæq; genera quæstionum argumenta sumenda, sed alijs generibus alij loci magis erunt apti: de quo non tam quia longum est, quàm quia perspicuum, dici nihil est necesse. Ornatißimæ sunt igitur orationes eæ quæ latißimè uagantur, & à priuata, ac singulari controuersia se ad uniuersi gene- Epilogus, reuocandam esse causam.

ris uim explicandum conferunt, & conuertunt, ut ij qui audiant natura, & genere, & uniuersa re cognita, de singulis reis, & criminibus, & litibus statuere poßint. Hanc ad consuetudinem exercitationis uos adolescentes est cohortatus Antonius, atq; à minutis angustisq; concertationibus ad omnem uim uarietatemq; uos differendi traducendos putauit. Quare non est paucorum libellorum hoc munus, ut ij qui scripserunt de dicendi ratione, arbitrati sunt, neque Tusculani, atque huius ambulationis antemeridianæ, aut nostræ pomeridianæ seßionis. Non enim solùm acuenda nobis, neque procudenda lingua est, sed onerandum, complendumq; pectus maximarum rerum, & plurimarum suauitate, copia, uarietate. Nostra est enim (si modò nos oratores sumus, si in ciuium disceptationibus, si in periculis, si in deliberationibus publicis adhibendi authores, & principes sumus) nostra est, inquam, omnis ista prudentiæ, doctrinæque poßeßio, in quam homines quasi caducam, atque uacuam abundantes otio nobis occupatis inuolauerunt, atque etiam aut irrident oratorem, ut ille in Gorgia Socrates cauillatur, aut aliquid de oratoris arte paucis præcipiunt libellis, eósque rhetoricos inscribunt, quasi non illa sint propria rhetorum, quæ ab ijsdem de iustitia, de officio, de ciuitatibus instituendis, & regendis, de omni

mni uiuendi, denique etiam de naturæ ratione di-
cuntur. Quæ quoniam iam aliunde non poſſumus,
ſumenda ſunt nobis ab ijs ipſis, à quibus expilati
ſumus: dummodo illa ad hanc ciuilem ſcientiam,
quò pertinent, & quam intuentur, transferamus:
neq;(ut antè dixi)omnem teramus in his diſcendis
rebus ætatem, ſed cùm fontes uiderimus (quos niſi
qui celeriter cognorit, nunquã cognoſcet omnino)
tum quotieſcunque opus erit, ex ijs tantum,
quantum res petet, hauriemus. Nam neque tam
eſt acris acies in naturis hominum & ingenijs,
ut res tantas quiſquam, niſi monſtratas, poßit ui-
dere: neque tanta tamen in rebus obſcuritas, ut
eas non penitus acri uir ingenio cernat, ſi modò
aſpexerit. In hoc igitur tanto tamq; immenſo cam-
po cùm liceat oratori uagari liberè, atque ubicun-
que conſtiterit, conſiſtere in ſuo, facilè ſuppeditat
omnis apparatus, ornatusq; dicendi. Rerum enim
copia uerborum copiam gignit, & ſi eſt honeſtas
in rebus ipſis, de quibus dicitur, exiſtit ex rei
natura quidam ſplendor in uerbis: ſi modò is qui
dicet, aut ſcribet, inſtitutus liberaliter educa-
tione doctrinaq; puerili & flagret ſtudio, & à
natura adiuuetur, & in uniuerſorum generum in-
finitis diſceptationibus exercitatus, ornatißi-
mos ſcriptores, oratoresq; ad cognoſcendum,
imi-

imitandumq; cognorit, næ ille haud sanè quẽadmodum uerba struat, & illuminet, à magistris istis requiret. Ita facilè in rerum abundantia ad orationis ornamenta sine duce, natura ipsa, si modò est exercitata, labetur. Hic Catulus, Dij immortales, inquit, quantam rerum uarietatem, quantam uim, quantam copiam Crasse complexus es, quantisq; ex angustijs oratorem educere ausus es, & in maiorum suorum regno collocare? Namq; illos ueteres doctores, authoresq; dicendi nullum genus disputationis à se alienum putasse accepimus, semperq; eße in omni orationis ratione uersatos, ex quibus Helæus Hippias cùm Olympiam uenisset, maxima illa quinquennali celebritate ludorum, gloriatus est cuncta penè audiente Græcia nihil esse ulla in arte rerum omnium quod ipse nesciret: nec solùm has artes, quibus liberales doctrinæ, atque ingenuæ continerentur, geometriam, musicam, literarum cognitionem, & poëtarum, atq; illa quæ de naturis rerum, quæ de hominum moribus, quæ de Rebuspub. dicerentur, sed annulum quem haberet, pallium quo amictus, soccos quibus indutus esset, se sua manu confecisse. Scilicet nimis hic quidem est progressus: sed ex eo ipso est coniectura facilis, quantum sibi illi ipsi oratores de præclarißimis artibus appetierint, qui ne sordidiores quidem repudiarint. Quid de Prodico Chio? Quid de

Exemplis ueterum cõmemorandis cõprobat Crassi orationem.

Thra-

Thrasimacho Chalcedonio? de Protagora Abderita loquor? quorum unusquisque plurimum temporibus illis etiam de natura rerum & disseruit & scripsit. Ipse ille Leontinus Gorgias, quo patrono (ut Plato uoluit) Philosopho succubuit orator, qui aut non est uictus unquam à Socrate, neq; sermo ille Platonis uerus est: aut si est uictus, eloquentior uidelicet fuit & disertior Socrates, &, ut tu appellas, copiosior, & melior orator. Sed hic in illo ipso Platonis libro de omni re quæcunque in disceptationem, quæstionemq; uocaretur, se copiosißimè dicturum esse profitetur, isq; princeps ex omnibus ausus est in conuentu poscere qua de re quisque uellet audire: cui tantus honos habitus est à Græcia, soli ut ex omnibus Delphis non inaurata statua, sed aurea statueretur. Atq; ij, quos nominaui, multiq; præterea summi dicendi doctores uno tempore fuerunt. Ex quibus intelligi potest, ita se rem habere, ut tu Crasse dicis, oratorisq; nomen apud antiquos in Græcia maiore quadam uel copia, uel gloria floruisse. Quo quidem magis dubito, tibi ne plus laudis, an Græcis uituperationis esse tribuendum statuam, cùm tu in alia lingua ac moribus natus, occupatißima in ciuitate, uel priuatorum negotijs penè omnibus, uel orbis terræ procuratione, ac summi imperij gubernatione districtus, tantam uim rerum cognitionemq; compre-

hen-

henderis, eamq; omnem cum eius qui consilio, & oratione in ciuitate ualeat, scientia, atque exercitatione sociaris: illi nati in literis, ardentesq; his studijs, otio uerò diffluentes, non modò nihil acquisierint, sed ne relictum quidem, & traditum, & suum conseruauerint. Tum Crassus, Non in hac, inquit, una Catule re, sed in alijs etiam compluribus, distributione partium ac separatione magnitudinis sunt artium diminutæ. An tu existimas, cum esset Hippocrates ille Cous, fuisse tum alios medicos qui morbis, alios qui uulneribus, alios qui oculis mederentur? num geometriam Euclide, aut Archimede, num musicam Damone, aut Aristoxeno, num ipsas literas * Aristophane aut Callimacho tractante tam discerptas fuisse, ut nemo genus uniuersum complecteretur, atq; ut alius aliam sibi partem, in qua elaboraret, seponeret? Equidem sæpe hoc audiui de patre, & de socero meo, nostros quoq; homines qui excellere sapientiæ gloria uellent, omnia quæ quidem tum hæc ciuitas nosset, solitos esse complecti. meminerant illi Sex. Aelium, M. uerò Manlium nos etiam uidimus transuerso ambulantem foro: quod erat insigne, eum qui id faceret, facere ciuibus omnib. consilij sui copiam, ad quos olim & ita ambulantes, & in solio sedentes domi, sic adibatur, non solùm ut de iure ciuili ad eos, uerùm etiam de

* Καλλίμαχος κυρηναῖος Ἀριστοφάνης βιζάντιος μαθιτὴς καλλιμάχου.

de filia collocanda, de fundo emendo, de agro colendo, de omni denique aut officio aut negotio referretur. Hæc fuit P. Craßi illius ueteris, hæc T. Corruncani, hæc proaui generi mei Scipionis prudentißimi hominis sapientia, qui omnes Pontifices Maximi fuerunt, ut ad eos de omnibus diuinis, atque humanis rebus referretur: ijdem'que & in senatu, & apud populum, & in causis amicorum, & domi, & militiæ consilium suum, fidemq; præstabant. Quid enim M. Catoni præter hanc politißimam doctrinam transmarinam, atque aduentitiam defuit? num quia ius ciuile didicerat, causas non dicebat? aut quia poterat dicere, iuris scientiam negligebat? at utroque in genere & laborauit, & præstitit: num propter hanc ex priuatorum negotijs collectam gratiam tardior in Repub. capessenda fuit? nemo apud populum fortior, nemo melior senator, idem facilè optimus imperator, deniq; nihil in hac ciuitate temporibus illis sciri discíue potuit, quod ille non cum inuestigarit, & scierit, tum etiam conscripserit. Nunc contrà plerique ad honores adipiscendos, & ad Rempub. gerendam nudi ueniunt, atque inermes nulla cognitione rerum, nulla scientia ornati. Sin aliquis excellit unus è multis, effert se, si unum aliquid affert, ut bellicam uirtutem, aut usum aliquem militarem (quæ sanè nunc quidem obsoleuerunt) Obiurgatio.

aut

aut iuris scientiam, (ne eius quidem uniuersi: nam pontificium quod est coniunctum, nemo discit) aut eloquentiam, quam in clamore, & in uerborum cursu positam putant: omnium uerò bonarum artium deniq; uirtutum ipsarum societatem, cognationemq; non norunt. Sed ut ad Græcos referam orationem, quibus carere in hoc quidem sermonis genere non poßumus: (nam ut uirtutis à nostris, sic doctrinæ sunt ab illis exempla repetenda) septem fuisse dicuntur uno tempore, qui sapientes & haberentur et uocarentur: hi omnes præter Milesium Thalem ciuitatibus suis præfuerunt. Quis doctior ijsdem illis temporibus, aut cuius eloquentia literis instructior fuisse traditur, quàm Pisistrati? qui primus Homeri libros confusos antea, sic disposuisse dicitur, ut nunc habemus. Non fuit ille quidem ciuibus suis utilis, sed ita eloquẽtia floruit, ut literis doctrinaq; præstaret. Quid Pericles? de cuius dicendi copia sic accepimus, ut cum contra uoluntatem Atheniensium loqueretur pro salute patriæ, seuerius tamen id ipsum: quod ille cõtra populares homines diceret, populare omnibus & iucundum uideretur: cuius in labris ueteres comici etiam cùm illi maledicerent (quod tum Athenis fieri liceret) lepôrem habitasse dixerunt: tantamq; in eo uim fuisse, ut in eorum mentibus qui audissent, quasi aculeos quosdam relinqueret. At hunc

hunc non declamator aliquis ad clepsydram latrare docuerat, sed, ut accepimus, Clazomenius ille Anaxagoras, uir summus in maximarum rerum scientia. Itaque hic doctrina, consilio, eloquentia excellens, quadraginta annos præfuit Athenis, & urbanis eodem tempore & bellicis rebus. Quid Critias? Quid Alcibiades? ciuitatibus suis quidem nō boni, sed certè docti, atque eloquentes, non'ne Socraticis erant disputationibus eruditi? Quis Dionem Syracusanum doctrinis omnibus expoliuit? nō Plato? atque eum idem ille non linguæ solùm, uerùm etiam animi, ac uirtutis magister ad liberandam patriam impulit, instruxit, armauit. Alijs'ne igitur artibus hunc Dionem instituit Plato, alijs Isocrates clarißimum uirum Timotheum Cononis præstantißimi Imperatoris filium, summum ipsum Imperatorem, hominem'que doctißimum? aut alijs Pytagoreus ille Lysias Thebanum Epaminondam, haud scio an summum uirum unum omnis Græciæ? aut Xenophon Agesilaum? aut Philolaum Archytas Tarentinus? aut ipse Pythagoras totā illam ueterem Italiæ Græciam, quæ quondam magna uocitata est? Equidem non arbitror. Sic enim uideo, unam quandam omnium rerum, quæ essent homine erudito dignæ, atque eo qui in Republica uellet excellere, fuisse doctrinam, quam qui accepissent, si ijdem ingenio ad pronunciandum ualuissent,

sent, & se ad dicendum quoq; non repugnante natura dedissent, eloquentia præstitisse. Itaque ipse Aristoteles cùm florere Isocratem nobilitate discipulorum uideret, quòd ipse suas disputationes à caußis forensibus, & ciuilibus ad inanem sermonis elegantiam transtulisset, mutauit repentè totam formam propè disciplinæ suæ, uersumq; quendam de Philocteta paulò secùs dixit. Ille enim turpe sibi ait eße tacere cum barbaris: hic autem, cùm Isocratem pateretur dicere. Itaque armauit, & illustrauit doctrinam illam omnem, rerumq; cognitionem cum orationis exercitatione coniunxit. Neque uerò hoc fugit sapientißimum regem Philippum, qui hunc Alexandro filio doctorem accierit, à quo eodem ille & agendi acciperet præcepta, & eloquendi. Nunc siue qui uolet, eum philosophum qui copiam nobis rerum, orationis'que tradat, per me appellet oratorem licet: siue hunc oratorem, quem ego dico sapientiam iunctam habere eloquentiæ, philosophum appellare malit, non impediam, dummodo hoc constet, neque infantiam eius qui rem norit, sed eam explicare dicendo non queat: neque inscitiam illius, cui res non suppetat, uerba non desint, eße laudandam. quorum si alterum sit optandum, malim equidem indisertam prudentiam, quàm stultitiam loquacem. Sin quærimus quid unum excellat ex omnibus, docto oratori pal-

Decidit cõtrouersiam græculam de officijs oratoris ac philosophi.

ma

ma danda est: quem si patiuntur eundem esse philosophum, sublata controuersia est: sin eos disiungent, hoc erunt inferiores, quod in oratore perfecto inest omnis illorum scientia, in philosophorum autem cognitione non continuò inest eloquentia: quæ quamuis contemnatur ab eis, necesse est tamen aliquem cumulum illorum artibus afferre uideatur. Hæc cùm Crassus dixisset, parumper & ipse conticuit, & à cæteris silentium fuit. Tum Cotta, Equidem, inquit, Crasse non possum queri quod mihi uideare aliud quiddam, & non id quod susceperis, disputasse. Plus enim aliquanto attulisti, quàm tibi esset tributum à nobis, ac denunciatum. Sed certè hæ partes fuerunt tuæ, de illustranda oratione ut diceres: & eras ipse iam ingressus, atque in quatuor partes omnem orationis laudem descripseras: cumq; de duabus primis nobis quidem satis, sed ut ipse dicebas, celeriter exigueq; dixisses, duas tibi reliquas feceras, quemadmodum primùm ornatè, deinde etiam aptè diceremus: quò cùm ingressus esses, repentè te quasi quidam æstus ingenij tui procul à terra abripuit, atque in altum à conspectu penè omnium abstraxit, omnem'que rerum scientiam complexus, non tu quidem eam nobis tradidisti, (n que enim fuit tam exigui temporis) sed apud hos quid profeceris nescio, me quidem in Academiam totum com-

Repetit argumenta vniuersi huius libri accessurus ad eam ornatus partē, quæ est in verbis.

pulisti, in qua uelim sit illud, quod sæpè posuisti, ut non necesse sit consumere ætatem, atque ut poßit is illa omnia cernere, qui tantummodo aspexerit, sed etiam, si est aliquanto spißius, aut si ego sum tardior, profectò nunquàm conquiescam, neque defatigabor antè quàm illorum ancipites uias, rationes'que, & pro omnibus, & contra omnia disputandi percepero. Tum Cæsar, unum, inquit, me ex tuo sermone maximè Crasse commouit, quod eum negasti, qui non citò quid didicisset, unquam omninò posse perdiscere: ut mihi non sit difficile periclitari, & aut statim percipere ista, quæ tu uerbis ad cœlum extulisti, aut si non potuerim, tempus non perdere: cùm tamen his nostris poßim esse contentus. Hic Sulpitius: Ego uerò, inquit, Crasse, neque Aristotelem istum, neque Carneadem, neque philosophorum quenquam desidero: uel me licet existimes desperare posse ista perdiscere, uel, id quod facio, contemnere. Mihi rerum forensium, & communium uulgaris hæc cognitio satis magna est ad eam quam specto eloquentiam: ex qua ipsa tamen permulta nescio: quæ tum denique, cùm caussa aliqua quæ à me dicenda est, desiderat, quæro. Quamobrem nisi fortè es iam defessus, & si tibi non graues sumus, refer ad illa te, quæ ad ipsius orationis laudem splendorem'que pertinent: quæ ego ex te audire uolui, non ut desperarem

rem

rem me eloquentiam consequi posse, sed ut aliquid addiscerem. Tum Crassus, Peruulgatas res requiris, inquit, & tibi non incognitas Sulpiti. Quis enim de isto genere non docuit? non instituit? non etiam scriptum reliquit? sed geram morem, & ea duntaxat quæ mihi nota sunt, breuiter exponam tibi: censebo tamen ad eos qui autores, & inuentores sunt harum sanè minutarum rerum, reuertendum. Omnis igitur oratio conficitur ex uerbis: quorum primùm nobis ratio simpliciter uidenda est, deinde coniunctè. Nam est quidam ornatus orationis, qui ex singulis uerbis est: alius, qui ex continuatis coniunctisq; cõstat. Ergo utemur uerbis, aut ijs quæ propria sunt, & certa quasi uocabula rerum penè unà nata cum rebus ipsis: aut ijs quæ transferuntur, & quasi alieno in loco collocantur: aut ijs quæ nouamus, & facimus ipsi. In proprijs est igitur uerbis illa laus oratoris, ut abiecta atque obsoleta fugiat, lectis atque illustribus utatur, in quibus plenum quiddam, & sonans inesse uideatur. Sed in hoc uerborum genere propriorum delectus est quidam habendus, atque is aurium quodam iudicio ponderandus: in quo consuetudo etiam bene loquendi ualet plurimùm. Etiam hoc, quod uulgò de oratoribus ab imperitis dici solet, bonis is uerbis, aut aliquis non bonis utitur: non arte aliqua perpenditur, sed quodam quasi naturali sensu iudicatur: in

De verborum ornatu.

Propria.

quo non magna laus est uitare uitium, quanquam id est magnum: uerùm hoc quasi solum quoddam, atque fundamentum est, uerborum usus, & copia bonorum: sed quid ipse ædificet orator, & in quo adiungat artem, id esse à nobis quærendum, atque explicandum uidetur. Tria sunt igitur in uerbo simplici, quæ orator afferat ad illustrandam atque exornandam orationem: aut inusitatum uerbum, aut nouatum, aut translatum. Inusitata sunt prisca ferè ac uetusta, & ab usu quotidiani sermonis iam diu intermissa, quæ sunt Poëtarum licentiæ liberiora, quàm nostra, sed tamen rarò etiam habet in oratione poëticum aliquod uerbum dignitatem. Neq; enim illud fugerem dicere, ut Cælius, qua tempestate Pœnus in Italiam uenit, nec prolem, aut sobolem, aut effari, aut nuncupari, aut, ut tu soles Catule, non rebar, haud opinabar, & alia multa, quibus loco positis grandior, atque antiquior oratio sæpè uideri solet. Nouantur autem uerba, quæ ab eo qui dicit ipso gignuntur, ac fiunt, uel coniungendis uerbis, ut hæc:

Figuræ. Noua.

Inusitata Metaphoræ.

Tum pauor sapientiam mihi omnem ex animo expectorat.

An non uis huius me uersutiloquas malitias.

Videtis enim & uersutiloquas, & expectorat, ex coniunctione facta esse uerba, non nata: uel sæpè

sine

ſine coniunctione uerba nouantur, ut ille ſenſus diſertus * indigenitalis: ut Metaphora.

- Baccarum ubertate incurueſcere.

Tertius ille modus transferendi uerbi latè patet, quem neceßitas genuit inopia coacta, & anguſtijs, pòſt autem delectatio iucunditas'que celebrauit: nam ut ueſtis frigoris depellendi cauſſa reperta primò, pòſt adhiberi cœpta eſt ad ornatum etiam corporis, & dignitatem: ſic uerbi translatio inſtituta eſt inopiæ cauſa, frequentata delectationis. nam gemmare uites, luxuriem eſſe in herbis, lætas ſegetes etiam ruſtici dicunt. Quod enim declarari uix uerbo proprio poteſt, id translato cùm eſt dictum, illuſtrat id quod intelligi uolumus, eius rei quam alieno uerbo poſuimus, ſimilitudo, Ergo hæ translationes quaſi mutationes ſunt, cùm quod non habeas, aliunde ſumas. Illæ paulò audaciores, quæ non inopiam indicant, ſed orationi ſplendoris aliquid accerſunt: quarum ego quid uobis aut inueniendi rationem, aut genera ponam? Similitudinis eſt ad uerbum unum contracta breuitas, quod uerbum in alieno loco tanquam in ſuo poſitum ſi agnoſcetur, delectat: ſi ſimile nihil habet, repudiatur. Sed ea transferri oportet, quæ aut clariorem faciunt rem, ut illa omnia.

-- inhorreſcit mare,

Tenebræ conduplicantur, noctisq; & nimbûm occæcat nigror,
Flamma inter nubes corruscat, cœlum tonitru contremit.
Grando mista imbri largifluo subita præcipitans cadit,
Vndique omnes uenti erumpunt, sæui existunt turbines,
Feruet æstu Pelagus - -

omnia ferè, quò essent clariora, translatis per similitudinem uerbis dicta sunt. Aut, quò significetur magis res tota siue facti alicuius, siue consilij: ut ille qui occultantem consultò, ne id quod ageretur intelligi posset, duobus translatis uerbis similitudine ipsa indicat:

Quandoquidem iste circumuestit dictis, sepit sedulò.

Nonnunquam etiam breuitas translatione conficitur, ut illud, si telum manu fugit. imprudentia teli emißi breuius proprijs uerbis exponi non potuit, quàm est uno significata translato. Atque hoc in genere persæpè mihi admirandum uidetur, quid sit, quod omnes translatis & alienis magis delectantur uerbis, quàm proprijs & suis: nam si res suum nomen, & proprium uocabulum non habet, ut pes in naui, ut nexum quod per libram agitur, ut in uxore diuortium: neceßitas cogit, quod non habeas, aliun-

Causæ, cur placeant metaphoræ.

aliunde ſumere: ſed in ſuorum uerborum maxima copia tamen homines aliena multò magis, ſi ſunt ratione tranſlata, delectãt. Id accidere credo uel quod ingenij ſpecimen eſt quoddam, tranſilire ante pedes poſita, & alia longè repetita ſumere: uel quòd is qui audit, aliò ducitur cogitatione, neque tamen aberrat: quæ maxima eſt delectatio: uel quòd ſingulis uerbis res, ac totum ſimile cõficitur: uel quòd omnis tranſlatio, quæ quidem ſumpta ratione eſt, ad ſenſus ipſos admouetur, maximè oculorũ, qui eſt ſenſus acerrimus. Nam & odor urbanitatis, et mollitudo humanitatis, & murmur maris, & dulcedo orationis, ſunt ducta à cæteris ſenſibus. Illa uerò oculorum multò acriora, quæ ponunt penè in conſpectu animi quæ cernere, & uidere non poſſumus. Nihil eſt enim in rerum natura, cuius nos non in alijs rebus poßimus uti uocabulo, & nomine. Vnde enim ſimile duci poteſt (poteſt autem ex omnibus) indidem uerbum unum, quod ſimilitudinem continet, tranſlatum, lumen affert orationi. Quo in genere primùm fugienda eſt diſsimilitudo.

Vitia metaphorarum. Diſsimilia.

Cœli ingentes fornices.

Quamuis ſphæram in ſcenam (ut dicitur) attulerit Ennius, tamen in ſphæra fornicis ſimilitudo non poteſt ineſſe.

Viue Vlyſſes dum licet,
Oculis poſtremum lumen radiatum rape.

Non dixit cape, non pete. haberet enim moram sperantis diutius esse sese uicturum: sed rape, hoc uerbum est ad id aptatum quod antè dixerat, dum licet. Deinde uidendum est, ne longe simile sit dictum. Sirtim patrimonij, scopulum libentius dixerim, charybdim bonorum, uoraginem potiùs: facilius enim ad ea quæ uisa, quàm ad illa quæ audita sunt, mentis oculi feruntur. Et quoniam hæc uel summa laus est uerbi transferendi, ut sensum feriat id quod translatum sit, fugienda est omnis turpitudo earum rerum, ad quas eorum animos qui audiunt, trahet similitudo. Nolo morte dici Africani castratam esse Rempublic. nolo stercus curiæ dici Glauciam: quamuis sit simile, tamen est in utroque deformis cogitatio similitudinis. Nolo esse aut maius quàm res postulet: tempestas comessationis, aut minùs: comessatio tempestatis. Nolo esse uerbum angustius id quod translatum sit, quàm fuisset illud proprium, ac suum.

Longe petita.

Turpia.

Excedens

Quid'nam est obsecro? quid te adiri abnutas?

Melius esset, uetas, prohibes, absterres, quoniam ille dixerat

-- ilico istic

Ne contagio mea bonis umbra'ue obsit.

Atque etiam si uerëare, ne paulò durior translatio esse uideatur, mollienda est præposito sæpè uerbo: ut si olim Mar. Catone mortuo pupillum senatum

Mollienda metaphora.

natum quis relictum diceret, paulò durius: sin, ut ita dicam, pupillum, aliquanto mitius est. Etenim uerecunda debet esse translatio, ut deducta esse in alienum locum, non irruisse: atque ut precario, non ui uenisse uideatur. Modus autem nullus est florentior, quàm in singulis uerbis, nec qui plus luminis afferat orationi. Nam illud, quod ex hoc genere profluit non est in uno uerbo translato, sed ex pluribus continuatis connectitur, ut aliud dicatur, aliud intelligendum sit.

Epiphonema.

Allegoria

-- Neque me patior
Iterum ad unum scopulum, & telum classem Achiuûm offendere. Atque illud,
Erras, erras: nam exultantē te, et præsidentem tibi
Repriment ualidæ legum habenæ, atque imperij
insistent iugo.

Sumpta re simili, uerba eius rei propria deinceps in rem aliam (ut dixi) transferuntur. Est hoc magnum ornamentum orationis: in quo obscuritas fugienda est. Etenim ex hoc genere fiunt ea quæ dicuntur ænigmata. Non est autem in uerbo modus hic, sed in oratione, id est, continuatione uerborū. Ne illa quidem traductio, atque immutatio in uerbo quandam fabricationem habet, sed in oratione:

Metonimia.

Africa terribili tremit horrida terra tumultu.
Pro Afris est sumpta Africa, neque factum uerbum est, ut

-- Mare

Mare saxifragis undis. neq; translatum, ut
Mollitur mare. sed ornandi caussa proprium pro-prio commutatum.
Desine Roma tuos hosteis --
-- Testes sunt campi magni.
Grauis est modus in ornatu orationis, & sæpè sumendus: ex quo genere hæc sunt, Martem belli esse communem, Cererem pro frugibus, Liberum appellare pro uino, Neptunum pro mari, curiam pro senatu, campum pro comitijs, togam pro pace, arma ac tela pro bello. Quo item in genere, & uirtutes, & uitia pro ipsis in quibus illa sunt, appellantur, Luxuries quam in domum irrupit, & quò auaritia penetrauit, aut fides ualuit, iustitia confecit. Videtis profectò genus hoc totum, cum inflexo, commutatoq; uerbo res eadē enunciatur ornatiùs, cui sunt finitima illa minùs ornata, sed tamen non ignoranda, cùm intelligi uolumus aliquid, aut ex parte totum, ut pro ædificijs cùm parietes, aut tecta dicimus: aut ex toto partem, ut cùm unam turmam equitatum Populi Romani dicimus: aut ex uno plures. **Synecdoche.**
At Romanus homo, tamen etsi res bene gesta est,
Corde suo trepidat. --
aut cùm ex pluribus intelligitur unum:
Nos sumu' Romani, qui fuimus Rutuli.

Aut quocunque modo non ut dictum est, in eo genere intelligitur, sed ut sensum est. Abutimur sæpè

pè etiam uerbo, non tam eleganter, quàm in transferendo: sed etiam si licentius, tamen interdum non impudenter: ut cùm grandem orationem pro magna, minutum animum pro paruo dicimus. Verùm illa uidetis'ne esse non uerbi, sed orationis, quæ ex pluribus, ut exposui, translationibus connexa sunt? Hæc autem quæ aut immutata esse dixi, aut aliter intelligenda ac dicerentur, sunt translata quodammodo. Ita fit, ut omnis singulorum uerborum uirtus, atq; laus tribus existat ex rebus, si aut uetustum uerbum sit, quod tamen consuetudo ferre poßit: aut factum uel coniunctione, uel nouitate: in quo item est auribus consuetudiniq; parcendum: aut translatum, quod maximè tanquam stellis quibusdam notat, & illuminat orationem. Sequitur continuatio uerborum, quæ duas res maximè, collocationem primùm, deinde modum quendam formamq; desiderat. Collocationis est componere, & struere uerba, sic ut ne'ue asper eorum concursus, ne'ue hiulcus sit, sed quodammodo coagmentatus: & leuis: in quo lepidè soceri mei persona lusit, is qui elegantißimè id facere potuit, Lucilius.

Epilogus.

De collocatione, & versu.

Collatio.

Quàm lepidè lexæs compostæ, ut tesserulæ omnes,
Arte pauimento atque emblemate uernicolato,

Quæ cùm dixisset in Albutium illudẽs, ne à me quidem abstinuit, Crassum habeo generum, ne rhetoricotero' tu sis. Quid ergo iste Crassus, quoniam

cius

eius abuteris nomine, quid efficit? idem illud scilicet ut ille uoluit, & ego uellem, melius aliquanto quàm Albutius, uerùm in me quidem lusit ille, ut solet. Sed est tamen collocatio conseruanda uerborum, de qua loquor, quæ iunctam orationem efficit, quæ cohærentem, quæ lenem, quæ æquabiliter fluentem. Id assequimini, si uerba extrema cum consequentibus primis ita iungetis, ut ne'ue asperè concurrant, ne'ue uastius diducantur. Hanc diligentiam subsequitur modus etiam, & forma uerborum: quod iam uereor ne huic Catulo uideatur esse puerile. Versus enim ueteres illi in hac soluta oratione, propemodum, hoc est, numeros quosdam nobis esse adhibendos putauerunt: interspirationis enim, non defatigationis nostræ, neque librariorum notis: sed uerborum, & sententiarum modo interpunctas clausulas in orationibus esse uoluerunt: idque princeps Isocrates instituisse fertur, ut inconditam antiquorum dicendi consuetudinem, delectationis, atque aurium caussa (quemadmodum scribit discipulus eius Naucrates) numeris adstringeret. Namque hæc duo musici, qui erant quondam ijdem poëtæ, machinati ad uoluptatem sunt, uersum atque cantum, ut & uerborum numero, & uocum modo, delectatione uincerent aurium satietatem. Hæc igitur duo, uocis dico moderationem, & uerborum conclusionem, quo ad orationis

Versus.

Quis ostẽderit in oratione uersus.

nis

nis seueritas pati poßit, à poëtica ad eloquentiam traducenda duxerunt: in quo illud est uel maximũ, quod uersus in oratione si efficitur coniunctione uerborum, uitium est: & tamen eam coniunctionem sicuti uersum numerose cadere, & quadrare, & perfici uolumus, neque est ex multis res una quæ magis oratorem ab imperito dicendi, ab ignaroq; distinguat, quàm quòd ille rudis incondite fundit quantum potest, & id quod dicit, spiritu non arte determinat, orator autem sic illigat sententiam uerbis, ut eam numero quodam complectatur, & adstricto, & soluto. Nam cùm uinxit modis, forma & relaxat, & liberat immutatione ordinis, ut uerba neque alligata sint quasi certa aliqua lege uersus neque ita soluta, ut uagentur. Quonam igitur modo tantum munus insistemus, * ut arbitremur nos hanc uim numerose dicendi consequi posse? Non est res tam difficilis, quàm necessaria. Nihil est enim tam tenerum, neque tam flexibile, neque quod tam facilè sequatur quocunque ducas, quàm oratio: ex hac uersus, ex eadem dispares numeri conficiuntur, ex hac hæc etiam soluta uarijs modis, multorum'que generum oratio. Non enim sunt alia sermonis, alia contentionis uerba: neque ex alio genere ad usum quotidianum, alio ad scenam pompam'que sumuntur: sed ea nos cùm iacentia sustulimus è medio, sicut mollißimam ceram

Institue-mus.

Facilitas.

ram ad nostrum arbitrium formamus & fingimus. Itaque tum graues sumus, tum subtiles, tum medium quiddam tenemus: sic institutam nostram sententiã sequitur orationis genus, idq; ad omnem rationem, & aurium uoluptatem, & animorum motum mutatur, & uertitur. Sed ut in plerisque rebus incredibiliter hoc natura est ipsa fabricata, sic in oratione, ut ea quæ maximam utilitatem in se continerẽt, eadem haberent plurimum uel dignitatis, uel sæpè etiam uenustatis. Incolumitatis ac salutis omniũ causa uidemus hunc statum esse huius totius mundi, atque naturæ rotundum, ut cœlum, terraq; ut media sit, eaq; sua ui nutuq; teneatur, sol ut circumferatur, ut accedat ad brumale signũ, & inde sensim ascendat in diuersam partẽ, ut luna accessu & recessu suo solis lumen accipiat, ut eadem spacia quinq; stellæ dispares motu, cursuq; conficiant: hæc tantã habent uim, ut paulum immutata cohærere non poßint: tantam pulchritudinem, ut nulla species ne excogitari quidem poßit ornatior. Referte nunc animũ ad hominem uel etiam cæterarũ animantium formam, et figuram, nullam partem corporis sine aliqua necessitate affictam, totamq; formam quasi perfectam reperietis arte, non casu. Quid in arboribus? in quibus non truncus, non rami, non folia sunt denique, nisi ad suam retinendam conseruandamq; naturam: nusquam tamen est ulla pars, nisi uenusta. Linquamus

Amplificatio, qua excurrit in cõmunem locũ, Elegantiam seu venustatem coniunctam esse cum vtilitate.

mus naturam, artesq; uideamus. Quid tam in naui-gio necessarium, quàm latera, quàm carinæ, quàm prora, quàm puppis, quàm antennæ, quàm uela, quàm mali, quàm reliqua? quæ tamen hanc habent in specie uenustatem, ut non solùm salutis, sed etiam uoluptatis causa inuenta esse uideantur. Columnæ, & templa & porticus sustinent: tamen habent non plus utilitatis, quàm dignitatis. Capitolij fastigium illud, & cæterarum ædium, non uenustas, sed necessitas ipsa fabricata est. Nam cum esset habita ratio, quemadmodum ex utraque parte tecti aqua delaberetur, utilitatem templi, fastigij dignitas consecuta est: ut etiam si in cælo Capitolium statueretur, ubi imber esse non posset, nullam sine fastigio dignitatem habiturum fuisse uideatur. Hoc in omnibus item partibus orationis euenit, ut utilitatem ac propè necessitatem suauitas quædam, & lepos consequatur. Clausulas enim, atque interpuncta uerborum, animæ interclusio, atque angustiæ spiritus attulerunt: id inuentum est ita suaue, ut si cui sit infinitus spiritus datus, tamen eum perpetuare uerba nolimus. Id enim auribus nostris gratum, est inuentum, quod hominum lateribus non tolerabile solùm, sed etiam facilè esse possit. Longissima est igitur complexio uerborũ, quæ uolui uno spiritu potest. sed hic naturæ modus est, artis alius. Nam cum sint numeri plures,

Tribrachum, ut Quintili.

iambum, & trochæum * frequentem segregat ab oratore Aristoteles, Catule, uester: qui natura tamen incurrunt ipsi in orationem sermonemq; nostrum: sed sunt insignes percußiones eorum numerorum, & minuti pedes. Quare primùm ad heroum nos dactyli, & anapæsti, & spondei pedem inuitat, in quo impunè progredi licet duos duntaxat pedes, aut paulò plus, ne planè in uersum, aut similitudinem uersuum incidamus. Aliæ sunt geminæ, quibus hi tres heroi pedes in principia continuandorum uerborum satis decore cadunt. Probatur autem ab eodem illo maximè pæan: qui est duplex, nam aut à longa oritur, quam tres breues consequuntur, ut hæc uerba, definite, incipite, comprimite: aut à breuibus deinceps tribus extrema producta, atque longa, sicut illa sunt, domuerant, sonipedes, atque illi philosopho ordiri placet à superiore pæane, posteriore finire: est autem pæon hic posterior non syllabarum numero, sed aurium mensura, quod est acrius iudicium, & certius, par ferè cretico, qui est ex longa, & breui, & longa: ut, Quid petam præsidij, aut exequar? quo'ue nunc. A quo numero exorsus est Fannius, Si Quirites minas illius: hunc ille clausulis aptiorem putat, quas uult longa plerunque syllaba terminari. Neque uerò hæc tam acrem curam, diligentiamq; desiderant, quàm est illa

Numeros non esse anxiè obseruãdos.

illa poëtarum, quos neceßitas cogit, & ipsi numeri ac modi sic uerba uersu includere, ut nihil sit, ne spiritu quidem minimo breuius, aut longiùs, quàm necesse est. Liberior est oratio, & planè, ut dicitur, sic & est uerè soluta, non ut fugiat tamen, aut erret, sed ut sine uinculis sibi ipsa moderetur. Nanque ego illud assentior Theophrasto, qui putat orationem, quæ quidem sit polita atque facta quodammodo, non adstrictè, sed remißius numerosam eße oportere. Etenim sicut ille suspicatur, ex illis modis, quibus hic usitatus uersus efficitur, pòst anapæstus procerior quidam numerus effloruit, inde ille licentior, & diuitior fluxit dithyrambus, cuius membra, & pedes, ut ait idem, sunt in omni locupleti oratione diffusa, & si numerosum est id in omnibus sonis atque uocibus, quòd habet quasdam impreßiones, & quod metiri possumus interuallis æqualibus, rectè genus hoc numerorum, dummodo ne continuum sit, in orationis laude ponetur. Nam si rudis, & indocta putanda est illa sine interuallis loquacitas perennis, & profluens, quid est aliud causæ cur repudietur, nisi quòd hominum aures uocem natura modulantur ipsa? quod fieri, nisi inest numerus in uoce, non potest: numerus autem in continuatione nullus est: distinctio, & æqualium, & sæpe uariorum interuallorum percußio, numerum conficit: quem

in cadentibus guttis, quòd interuallis distinguuntur, notare possumus, in amni præcipitante non possumus. Quòd si continuatio uerborum hæc soluta multò est aptior, atque iucundior, si est articulis membrisq́; distincta, quàm si cõtinuata ac producta, uerba illa modificata esse debebunt: quæ si in extremo breuiora sunt, infringitur ille quasi uerborum ambitus. Sic enim has orationis conuersiones Græci nominant. Quare aut paria esse debent posteriora superioribus, extrema primis: aut, quod etiam est melius, & iucundius, longiora. Atque hæc quidem ab ijs philosophis quos tu maximè diligis Catule, dicta sunt, quod cò sæpius testifi-or, ut authoribus laudandis ineptiarum crimen effugiam. Quarum tandem, inquit Catulus? aut quid disputatione ista afferri potest elegantius, aut omnino dici subtilius? At enim uereor, inquit Crassus, ne hæc aut difficiliora istis ad prosequendum esse uideantur, aut quia non traduntur in uulgari ista disciplina, nos ea maiora ac difficiliora uideri uelle uideamur. Tum Catulus, Erras, inquit, Crasse si aut me, aut horum quenquam putas à te hæc opera quotidiana, & peruagata expectare: ista quæ dicis, dici uolumus, neque tam dici, quàm isto dici modo: neque tibi hoc pro me solùm, sed pro his omnibus sine ulla dubitatione respondeo. Ego uerò, inquit Antonius, inueni

tandem

tandem quem negaram in eo quem scripsi libello me inuenisse, eloquentem, sed eò te ne laudandi quidem causa interpellaui, ne quid de hoc tam exiguo sermonis tui tempore uerbo uno meo diminueretur.

Hanc igitur, Crassus inquit, ad legem cùm exercitatione, tum stylo, qui & alia, & hoc maximè ornat ac limat, formanda uobis oratio est. neq; tamen hoc tanti laboris est, quanti uidetur: nec sunt hæc rhythmicorum ac musicorum acerrima norma dirigenda: et efficiendum est illud modo uobis, ne fluat oratio, ne uagetur, ne insistat interius, ne excurrat longiùs, ut membris distinguatur, ut conuersiones habeat absolutas. Neq; semper utendum est perpetuitate, & quasi conuersione uerborũ, sed sæpe carpenda * mẽbris minutioribus oratio est, quæ tamen ipsa membra sunt numeris uincienda. Neq; uos pæan, aut herous ille conturbet: ipsi occurrent orationi, ipsi inquam se offerent, & respondebunt nõ uocati: cõsuetudo modo illa sit scribendi, atq; dicẽdi, ut sententiæ uerbis finiantur, eorumq; uerborum iunctio nascatur à proceris numeris ac libris, maximè heroo, & pæane priore, aut cretico: sed uariè distincteq; considat. Notatur enim maximè similitudo in conquiescendo: & si primi, & postremi illi pedes sunt hac ratione seruati, medij possunt latere: modò ne circuitus ipse uerborũ sit aut breuior

Facilitas.

capienda.

quàm aures expectent, aut longior quàm uires atque anima patiatur. Clausulas autem diligentiùs etiam seruandas esse arbitror, quàm superiora, quòd in his maximè perfectio, atque absolutio iudicatur: nam uersus æquè prima, & media, & extrema pars attenditur: qui debilitatur in quacunque sit parte titubatum. In oratione autem prima pauci cernunt, postrema plerique quæ quoniam apparent, & intelliguntur, uarianda sunt, ne aut animorum iudicijs repudientur, aut aurium satietate. Duo enim aut tres sunt ferè extremi seruandi, & notandi pedes, si modo non breuiora, & præcisa erunt superiora: quos aut chorios † aut heroos, aut alternos esse oportebit, aut in pæane illo posteriore, quem Aristoteles probat, aut ei pari cretico. Horum uicißitudines efficient, ut neq; ij satientur qui audient, fastidio similitudinis: nec nos id quod faciemus, opera dedita facere uideamur. Quod si Antipater ille Sidonius, ille quem tu probe Catule meministi, solitus est uersus hexametros aliósque uarijs modis atque numeris fundere ex tempore, tantumq; hominis ingeniosi ac memoris ualuit exercitatio, ut cum se mente ac uoluntate coniecisset in uersum, uerba sequerētur: quanto id faciliùs in oratione, exercitatione, & consuetudine adhibita consequemur? Illud autem ne quis admiretur, quo'nam modo hæc uulgus imperitorum

Præcepta de fine orationis.

Trocheos ut Quint.

Ab exēplo hortatur ad rei quā uis diffici lis studiū.

Quis sensus, quę animaduer sio nume-

ritorum in audiendo notet, cùm in omni genere, tum in hoc ipſo magna quædam eſt uis, incredibiliſq; naturæ. Omnes enim tacito quodam ſenſu ſine ulla arte aut ratione quæ ſint in artibus ac rationibus recta ac praua dijudicant: idq; cum faciunt in picturis, & in ſignis, & in alijs operibus, ad quorum intelligentiam à natura minùs habent inſtrumenti, tum multò oſtendunt magis in uerborum, numerorum, uocumq; iudicio, quod ea ſunt in communibus infixa ſenſibus, neque earum rerum quenquam funditus natura uoluit eſſe expertem. Itaque non ſolùm uerbis arte poſitis mouentur omnes, uerùm etiam numeris ac uocibus. Quotus enim quiſque eſt qui teneat artem numerorum, ac modorum? At in his ſi paulum modo offenſum eſt, ut aut contractione breuius fieret, aut productione longius, theatra tota reclamant. Quid hoc? non idem fit in uocibus? ut à multitudine, populo non modo cateruæ, atque conuentus, ſed etiam ipſi ſibi ſinguli diſcrepantes eijciantur. Mirabile eſt, cùm plurimum in faciendo interſit inter doctum, & rudem, quàm non multum differat in iudicando. Ars enim, cùm à natura profecta ſit, niſi naturã moueat ac delectet, nihil ſanè egiſſe uideatur. Nihil eſt autem tam cognatum mentibus noſtris, quàm numeri, atque uoces: quibus & excitamur, & incendimur, & lenimur, &

rorum apud imperitos.

languescimus, & ad hilaritatem, & ad tristitiam sæpe deducimur: quorum illa summa uis carminibus est aptior et cantibus, nõ neglecta, ut mihi uidetur, à Numa rege doctißimo, maioribusq́; nostris, ut epularum solennium fides ac tibiæ, Saliorumq́; uersus indicant: maximè autem à Græcia uetere celebrata: quibus utinam, similibusq́; de rebus disputari, quàm de puerilibus his uerborum translationibus maluissetis. Verùm ut in uersu uulgus, si est peccatum, uidet: sic si quid in nostra oratione claudicat, sentit: sed poëtæ non ignoscit, nobis concedit, tacitè tamen omnes non esse illud quod diximus, aptum perfectumq́; cernunt. Itaq; illi ueteres, sicut hodie etiam nonnullos uidemus, cum circuitũ, & quasi orbem uerborum conficere non possent (nam id quidem nuper uel posse uel audere cœpimus) terna, aut bina, aut nonnulli singula etiã uerba dicebant: qui in illa infantia naturali illud quod aures hominum flagitabant, tenebant tamen: ut & illa essent paria quæ dicerent, et æqualibus interspirationibus uterentur. Exposui ferè, ut potui, quæ maximè ad ornatum orationis pertinere arbitrabar, dixi enim de singulorum laude uerborum, dixi de coniunctione eorum, dixi de numero, atque forma. Sed si habitum etiam orationis, & quasi colorem aliquem requiritis, est plena quædam, & tamen teres: & tenuis, & non sine neruis ac uiribus:

Ideæ orationis. Sublimis. Mediocris. Summissa

ribus: & ea quæ particeps utriusque generis quadam mediocritate laudatur. His tribus figuris insidere quidam uenustatis non fuco illitus, sed sanguine diffusus debet color. Tum denique nobis hic orator ita conformandus est & uerbis & sententijs, ut quemadmodum qui utuntur armis, aut palæstra, non solùm sibi uitandi aut feriendi rationem esse habendam putant, sed etiam ut cum uenustate moueantur: sic uerbis quidem ad aptam compositionem & condecentiam, sententijs uerò ad grauitatem orationis utatur, ut ij qui in armorum tractatione uersantur. Formantur autem & uerba, & sententiæ penè innumerabiles: quod satis scio notum esse uobis: sed inter conformationem uerborum & sententiarum hoc interest, quòd uerborum tollitur, si uerba mutaris: sententiarum permanet, quibuscunque uerbis uti uelis. Quod quidem uos etsi facitis, tamen admonendos puto, ne quid esse aliud oratoris putetis, quod quidem sit egregium atque mirabile, nisi in singulis uerbis illa tria tenere, ut translatis utamur frequenter, interdumq; factis, rarò autem etiam peruetustis: in perpetua autem oratione, cùm & coniunctionis lenitatem, & numerorum quam dixi rationem tenuerimus, tum est quasi luminibus distinguenda, & frequentanda omnis oratio sententiarum, atq; uerborum. Nam & commoratio una in re permultum mouet,

Com ratie

& illustris explanatio, rerumq́; quasi gerantur, sub aspectum penè subiectio, quæ & in exponenda re plurimum ualet, & ad illustrandum id quod exponitur, & ad amplificandum: ut ijs qui audient, illud quod augebimus, quantum efficere oratio poterit, tantum esse uideatur: & huic contraria sæpe præcisio est, & plus ad intelligendum, quàm dixeris, significatio, & distinctè concisa breuitas, & extenuatio: & huic adiuncta illusio, à præceptis Cæsaris non abhorrens, & ab re non longa digreßio: in qua cùm fuerit delectatio, tum reditus ad rem aptus, & concinnus esse debebit: propositioq́; quid sis dicturus, & ab eo quod est dictum, seiunctio: & reditus ad propositum, & iteratio, & rationis apta conclusio: tum augendi minuendi ue causa ueritatis superlatio, atque traiectio, & rogatio, atque huic finitima quasi percontatio, expositioq́; sententiæ suæ: tum illa quæ maximè quasi irrepit in hominum mentes, alia dicentis ac significantis dißimulatio: quæ est periucunda, cum in oratione, non contentione, sed sermone tractatur: deinde dubitatio, tum distributio, tum correctio uel antè uel pòst quàm dixeris, uel quum aliquid à te ipso reijcias. Præmunitio est etiam ad id quod aggrediare, & reiectio in alium: cõmunicatio, quæ est quasi cum ijs ipsis apud quos dicas, deliberatio: morum ac uitæ imitatio uel in per-

Hypotiposis.

personis, uel sine illis magnum quoddam ornamentum orationis, & aptum ad animos conciliandos uel maximè: sæpe autem etiam ad cõmouendos. Personarum ficta inductio, uel grauißimum lumen augendi: descriptio, erroris inductio, & in hilaritatem impulsio, antè occupatio, tum duo illa, quæ maximè mouent, similitudo & exemplum, digestio, interpellatio, contentio, reticentia, commendatio, uox quædam libera, atq; etiam effrenatior augendi causa: iracundia, obiurgatio, promißio, deprecatio, obsecratio, declinatio breuis à proposito, non ut superior illa digreßio, purgatio, conciliatio, læsio, optatio, atque execratio. His ferè luminibus illustrant orationem sententiæ. Orationis autem ipsius tanquam armorum est uel ad usum comminatio, & quasi petitio, uel ad uenustatem ipsa tractatio. Nam & geminatio uerborum habet interdum uim, lepôrem aliàs, & paulum immutatum uerbum, atque deflexum, & eiusdem uerbi crebra tum à primo repetitio, tum in extremum conuersio, & in eadem uerba impetus, & cõcursio, & adiunctio & progreßio, & eiusdẽ uerbi crebrius positi quædã distinctio, & reuocatio uerbi, & illa quæ similiter desinunt, aut quæ cadunt similiter, aut quæ paribus paria referuntur, aut quæ sunt inter se similia. Est etiam gradatio quædam, & conuersio, et uerborũ concinna transgreßio, et contrariũ

Schemata Lexeos.

&

& dissolutum, & declinatio, reprehensio, & exclamatio, & imminutio, & quod in multis casibus ponitur, & quod de singulis rebus propositis ductum refertur ad singula, & ad propositum subiecta ratio, & item in distributis supposita ratio, et permißio, & rursum alia dubitatio, & improuisum quiddam & dinumeratio, & alia correctio, & disputatio, & quod continuatum, & interruptum, & imago, & sibi ipsi responsio, & immutatio, & disiunctio, & ordo, & relatio, & digressio, & circunscriptio. Hæc enim sunt ferè, atq; horum similia uel plura etiam esse possunt, quæ sententijs orationem, uerborumq; conformationibus illuminent, Quæ quidem te Crasse uideo, inquit Cotta, quòd nota esse nobis putes, sine definitionibus, & sine exemplis effudisse. Ego uerò, inquit Craßus, ne illa quidem quæ suprà dixi, noua uobis esse arbitrabar, sed uoluntati uestrûm omnium parui. His autem de rebus sol me ille admonuit, ut breuior essem, qui ipse iam præcipitans, me quoque hæc præcipitem penè euoluere coëgit. Sed tamen huius generis demonstratio est, & doctrina ipsa uulgaris, usus autem grauißimus, & in hoc toto dicendi studio difficillimus. Quamobrem, quoniam de ornatu omni orationis, si non sunt omnes patefacti, at certè commonstrati loci: nunc quid aptum sit, hoc est, quid maximè deceat in oratione uideamus:

mus: quanquam id quidem perſpicuum eſt, non omni cauſæ, nec auditori, neq; perſonæ, neque tempori congruere orationis unum genus. Nam & cauſæ capitis alium quendam uerborum ſonum requirunt, alium rerum priuatarum, atque paruarum, & aliud dicendi genus deliberationes, aliud laudationes: aliud iudicia, aliud ſermones: aliud conſolatio, aliud obiurgatio: aliud diſputatio, aliud hiſtoria deſiderat. Refert etiam qui audiant, ſenatus, an populus, an iudices: frequentes, an pauci, an ſinguli: & quales ipſi quoq; oratores, qua ſint ætate, honore, authoritate, debet uideri: tempus pacis, an belli: feſtinationis, an otij. Itaque hoc loco nihil ſanè eſt quod præcipi poſſe uideatur, niſi ut figuram orationis, plenioris & tenuioris, & item illius mediocris ad id quod agimus, accommodatã deligamus: ornamentis ijſdem uti ferè licebit aliàs cõtentius, aliàs ſummiſſius, omniq; in re poſſe quod deceat facere, artis & naturæ eſt: ſcire quid quandoq; deceat, prudentiæ. Sed hæc ipſa omnia perinde ſunt, ut aguntur: actio inquam in dicendo una dominatur, ſine hac ſummus orator eſſe in numero nullo poteſt: mediocris hac inſtructus ſummos ſæpe ſuperare. Huic primas dediſſe Demoſthenes dicitur, quum rogaretur quid in dicendo eſſet primum: huic ſecundas, huic tertias. Quo mihi melius etiam illud ab Aeſchine dictum uideri ſolet, qui Exemplũ.
quum

quum propter ignominiam iudicij ceßiſſet Athenis, & ſe Rhodum contuliſſet, rogatus à Rhodijs, legiſſe fertur orationem illam egregiam quam in Cteſiphontem contra Demoſthenem dixerat. Qua perlecta petitum eſt ab eo poſtridie, ut legeret illam etiam quæ erat contrà à Demoſthene pro Cteſiphonte edita: quam cùm ſuauißima, & maxima uoce legiſſet, admirantibus omnibus, Quanto inquit, magis, admiremini ſi audiſſetis ipſum? Ex quo ſatis ſignificauit quantum eſſet in actione, qui orationem eandem aliam eſſe putaret, authore mutato. Quid fuit in Graccho, quem tu Catule melius meminiſti, quod me puero tantopere ferretur? Quò me miſer conferam? Quò uertam? In Capitolium'ne? at fratris ſanguine redundat. An domum? matrêmne ut miſeram lamentantemq; uideam, & abiectam? Quæ ſic ab illo acta eſſe conſtabat oculis, uoce, geſtu, inimici ut lachrymas tenere non poſſent. Hæc eò dico pluribus, quòd genus hoc totum oratores, qui ſunt ueritatis ipſius actores, reliquerunt, imitatores, autem ueritatis hiſtriones occuparunt. Ac ſine dubio in omni re uincit imitationem ueritas: ſed ea ſi ſatis in actione efficeret ipſa per ſeſe, arte profectò non egeremus, uerũ qa animi permotio, quæ maximè aut declaranda aut imitãda eſt actione, perturbata ſæpe ita eſt, ut obſcure, atq; penè obruatur: diſcutienda ſunt

ea

ea quæ obſcurant: & ea quæ ſunt eminentia & prompta, ſumenda. Omnis enim motus animi ſuum quendam à natura habet uultum, & ſonum & geſtum, totumq́; corpus hominis, & eius omnis uultus, omnesq; uoces, ut nerui in fidibus, ita ſonant, ut à motu animi quoque ſunt pulſæ. Nam uoces, ut chordæ ſunt intentæ, quæ ad quenq; tactum reſpondeant, acuta, grauis, cita, tarda, magna, parua: quas tamen inter omnes eſt ſuo quoq; in genere mediocris. Atqui etiam illa ſunt ab his delapſa plura genera, leue, aſperum, contractum, diffuſum, continenti ſpiritu, intermiſſo, fractum, ſciſſum, flexo, ſono, attenuatum, inflatum. Nullum eſt enim horum ſimilium generum, quod non arte ac moderatione tractetur: hi ſunt actori, ut pictori, expoſiti ad uariandum colores. Aliud enim, uocis genus iracundia ſibi ſumat, acutum, incitatum, crebro incidens.

Impius hortatur me frater, ut meos malis miſer
Manderem natos - & ea quæ tu dudum Antoni protuliſti,
Segregare abs te auſus, &
Ecquis hoc animaduertit? uincite
& Atreus ferè totus. Aliud miſeratio, ac mœror flexibile, plenum, interruptum, flebili uoce.
Quò nunc me uertam? quod iter incipiam ingredi?
Domum paternam'ne? an'ne ad Peliæ filias? & illa,

O pater,

O pater, ô patria, ô Priami domus, & quæ sequuntur.

Hæc omnia ui di inflammari,

Priamo ui uitam euitari.

Aliud metus, demissum, & hæsitans, & abiectum.

Multi'modis sum circumuentus, morbo, exilio, atque inopia:

Tum pauor sapientiam mihi omnem ex animo expectorat,

Alte terribilem minitatur uitæ cruciatũ, & necẽ:

Quæ nemo est tam firmo ingenio, & tanta confidentia.

Quin refugiat timido sanguine, atq; exalbescat metu.

Aliud uis, contentum, uehemens, imminens, quadam incitatione grauitatis.

Iterum Thystes Atreum attractum aduenit,

Iterum iam aggreditur me, & quietum exuscitat.

Maior mihi moles, maius miscendum est malum,

Qui illius acerbum cor contundam, & cõprimam.

Aliud uoluptas, effusum, lene, tenerum, hilaratum ac remissum.

Sed mihi cùm retulit coronam ob collocandas nuptias,

Tibi ferebat, cùm simulabat sese alteri dare,

Tum ad te ludibunda doctè & delicatè detulit.

Aliud molestia, sine commiseratione graue quidam

dam & uno pressu ac sono obductum.

Qua tempestate Paris Helenam innuptis iunxit nuptijs

Ego tum grauida expletis iam ferè ad pariendum mensibus,

Per idem tempus Polydorum Hecuba partu postremo parit.

Omneis autem hos motus subsequi debet gestus, non hic uerba exprimens scenicus, sed uniuersam rem & sententiam non demonstratione, sed significatione declarans, laterum inflexione, hac forti ac uirili, non ab scena & histrionibus, sed ab armis, aut etiam à palæstra. Manus autem minus arguta digitis subsequens uerba, non exprimens: brachium procerius proiectum quasi quoddam telum orationis: supplosio pedis in contentionibus aut incipiendis, aut finiendis. Sed in ore sunt omnia. In eo autem ipso dominatus est omnis oculorum, quo melius nostri illi senes, qui personatum ne Roscium quidem magnopere laudabant. Animi est enim omnis actio, & imago animi uultus est, indices oculi. Nã hæc est una pars corporis, quæ quot animi motus sunt, tot significationes & cõmutationes posßit efficere. Neq; uerò est quisquam qui eadem contuens efficiat. Theophrastus quidem Tauriscum quẽdam dixit actorem auersum solitum esse dicere: qui in agendo contuens aliquid, pronunciaret.

Quare oculorum est magna moderatio. Nam oris non est nimium mutanda species, ne aut ad ineptias, aut ad prauitatem aliquam deferamur. Oculi sunt quorum tum intentione, tum remißione, tum coniectu, tum hilaritate motus animorum significemus aptè cũ genere ipso orationis. Est enim actio quasi sermo corporis: quo magis menti congruens esse debet. Oculos autem natura nobis, ut equo & leoni setas, caudam, aures ad motus animorum declarandos dedit. Quare in hac nostra actione secundum uocem uultus ualet: is autem oculis gubernatur. Atque in ijs omnibus quæ sunt actionis, inest quædam uis à natura data: quare etiam hac imperiti, hac uulgus, hac denique barbari maximè commouentur. Verba enim neminem mouent, nisi eum qui eiusdem linguæ societate coniunctus est: sententiæq; sæpe acutæ, non acutorum hominum sensus præteruolant: actio, quæ per se motum animi fert, omneis mouet. ijsdem enim omnium animi motibus concitantur, & eos ijsdem notis & in alijs agnoscunt, & in se ipsi iudicant.

Oculi.

Ad actionis autem usum atq; laudem, maximam sine dubio partem uox obtinet: quæ primùm est optanda nobis, deinde, quæcunq; erit, ea tuenda. De quo illud iam nihil ad hoc præcipiendi genus quẽadmodum uoci seruiatur, equidem magnopere censeo seruiendum. Sed illud uidetur ab huius nostri ser-

Vox.

sermonis officio non abhorrere, quod, ut dixi paulò antè, plurimis in rebus, quod maximè est utile, id nescio quo pacto etiam decet maximè. Nam ad uocem in dicendo obtinendam nihil est utilius quàm crebra mutatio, nihil perniciosius quàm effusa sine intermißione contentio. Quid? ad aures nostras, & actionis suauitatem quid est uicissitudine, & uarietate, & commutatione aptius? Itaque idem Gracchus, quod potes audire Catule ex Erycino cliente tuo literato homine, quem seruum sibi ille habuit ad manum, cum eburneola solitus est habere fistula, qui staret occultè post ipsum, cùm concionaretur, peritum hominem, qui inflaret celeriter eum sonum, quo illum aut remissum excitaret, aut à contentione reuocaret. Audiui me hercule, inquit Catulus, & sæpe sum admiratus hominis cùm diligentiam, tum etiam doctrinam, & scientiam. Ego uerò, inquit Crassus, ac doleo quidem illos uiros in eam fraudem in Rempu. esse delapsos: quanquam ea tela texitur, & ea incitatur in ciuitate ratio uiuendi, ac posteritati ostenditur, ut eorum ciuium, quos nostri patres non tulerunt, iam similes habere cupiamus. Mitte obsecro, inquit, Crasse, Iulius, sermonem istum, & te ad Gracchi fistulam refer, cuius ego nondum planè rationem intelligo. In omni uoce, inquit Crassus, est quiddam medium, sed suum cuiq; uoci: hinc

gradatim aſcendere uocem, utile & ſuaue eſt: nam à principio clamare, agreſte quiddam eſt: & illud idem ad firmandam eſt uocem ſalutare. deinde eſt quiddam contentionis extremum, quod tamen inferius eſt quàm acutiſsimus clamor: quò te fiſtula progredi non ſinet, & tamen ab ipſa contentione reuocabit. Eſt item contra quiddam in remiſsione grauiſsimum, quoque tanquam ſonorum gradibus deſcenditur. Hæc uarietas, & hic per omnes ſonos uocis curſus & ſe tuebitur, & actioni afferet ſuauitatem, ſed fiſtulatorem domi relinquetis, ſenſum huius conſuetudinis uobiſcum ad forum deferetis. Edidi quæ potui, non ut uolui, ſed ut me temporis anguſtiæ coëgerunt. ſcitum eſt enim, cauſam conferre in tempus, cùm afferre plura ſi cupias, non queas. Tu uerò, inquit Catulus, collegiſti omnia, quantum ego poſſum iudicare, ita diuinitus, ut non à Græcis didiciſſe, ſed eos ipſos hæc docere poſſe uideare. Me quidem iſtius ſermonis participem factum eſſe gaudeo, ac uellem ut meus gener ſodalis tuus Hortenſius affuiſſet: quem quidem ego confido omnibus iſtis laudibus, quas tu oratione complexus es, excellentem fore. Et Craſſus: Fore dicis, inquit? ego uerò eſſe iam iudico, & tum iudicaui, cùm me conſule in ſenatu cauſam defendit Africæ: nuperq; etiam magis cùm pro Bithyniæ rege dixit. Quamobrē rectè uides

Catu-

Catule: nihil enim isti adolescenti neq; à natura, neque à doctrina deesse sentio. quo magis est tibi Cotta & tibi Sulpiti uigilandum, ac laborandum. non enim ille mediocris orator uestræ quasi succrescit ætati, sed & ingenio peracri, & studio flagranti, & doctrina eximia, & memoria singulari: cui quanquam faueo, tamen illum ætati suæ præstare cupio: uobis uerò illum tanto minorem præcurrere uix honestum est. Sed iam surgamus, inquit, nosq; curemus, & aliquando ab hac cõtentione disputationis animos nostros, curamq; laxemus.

Finis.

IN LIBRVM TERTIVM DE ORATORE SCHOLIA PHILIPPI MELANCTHONIS.

CVM iudicia penes equestrē ordinem essent, & equites damnato Rutilio pro ludibrio vexarent principes ciuitatis, & depecularentur vectigalia, Drusus conatus est transferre iudicia ad senatum, idq; vt efficeret, frumentarias leges tulit. His cùm aduersaretur Philippus, ab senatu abalienatus est, tametsi causam equitum non probabat: nam ipsum quoque contumeliose tractauerunt equites.

Orbitatem senatus.) Quia consul senatum defendere debebat, iam opprimit.

Sed priusquam.) De uarijs dicendi generibus: humile genus orationis & exile sermoni quotidiano quàm simillimum est, singularem quandam dissimulationem præ se ferens, nullis utitur metaphoris longius ductis, non atrocibus, sed blandis uerbis, nec quidem argumenta procul accersit: uerbis proprietatem cum quadam emphasi custodit: amat uerecundos iocos, nō habet crebras interrogationes, nullos habet omnino atroces motus. Talis est Terentij oratio. Item oratio in Officijs Cicer. de Amicitia &c. & hoc genus plerunq; vocant Atticum. Sublime est, quod supra consuetudinem quotidiani sermonis adsurgit, longis periodis vtitur, recipit metaphoras multas, & sæpe procul ductas. Motus habet vehementes, verba atrocia, argumenta procul accersita,

multas habet hypotyposes, cuius modi sunt quędam Ciceronis orationes, & quarundam orationum partes. Item Liuij oratio. Errant qui hoc genus vocant Asiaticum: nam Asiatica oratio timida est, & vitiose grandis est, impropria, multas periphrases, metaphoras nimis procul accersitas, ineptas compositiones, stultas, obscuras & absurdas sententias habet. Medium genus temperatum est, magis dictum quam Atticum, sed aliquanto lenius quàm subtile genus.

Ego hæc & agenda.) Eloquentiam constare his tribus, sermone grammatico, figuris, & amplificationibus. Priores duas partes adsequi non est difficile. Primùm enim simplex sententia concipitur: vt, scientia literarum est vtilis. Secundus gradus est, hæc uerba figuris variare, vt, nulla possessio neque melior est, neque suauior cognitione honestarum artium. Tertia pars consistit in figuris sententiarum, vt in amplificationibus, in distributionibus, in causis & effectibus, in similitudinibus, in contrarijs, ut si quis depingat vitam earum gentium, quæ nullas literas norunt, & cum humanioribus gentibus cõferat. Hic commemorandi sunt effectus literarũ, quomodo ad publicam tranquillitatem prosint, quia iura & religiones continent. Barbari, quia nullas literas norunt, sine iure viuunt, perpetua latrocinia exercent. Talis est ferè Cyclopum imago apud Homerum: & in hac tertia parte regnant Cicer. & Liui. Atq; hæc pars tractari non potest sine magna rerum scientia: nam quum volumus aliquid illuminare dicendo, oportet nos eius rei causas & effectus penitus peruidere: ita demũ fiet, vt res offerant nobis idonea verba. Vt si quis de Turcico bello dicat, necesse est eum scire quòd liceat Christianis belligerare, quod pium sit opus, & inter officia charitatis pulcherrimum & sanctissimũ, depellere immanissimos latrones.

retinere præsentem statum Reip. Ideo Crassus ad hanc partem necessariam esse rerū scientiam contendit. Porrò ad hæc certa quædam periodorum compositio accedere debet, quam nondū adsecuta est nostra ætas. (dicendi.

Quod non est ita.) Conclusio de illis generib.

In quo igitur.) De ornatu: comprehendit autem hoc titulo figuras & amplificationes.

Hanc inquam cogi.) Excursus de philosophia: & dicit veteres coniunxisse philosophiam & eloquentiam.

In quo gene.) Accedit ad locū facilitatis, ut ostendat non esse infinitam istarum rerum doctrinā: & hominē ingeniosum consequi posse quādo opus sit, & quantum ad usum transferri posſit.

Quarum altera dici postulat.) Quod oratori opus sit philosophia, quia ornatum gignit ipsa rerum cognitio.

Quos ceram, quam.) Plin. lib. 17. cap. 5. legit quod terram, quam quod crocum & c. Et sic ait: Cicero lux doctrinarum: altera, inquit, meliora vnguenta, quæ terram, quàm quæ crocum sapiunt. Quod si admonendi sumus qualis sit terræ ille odor qui quæritur, contingit sæpe etiam quiescente ea sub occasum solis, in quo loco arcus cęlestis deiecerit capita sua. Et cùm à siccitate cōtinua immaduerit, tunc emittit illum suum halitum diuinitus ex sole conceptum, cui cōparari suauitas nulla potest.

Omnis igitur.) Hæc diuisio comprehendit Dialecticam. Tradidit autem Cicero eam propterea, vt ostenderet quo modo si quod thema inciderit, penitus cognoscenda res, & per quos locos deducendum thema sit.

Hæc partitio simpliciter continet eosdem locos seu formas quæstionum, quas nos in dialectica tradidimus de methodo. An sit. Quid sit. Quale sit Quæ causæ. Qui effectus.

Thesis

Thesis alia est

- θεωρητική, vbi cognitio finis est, & habet tres modos:
  - Coniecturam, An sit: vtimur autem coniectura quadrifariam, aut quęrente de
    - Existentia, sit ne: Sint ne pygmæi.
    - Origine: Quæ sit legum origo.
    - Aliis causis: propter quas causas latæ sint leges.
    - Exitu, an animæ sint immortales.
  - Definitionem, Quid sit: sunt definitionum formæ ex
    - Genere
    - Proprio
    - Partibus
    - Circunstantiis
    - Collectis multis accidentibus.
  - Consecutionē, quę de qualitate quęrit, quum egressi substantiam, quærimus, quid in aliis prædicamentis tribuatur themati. Estq; duplex consecutio:
    - Simplex quęrit
      - An res sit expetenda.
      - An sit æqua.
      - An sit honesta.
    - Comparatiua
      - Aut q̄rit differentias: ut quid intersit inter regem & tyrannum.
      - Aut comparat inter se utilia, honesta: utrum utilius, utrum honestius &c.
- πρακτική, cuius finis est actio, ut, sit ne capessenda Respub.

Quid enim M. Catoni.) De Catone T. Liuius. Sed omnes patricios plebeios quæ nobilissimarum fam. & c. textum lege apud Liuium.

In clamore.) Id est, non adhibent rerum cognitionem.

Vt cùm contra.) Verba sunt ex Thucydide, quæ nos in commentariolo de officijs citauimus.

Nunc siue quis volet.) Epilogus est: Ego voco tum oratorem, tum philosophum eum, qui magnarum & multarum rerum scientiam complexus est. Et sic tractauit hactenus hunc locum: cõiungendam cum ratione loquendi magnam & vberem rerum cognitionem.

Tria sunt igitur.) Figuræ verborum. Gellius ex Cæsare: verbum insolens fugiendum esse tanquam scopulum.

Deinde videndum.) Translatio debet esse breuis narratiuncula, non longè accersita, item debet sumi à rebus honestis, non obscœnis.

Nam illud quod ex hoc.) De allegoria, quæ nõ est in uerbo uno vt metaphora, sed est in longa oratione, vt non profecturis littora bobus aras. Item: Syncerum est nisi vas, quodcunq; infundis acescit.

At Romanus.) Id est, non sunt insolentes in rebus secundis.

Quare primùm ad hero.) Duo sunt genera orationis, alterũ, quod vocant humilius, quod non habet ita accuratè compositas periodos, vt sunt cõpositę Ciceronis orationes: sed liberius est: Interdum habet breuiora mẽbra, & quidẽ magna ex parte constat breuibus membris, & rarò fluit longiùs. Habet interdum periodos. Talis oratio, modò non claudicet, in cęteris virtutibus nõ est aspernanda. Sic enim omnes ferè Græci & Latini pręter Isocratem & Hieronem scribunt: idq; propter hanc causam admoneo, ne studium eloquentiæ

tiæ abijciendum putemus, quia Ciceronis compositionem non assequimur, quam etiam illis ipsis Cicero temporibus paucissimi sunt adsequuti. Ac ne Cicero quidem vbiq; struit eodem modo orationem, sed sæpe laxat eam his vinculis. Et tamen in hoc genere quædam grammatica cõpositio adhibenda est, ne relinquantur imperfecta & quasi truncata argumenta. Item membra seu sententiæ apto ordine distribuantur, ne fiant hyperbata. Aliud genus orationis est quod vocant compositum. Id habet ordine dispositas periodos, & quidem numerosas. Cùm autem de numeris orationis præsertim hac ætate, difficile sit iudicium, tantùm hoc memineritis, si periodos efficiemus mediocriter sonãtes, & integros: & cola interdum ornabimus, seu augebimus duobus comatis, sponte accedent numeri. Et si uolumus habere pedum rationem, maximè finis considerandus est, & efficiendum, ut desinat periodus ac subsistat in longos ac tardos pedes, ac longiusculam quidem dictionem, & sæpiùs claudatur verbo quàm nomine. Cæterùm & nomina adiectiua interdum vim & gratiam habent in fine, vt apud Ciceronem. Helluo inuasit in eius viri fortunas, cuius virtute terribilior erit pop. Roma. exteris gentibus iustitia charior. A periodi principio grati sunt pedes celeriores, vt Anapesti, Antimachij, Iambi: in polysyllabis dictionib. Antimachi, dactyli. Perpetuus spondæus reddit nimis tardam periodum. Hic initiò crebri, sunt Anapesti, postea tardiores pedes accedunt. An cùm statuas & imagines non animorum simulachra, sed corporum, studiosè multi summi homines reliquerunt: consiliorum relinquere ac virtutum nostrarum effigiem nónne multo malle debemus, summis ingenijs expressam & politã? Hæc periodus est expressa ex Isocrate, sed fuisset durior, si totidem verb. reddidisset Isocrates. Ideo

Cicero quædam adiecit, ut Latinis auribus fieret periodus mollior. Sic est apud Isocra. Ἐγὼ δὲ ὦ Νικόκλεις ἡγοῦμαι μὲν εἶναι & c. Id est. Ego autem Nicocles, & si existimo egregia monumenta esse corporum imagines, pluris tamen facio actionũ & animi effigiem, quam in orationibus quisquis artificiosè scriptis conspexerit. Danda igitur opera vt periodos faciamus, easq́; mediocriter ornemus. Habet autem id studium multas ac magnas vtilitates, quia non solùm molliorem reddit orationem, sed necesse est etiam sententias mollius cohærere, & absolui argumenta, si periodos efficere conemur.

Formantur autem.) De schematibus. σχῆμα est gestus orationis ne oratio sit otiosa. Si pictor eodem habitu & statu pingeret omnes imagines, tum pictura nihil haberet admirationis, sed cum singulis personis suum gestum ac vultum tribuat, est in admiratione.

Tropus nihil aliud est, quàm metaphora, quia autem multæ species sunt metaphorę, multi tropi etiam numerantur.

Nam & commoratio.) De figuris sententiarũ. Commoratio est, quando firmissimus locus in causa vrgetur & sæpe repetit: vt si quis de dignitate legum dicens, exaggeret uocem Pauli, qui vocat leges ordinationes diuinas. Nam hoc firmissimum argumentum est in ea causa. Fit autem commoratio aliȷs figuris adhibitis. Vt si quis similitudinem adferat, quemadmodum sceleratè faceret, qui sacras ceremonias in templis pedib. conculcaret, ita sceleratè facere iudicandus est is, qui leges contemnit. Neq; minus quàm ceremoniæ cælo leges traditæ sunt. Quemadmodum admiramur corporum pulchritudinem, & certos motus, qui temporum uices efficiunt: ita leges diuino consilio conditas mirari & obseruare debemus.

Et

Et illustris explanatio.) Id est, hypotiposis (Et huic contraria) scilicet præcisio.

A præceptis Cæsaris.) Qui in secundo lib. præcepta facetiarum tradidit. Interrogatio: ut, Quid igitur faciam? non eam? Percontatio est, in qua arguimus alios, & ipsi statim subijcimus nostrã sententiam. Vt, quid est præstantius doctrina? pfecto nihil. Quid tuus ille gladius Tubero in acie? cuius latus petebat, nisi Cæsaris?

Præmunitio. (Id est, excusatio priusquam in aliquam rem ingrediare. Exemplũ prima Verrina.

Communicatio.) Cùm aduersarium tanquam iudicem in consilium adhibemus.

Morum ac uitæ.) Mimesis.

Descriptio) Quando effectus alicuius rei commemorantur.

Manus autem minus.) Manus non debent esse nimis actuosæ.

Scenicus gestus.) Qui exprimit singula uerba.

In eo autem.) Oculi sunt in amore duces & iudices, sic etiam in agendo.

Ad actionis autem usum.) De uoce, eaq; est exercenda, quamuis sit beneficium naturæ bona uox.

Nihil interest inter ornamenta & argumẽta, nisi cùm ad probandum adhibentur, argumenta dicuntur: cùm ad illustrandum, ornamenta.

Cicero sic eloquentiam partitus est, in	Sermonem grammaticum.
	Perspicuum.
	Ornatum rerum.
	Ornatum uerborũ.
	Aptè dicere.

FINIS.

M. T. CICERONIS AD MARCVM BRVTVM ORATOR, A PHILIPPO MELANCTHONE NOVIS scholijs enarratus.

Exordiũ à dubitatione ductum est, & captat beneuolẽtiam, hoc modo significans uolũtatẽ gratificãdi & tamẽ opponit rei difficultatem. Ratio. αἰτιολογία proximæ rationis.

VTRVM *difficilius aut maius esset negare tibi, sæpius idem roganti, an efficere id quod rogares, diu multũque Brute dubitaui. Nam et negare ei quem unicè diligerem, cuiq; me charißimum esse sentirem, præsertim & iusta petenti, & præclara cupienti, durũ admodum mihi uidebatur: & suscipere tantam rẽ, quantam non modo facultate consequi difficile esset, sed etiam cogitatione complecti, uix arbitrabar esse eius, qui uereretur reprehensionem doctorum atq; prudentium.*

Cõclusio prioris argumenti.

Quid enim est maius, quam, cùm tanta sit inter oratores bonos dißimilitudo, iudicare quæ sit optima, species & quasi figura dicendi? Quod quoniam me sæpius rogas, aggrediar non tam perficiendi spe, quàm experiundi uoluntate. Malo enim, cùm studio tuo sim obsecutus, desiderari à te prudentiam meam, quàm si id non fecerim, beneuolentiam.

Propositio, quę sit perfecta oratio.

Quæris igitur (idq; iam sæpius) quod eloquentiæ genus probem maximè, & quale mihi uideatur illud, quo nihil addi possit,

sit,

sit, quod ego summum & perfectissimum iudicem. in quo uereor, ne si id quod uis effecero, eumq́ue oratorem, quem quæris expressero, tardem studia multorum, qui desperatione debilitati, experiri id nolent, quod se assequi posse diffidant. Sed par est omnes omnia experiri, qui res magnas & magnopere expetendas concupiuerunt. Quod si quē aut natura sua, aut illa præstantis ingenij uis forte deficiet, aut minus instructus erit magnarum artium disciplinis, teneat tamen eum cursum quem poterit: prima enim sequentem, honestum est in secundis tertijsq́; consistere. An poëtis Homero soli locus est (ut de Græcis loquar) aut Archilocho? aut Sophocli? aut Pindaro? sed horum in secundis, uel etiam infra secundos. Nec uerò Aristotelem in philosophia deterruit à scribendo amplitudo Platonis: nec ipse Aristoteles admirabili quadam scientia & copia cæterorum studia restrinxit. Nec solùm ab optimis studijs excellentes uiri deterriti non sunt, sed ne opifices quidē se artibus suis remouerunt, qui aut Ialyci (quem Rhodi uidimus) non potuerunt, aut Coæ Veneris pulchritudinem imitari: nec simulachro Iouis Olympij, aut Doryphori statua deterriti, reliqui minus experti sunt quid efficere, aut quo progredi possent. Quorum tanta multitudo fuit, tanta in suo cuiusque genere laus, ut quum summa mira-

rare-

Occupatio: nolo quenq̃ absterrere.

Correctio

γνώμη.

Exempla correctionis.

Loquitur de statuis

Addit exẽpla ex oratoribus. Cõclusio.

raremur, inferiora tamen probaremus. In oratoribus uerò, Græcis quidem admirabile est quantum inter omnes unus excellat. Attamen quum esset Demosthenes, multi oratores magni & clari fuerunt, & anteà fuerant, nec posteà defecerunt. Quare nõ est, cur eorum, qui se studio eloquentiæ dediderunt, spes infrangatur aut languescat industria. Nam neque illud ipsum quod est optimũ desperandum est

γνώμη.

& in præstantibus rebus magna sunt ea, quæ sunt optimis proxima. At ego in summo oratore fingendo talem informabo, qualis fortasse nemo fuit. Non enim quæro quis fuerit, sed quid sit illud, quo nihil poßit esse præstantiùs, quòd in perpetuitate dicendi non sæpe, atq; haud scio, an unquã in aliqua autẽ parte eluceat aliquando, idem apud alios densius, apud alios fortasse rarius. Sed ego sic statuo nihil esse in ullo genere tam pulchrum, quo non pulchrius id sit, unde illud ut ex ore aliquo quasi imago exprimatur, quod neque oculis, neque auribus neque ullo sensu percipi potest, cogitatione tantum & mente complectitur. Itaque ex Phidiæ simulachris, quibus nihil in illo genere perfectiùs uidimus, & his picturis, quas nominaui, cogitare tamen possumus pulchriora. Nec uerò ille artifex, quum faceret Iouis formam, aut Mineruæ, contemplabatur aliquem, è quo similitudinem duceret: sed ipsius in mente insidebat species pulchritudinis eximia quædam

Redit ad institutã propositionem.

Huc quadrat philosophorũ sententia, causa debet perfectior esse quam effectus.

dam

dam, quam intuens, in eaq; defixus, ad illius similitudinem artem & manum dirigebat. Vt igitur in formis & figuris est aliquid perfectum & excellens, cuius ad excogitatam speciem imitando referuntur ea quæ sub oculos ipsa non cadunt, sic perfectæ eloquentiæ speciem animo uidemus, effigiem auribus quærimus. Has rerũ formas appellat Idæas ille non intelligendi solùm, sed etiam dicendi grauißimus author et magister Plato, easq; gigni negat, & ait semper esse, ac ratione & intelligentia contineri: cætera nasci, occidere, fluere, labi, nec diutius esse uno & eodem statu. Quicquid est igitur, de quo ratione & uia disputetur, id est, ad ultimam sui generis formam speciemq; redigendum.

Id quod Plato Idæas vocat, Aristotel. demõstrationes appellat.

Ac uideo hanc primam ingreßionem meam nõ ex Oratoris disputationibus ductam, sed è media philosophia repetitam, et eam quidem cùm antiquam, tum subobscuram, aut reprehensionis aliquid, aut certè admirationis habituram. Nam aut mirabuntur, quid hæc pertineant ad ea quæ quærimus, quibus satisfaciet res ipsa cognita, ut non sine causa altè repetita uideatur: aut reprehendent, quod inusitatas uias indagemus, tritas relinquamus. Ego autem & me sæpè noua uideri dicere intelligo, cùm peruetera dicã, sed inaudita plerisq;, & fateor me Oratorem, si modò sim, aut etiam quicunq; sim, nõ ex rhetorũ officinis, sed ex Academiæ spacijs extitisse.

Occupatio, ad quam bifariam respondet.

Respõsio prima, q̃d philosophia primũ instruxerit Oratorem. Id est studia scholæ.

titisse.

titisse. Illa enim sunt curricula multiplicium uariorum'que sermonum, in quibus Platonis primùm sunt impressa uestigia: sed & huius et aliorum philosophorum disputationibus & exagitatus maximè Orator est, & adiutus. Omnis enim ubertas & quasi sylua dicendi ducta ab illis est, nec tamen satis instructa ad forenses causas, quas (ut illi ipsi dicere solebant) agrestioribus musis reliquerunt. Sic eloquentia hæc forensis spreta à philosophis & repudiata, multis quidem illa adiumentis magnis'que caruit, sed tamen ornata uerbis atque sententijs iactationem habuit in populo, nec paucorum iudicium reprehensionemq; pertimuit. Ita & doctis eloquentia popularis, & disertis elegans doctrina defuit. Positum sit igitur in primis quod pòst magis intelligetur, sine philosophia non posse effici quem quærimus eloquentem. Non ut in ea tamen omnia sint, sed ut sic adiuuet, ut palæstra histrionem. Parua enim magnis sæpè rectissimè conferuntur. Nam nec latiùs nec copiosiùs de magnis uarijsq; rebus sine philosophia potest quisquam dicere. Siquidem etiam in Phædro Platonis hoc Periclem præstitisse cæteris dicit Oratoribus Socrates, quòd is Anaxagoræ physici fuerit auditor, à quo censet eum, cùm alia præclara quædã, & magnifica didicisset uberem, & fœcundum fuisse, gnarum'que quòd est eloquentiæ maximum,

Hoc dicit propter locos cõmunes, quos Oratores à philosophis mutuantur.

Altera responsio, si ne philosophia nõ posse fieri oratorem

Quia destituunt eum loci communes.

quibus

quibus orationis modis, quæ'que animorum partes pellerentur, quod idem de Demosthene existimari potest, cuius ex epistolis intelligi licet, quàm frequens fuerit Platonis auditor. Nec uerò sine philosophorum disciplina genus & speciem cuiusque rei cernere, neque eam definiendo explicare, nec tribuere in partes possumus, nec iudicare quæ uera, quæ falsa sint, neque cernere consequentia, repugnantia uidere, ambigua distinguere. Quid dicam de natura rerum, cuius cognitio magnam orationis suppeditat copiam? de uita, de officijs, de uirtute, de moribus sine multa earum ipsarum rerum disciplina, aut dici, aut intelligi posse? Ad has tot tantasq; res, adhibenda sunt ornamenta innumerabilia, quæ sola tum quidem tradebantur ab his qui dicendi numerabantur magistri. Quò fit ut ueram illam & absolutam eloquentiam nemo consequatur, quod alia intelligendi, alia dicendi disciplina est, & ab alijs rerum, ab alijs uerborum doctrina quæritur. Itaque M. Antonius, cui uel primas eloquentiæ patrum nostrorum tribuebat ætas, uir natura peracutus & prudens, in eo libro quem unum reliquit, disertos ait se uidisse multos, eloquentem omninò neminem. Insidebat uidelicet in eius mente species eloquentiæ, quam cernebat animo, re ipsa non uidebat. Vir autem acerrimo ingenio (sic enim fuit) multa & in se, & in alijs desiderans,

Partitur philosophiam in tres partes, & primũ de Dialectica loquitur, deinde de Physica, postea de Morali.

φυσική.
ἠθική.

Quod factæ sunt diuersæ professiones philosophia & eloquentia.

Redit ad institutã præfationẽ de Idea

rans, neminem planè qui rectè appellari eloquens posset, uidebat. Quod si ille nec se, nec Lucium Crassum eloquentem putauit, habuit profectò comprehensam animo quodam formam eloquentiæ, cui quoniam nihil deerat, eos quibus aliquid aut plura deerant, in eam formam non poterat includere. Inuestigemus hunc igitur Brute, si possumus, quem nunquam uidit Antonius, aut qui omninò nullus unquam fuit, quem si imitari, atque exprimere non possumus, quod idem ille uix Deo concessum esse dicebat, attamen qualis esse debeat poterimus fortasse dicere. Tria sunt omninò genera dicendi, quibus in singulis quidam floruerunt, peræquè autem id quod uolumus, perpauci in omnibus. Nam & grandiloqui (ut ita dicam) fuerunt, cum ampla & sententiarum grauitate, & maiestate uerborum uehementes, uarij, copiosi, graues ad permouendos & conuertendos animos instructi & parati, quod ipsum alij aspera, tristi, horrida oratione neque perfecta, neque conclusa. Alij leni & instructa, & terminata. Et contra tenues, acuti omnia docentes & dilucidiora non ampliora facientes, subtili quadam & pressa oratione limati. In eodemq; genere alij callidi, sed impoliti, & consulto rudium similes et imperitorum. Alij in eadem ieiunitate concinniores, id est, faceti, florentes etiam et leuiter ornati. Est autem quidam interiectus

De tribus generib⁹ dicendi.

Grande genus.

Medium.

Exile.

intermedius, et quasi temperatus, nec acumine posteriorum, nec fulmine utens superiorum, uicinus amborum, in neutro excellens, utriusq; particeps, uel utriusque (si uerum quærimus) potiùs expers. Isq; uno tenore (ut aiunt) in dicendo fluit, nihil adferens præter facultatem & æqualitatem: aut addit aliquos, ut in corona thoros, omnemq́; orationem ornamentis modicis uerborũ sententiarumq́; distinguit. Horum singulorum generum quicunque uim singulis consecuti sunt, magnum in Oratoribus nomen habuerunt. Sed quærendum est, satis'ne, id quod uolumus effecerint. Videmus enim fuisse quosdam, qui idem ornatè ac grauiter, iidem uersutè & subtiliter dicerent. Atque utinam in Latinis talis Oratoris simulachrum reperire possemus: esset egregium nõ quærere externa, domesticis esse cõtentos. Sed ego idem qui in illo sermone nostro, qui est expositus in Bruto, multum tribuerim Latinis, uelut hortarer alios, uel quod amarem meos, recordor longè omnibus unum anteferre Demosthenem, qui uim accommodarim ad eam quam sentiam eloquentiam, non ad eam quam in aliquo ipse cognouerim. Hoc nec grauior extitit quisquã, nec callidior, nec temperatior. Itaq; nobis monendi sunt hi, quorum sermo imperitus increbuit, qui aut dici se desiderant antiquos Atticos, aut ipsi Atticè uolunt dicere, ut mirentur hunc maximè, quo in Athe

Elegans est correctio, vtraque excidunt, quãdo vtrunque leniter attingitur.

Secundũ pręceptũ, qui sint Attici.

nas quidem ipsas magis credo fuisse Atticas: quid enim sit Atticum discant, eloquentiam'que ipsius uiribus, non imbecillitate sua metiantur. Nunc enim tantum quisque laudat, quantum se posse sperat imitari: sed tamen eos studio optimo, iudicio minùs firmo præditos docere, quæ sit propria laus Atticorum, non alienum puto. Semper Oratorum eloquentiæ moderatrix fuit auditorum prudentia. Omnes enim qui probari uolunt, uoluntatem eorum qui audiunt intuentur, ad eam'que & ad eorum arbitrium, & nutum totos se fingunt & accommodant. Itaque Caria, & Phrygia, & Mysia, quòd minimè politæ minime'que elegantes sunt, adsciuerunt aptum suis auribus opimum quoddam et tanquam adipale dictionis genus, quod eorum uicini non ita lato interiecto mari Rhodij nunquam probauerunt. Græci autem multò minùs. Athenienses uerò funditus repudiauerunt, quorum semper fuit prudens, sincerum'que iudicium nihil ut possent nisi incorruptum audire & elegans. Eorum religioni quum seruiret orator nullum uerbum insolens, nullum odiosum ponere audebat. Itaque hic quem præstitisse diximus cæteris, in illa pro Ctesiphonte oratione longè optima summißius à primo, deinde dum de legibus disputat preßius, pòst sensim incedens, iudices ut uidit ardentes, in reliquis exultauit audacius. Ac tamen

Monet vtendũ esse foro, & sensus auditorum cognoscẽdos.

Nam cùm apud hos Aeschines exularet, primùm eos instituit cultiori orationis genere adsuescere & verecundiori.

περιστφάνου.

tamen in hoc ipso diligenter examinante uerborũ omnium pondera reprehendit Aeschines quædam & exagitat, illudens'que dura, odiosa, intolerabilia esse dicit. Quinetiam quærit ab ipso, quum quidam eum beluam appellet, utrum illa uerba, an portenta sint, ut Aeschini, ne Demosthenes quidem uideatur Atticè dicere. Facilè est enim uerbum aliquod ardens (ut ita dicam) notare, idq́; restinctis iam animorum incendijs irridere. Itaque se purgans iocatur Demosthenes, negat in eo positas esse fortunas Græciæ, in hoc, in eum, huc an illuc manum porrexerit. Quo'nam igitur modo audiretur Mysus, aut Phryx Athenis, cùm etiam Demosthenes exagitetur ut putidus? Cùm uerò inclinata ululatiq́; uoce, more Asiatico canere cœpisset, quis eum ferret, aut quis potiùs non iuberet auferri? Ad Atticorum igitur aures teretes, & religiosas qui se accommodant, ij sunt existimandi Atticè dicere. Quorum genera plura sunt, hi unum modò quale sit suspicantur. Putant enim qui horridè inculteq́; dicat, modò id eleganter enucleateq́; faciat eum solùm Atticè dicere, errant quòd solum, quod Atticè, non falluntur. Istorum enim iudicio, si solùm illud est Atticum, ne Pericles quidẽ dixit Atticè, cui primæ sine controuersia deferebantur, qui si tenui genere uteretur, nunquam ab Aristophane poëta fulgurare, tonare, permiscere Græciã dictus

Versatur adhuc in illa collatione Atticorum.

 esset.

Lysias.

eßet. Dicat igitur Atticè uetustißimus ille scriptor, ac politißimus Lysias. Quis enim id poßit negare, dum intelligamus hoc esse Atticum in Lysia, non quòd tenuis sit, atque inornatus, sed quòd nihil

Aliud genus peruerse Atticum, videlicet breue & horridum & obscurũ.

habeat insolens, aut ineptum. Ornatè uerò & grauiter & copiosè dicere, aut Atticorum sit, aut ne sit Aeschines ne'ue Demosthenes Atticus. Ecce autem aliqui se Thucydidios eße profitentur, nouum quoddam imperitorum & inauditum genus. Nam qui Lysiam sequuntur, causidicum quendam sequuntur, non illum quidem amplum atque grandem, subtilem & elegantem tamen, & qui in forensibus

Thucydides.

caußis poßit præclarè consistere. Thucydides autem res gestas & bella narrat, & prælia grauiter sanè & probè, sed nihil ab eo transferri potest ad forensem usum & publicum. Ipsæ illæ conciones ita multas habent obscuras abditas'que sententias, uix ut intelligantur, quod est in oratione ciuili uicium uel maximum. Quæ est autem in hominibus

Sicut Athenienses primi ostenderũt nobis fruges, sic etiam eloquentiã. Itaq; non debemus uti oratio

tanta peruersitas, ut inuentis frugibus, glande uescantur? an uictus hominũ Atheniensium beneficio excoli potuit, oratio non potuit? Quis porrò unquam Græcorum rhetorum à Thucydide quicquã duxit? At laudatus est ab omnibus: fateor, sed ita, ut rerum explicator prudens, seuerus, grauis, non ut in iudicijs uersaret causas, sed ut in historijs bella narraret. Itaq; nunquam est numeratus orator.

Nec

Nec uerò, si historiam non scripsißet, nomen eius extaret, quum præsertim fuißet honoratus & nobilis: huius tamen nemo neque uerborum, neque sententiarum grauitatem imitatur, sed quum mutila quædam, & hiantia locuti sunt, quæ uel sine magistro facere potuerunt, germanos se putant eße Thucydidis. Nactus sum etiam qui Xenophontis similis eße se cuperet, cuius sermo est ille quidem melle dulcior, sed à forensi strepitu remotißimus. Referamus nos igitur ad eum, quem uolumus inchoandum, & eadem eloquentia informandum, quam in nullo cognouit Antonius. Magnum opus omninò & arduum Brute conamur, sed nihil difficile amanti puto. Amo autem, & semper amaui ingenium, studia & mores tuos. Incendor porrò quotidie magis, non desiderio solùm, quo quidem conficior, congressus nostros, consuetudinem uictus, doctißimos sermones requirens tuos: sed etiam admirabili fama uirtutum incredibilium, quæ specie dispares prudentia coniunguntur. Quid enim tam distans, quàm à seueritate comitas? Quis tamen unquam te aut sanctior est habitus, aut dulcior? Quid tam difficile, quàm in plurimorum controuersijs dijudicandis ab omnibus diligi? consequeris tamen ut eos ipsos, quos contra statuas, æquos placatosq; dimittas. Itaque efficis, ut cùm gratiæ caussa nihil facias, omnia tamen sint grata quæ facis. Ergo

ne, quæ quidem ab ipsis probatur.

Id est, breuiora iusto & obscura.

Epilogus superiorū & noua ꝓpositio.

Ex Aristotele sumptum, qui omnes uirtutes connexas esse in prudentia dicit.

Hoc tempore Brutus erat Procōsul in Gallia Transalpina.

omnibus terris una Gallia communi non ardet incendio, in qua frueris ipse te, quum in Italiæ luce cognosceris, uersarisq; in optimorum ciuium uel flore, uel robore. Iam quantum illud est, quod in maximis occupationibus nunquam intermittis studia doctrinæ? semper aut ipse scribis aliquid, aut me uocas ad scribendum. Itaque hoc sum aggreßus statim Catone absoluto, quem ipsum nunquam attigissem, tempora timens inimica uirtuti, nisi tibi hortanti, & illius memoriam mihi coràm excitanti, non parere nefas esse duxissem: sed testificor me à te rogatum, & recusantem hæc scribere esse ausum. Volo enim mihi tecum commune esse crimen, ut si sustinere tantam quæstionem nō potuero, iniusti oneris impositi tua culpa sit, mea recepti. In quo tamen iudicij nostri errorem, laus tibi dati muneris compensabit. Sed in omni re difficilimum est, formam, quod character Græcè dicitur, exponere optimi, quòd aliud alijs uidetur optimum. Ennio delector, ait quispiam, quòd non discedit à communi more uerborum. Pacuuio inquit alius, omnes apud hunc ornati, elaboratiq; sunt uersus, multa apud alterum negligentiùs: fac alium Accio. Varia enim sunt iudicia, ut in Græcis, nec facilis explicatio, quæ forma maximè excellat. In pictura alios horrida, inculta, abdita, & opaca: contrà, alios nitida, læta, collustrata delectatur. Quid est quo præ scriptum

Repetit ppositionem, videlicet quærendum, quod genus orationis sit optimū.

ſcriptum aliquod, aut formulam exprimas, cùm in ſuo quodque genere præſtet, & genera plura ſint? Hac ego religione non ſum ab hoc conatu repulſus, exiſtimauiq; in omnibus rebus eſſe aliquid optimum, etiamſi lateret, idq́; ab eo poſſe, qui eius rei gnarus eſſet, iudicare. Sed quoniam plura ſunt orationum genera, eaq́; diuerſa, neq; in unam formam cadunt omnia, laudationum, ſcriptionum, & hiſtoriarum, & talium ſuaſionum, qualem Iſocrates fecit Panegyricum, *multi'que alij, qui ſunt nominati ſophiſtæ, reliquarumq́; rerum formam quæ abſunt à forenſi contentione, eiuſq́; totius generis, quod Græcè* ἐπιδεικτικὸν *nominatur, quod quaſi ad inſpiciendum delectationis cauſa comparatum eſt, non complectar hoc tempore, non quòd negligenda ſit (eſt enim illa quaſi nutrix eius* Oratoris, *quem informare uolumus, & de quo molimur aliquid exquiſitiùs dicere)* Ab *hac & uerborum copia alitur, & eorum conſtructio, & numerus liberiore quadam fruitur licentia.* Datur *etiam uenia concinnitati ſententiarum, & arguti, certiq́; & circumſcripti uerborum ambitus conceduntur de induſtria, quæ non ex inſidijs, ſed apertè ac palàm elaboratur, ut uerba uerbis quaſi demenſa & paria reſpondeant, ut crebrò conferant pugnantia, comparent'que contraria, & ut pariter extrema terminentur, eundem'que referant in cadendo ſonum, quæ in ueritate cauſarum & rarius multò fa-*

Tria ſunt genera cauſarum

Demõſtratiuum q̊d quaſi ad pompam & oſtentationem comparatum eſt.

Id eſt, vt ſint iuſta & paria ſpacia periodorũ. Vt ſint ὁμοιοτέλευτα.

cimus, & certè occultiùs. In Panathenaico autem Isocrates ea studiose consectatum fatetur. Non enim ad iudiciorum certamen, sed ad uoluptatem aurium scripserat. Hæc tractasse Thrasimachum Calcedonium primum, & Leontinum ferunt Gorgiam Theodorum inde Byzantium, multos'que alios, (quos logodædalos appellat in Phædro Socrates) quorum satis arguta multa, sed ut modò primumq; nascentia, minuta, & uersiculorum similia quædam, nimium'que depicta. quo magis sunt Herodotus, Thucydidesq; mirabiles, quorum ætas cùm in eorum tempora, quos nominaui, incidisset, longißimè tamen ipsi à talibus delitijs, uel potius ineptijs abfuerunt. Alter enim sine ullis salebris quasi sedatus amnis fluit: alter incitatior fertur, & de bellicis rebus canit etiam quodammodo bellicum, primisq; ab his (ut ait Theophrastus) historia commota est, ut auderet uberius quàm superiores, & ornatius dicere. Horum ætati succeßit Isocrates, qui præter cæteros eiusdem generis laudatur semper à nobis, nonnunquam Brute leuiter, & eruditè repugnante te. Sed credas mihi fortasse si quid in eo laudem cognoueris. Nam cùm concisus ei Thrasimachus minutis numeris uideretur, et Gorgias, qui tamen, primi traduntur arte quadam uerba iunxisse. Thucydides autem præfractior, nec satis (ut ita dicam) rotundus. Primus instituit dila-

Membra inutilia & hiulca.

ὥρμισεν. exorta est cœpit tractari.

Ideò laudo, quia Isocrates primùm adhibuit artem ad explẽdas hiulcas & pendẽtes sentẽtias.

dilatare uerbis, & mollioribus numeris explere sententias. In quo cùm doceret eos, qui partim in dicendo, partim in scribendo principes extiterūt, domus eius officina habita eloquentiæ est. Itaque ut ego, cùm à nostro Catone laudabar, uel reprehendi me à cæteris facile patiebar: Sic Isocrates uidetur testimonio Platonis aliorum iudicia debere contemnere. Est enim (ut scis) quasi in extrema pagina Phædri his ipsis uerbis loquens Socrates. Adolescens etiam nunc ô Phædre Isocrates est. Sed quid de illo augurer, lubet dicere. Quid tandē inquit ille? Maiore mihi ingenio uidetur esse, quā ut cum orationibus Lysiæ comparetur. Prætereà ad uirtutem maior indoles, ut minimè mirum futurum sit, si cum ætate processerit, aut in hoc orationum genere, cui nunc studet tantùm quantum pueris reliquis præstet omnibus, qui unquam orationes attigerunt, aut si contentus his non fuerit, diuino aliquo animi motu maiora concupiscat. Inest enim natura philosophia in huius uiri mente quædam. Hæc de adolescente Isocrate Socrates augura tur. At ea de seniore scribit Plato, & scribit æqualis, & quidem exagitator omnium Rhetorū, hunc miratur unum: me autem, qui Isocratem non diligunt, unà cum Socrate, & Platone errare patiantur. Dulce igitur orationis genus & solutum, & affluens, sententijs argutum, uerbis sonans, est in illo

Similitudo elegās.

Platonis iudicium de Isocrate.

illo Epidictico genere, quod diximus proprium sophistarum, pompæ quàm pugnæ aptius, gymnasijs & palæstræ dicatum, spretum & pulsum foro. Sed quod educata huius nutrimentis eloquentia, ipsa se postea colorat, & roborat, nõ alienum fuit de oratoris quasi incunabulis dicere. Verùm hæc ludorũ atq; pompæ, nos aũt iam in aciem dimicationemq; ueniamus. Quoniã tria uidenda sunt Oratori, quid dicat, & quoq; loco, & quo modo, dicendum omninò est, quid sit optimum in singulis, sed aliquando secùs, atq; in tradenda arte dici solet, nulla præcepta ponemus: neq; enim id suscepimus, sed excellentis eloquentiæ speciem, et formam adumbrabimus: nec quibus rebus ea paretur exponemus, sed qualis nobis esse uideatur. Ac duo breuiter prima, sunt enim non tam insignia ad maximam laudem, quàm necessaria, & tamen cum multis penè communia. Nam & inuenire, & iudicare quid dicas, magna quidem illa sunt, et tanquam animi instar in corpore, sed propria magis prudentiæ quàm eloquẽtiæ, qua tamen in causa est uacua prudentia? Nouerit igitur hic quidẽ orator, quem summũ esse uolumus, argumentorũ et rationum locos. Nam quoniã quicquid est quod in controuersia, aut in concione uersetur, in eo aut sit'ne, aut quid sit, aut quale sit, quæritur: sit'ne? signis: quid sit? definitiõibus, quale sit? recti prauiq; partibus, quibus ut uti poßit Orator non

De iudicialibus causis.

Inuentio & dispositio.

Tres status.

non ille uulgaris, sed hic excellens à proprijs personis, & temporibus semper si potest, auocat controuersiã. Latius enim de genere, quã de parte disceptare licet, ut quod in uniuerso sit probatũ, id in parte sit probari necesse. Hæc igitur quæstio à proprijs personis & tẽporibus ad uniuersi generis orationem traducta appellatur thesis. In hac Aristoteles adolescentes, non ad philosophorũ morem tenuiter disserendi, sed ad copiã rhetorum in utranque partem, ut ornatius et uberius dici posit, exercuit. Idemq; locos (sic enim appellat) quasi argumẽtorum notas tradidit, unde omnis in utranque partẽ traheretur oratio. Facile igitur hic noster (non enim declamatorem aliquem de ludo, aut rabulam de foro, sed doctissimum & perfectissimum quærimus) quoniam loci certi traduntur, percurret omnes, utetur aptis, generatim discat, ex quo emanant etiam qui communes appellantur loci: nec uerò utetur imprudenter hac copia, sed omnia expendet, et seliget. Nõ enim semper nec in omnibus causis, ex ijsdem eadem argumentorum momenta sunt: iudicium igitur adhibebit, nec inueniet solùm, quid dicat, sed etiã expendet. Nihil enim est feracius ingenijs, his præsertim quæ disciplinis exculta sunt. Sed ut segetes fœcundæ & uberes non solũ fruges, uerumetiam herbas effundũt inimicissimas frugibus: sic interdum ex illis locis, aut leuia quædã, aut à causis

Id est, sciat etiam transferre hypothesim ad thesim.

Topica intelligit.

Similitudo.

causis aliena, aut non utilia gignuntur, quorum ab oratoris iudicio delectus magnus adhibetur. Alioqui quo'nam modo in bonis ille hærebit & habitabit suis, ut molliet dura? aut occultabit quæ dilui nõ poterunt: atque omninò opprimet si licebit, aut abducet animos, aut aliud adferet, quod oppositum

Dispositio.

probabilius sit, quàm illud quod obstabit? Iam uerò ea quæ inuenerit, qua diligentia collocabit? quoniam id secundum erat de tribus.

In exordijs quid obseruandum.

Vestibula nimirum honesta, aditus'que ad causam faciet illustres. Cumq; animos prima adgreßione occupauerit, infirmabit, excludetq; contraria. De firmißimis alia prima ponet, alia postrema, inculcabitq; leuiora. Atque in primis duabus dicendi partibus, qualis esset, summatim breuiterq; descripsimus. Sed ut antè dictum est, in his partibus, et si graues atq; magnæ

De elocutiõe nunc incipit dicere, & pstringit obiter quædam de Actione.

sunt, minus et artis est & laboris. Cùm autem quid & quo loco dicat inuenerit, illud est longè maximum, uidere quónam modo. Scitum est enim quod Carneades noster dicere solebat Clitomachum eadem dicere, Carneadem autem eodem etiam modo dicere. Quod si in philosophia tantum interest, quemadmodum dicas, ubi res spectatur, non uerba penduntur: quid tandem in causis existimandum est, quibus totis moderatur oratio? Quod quidem ego Brute ex tuis literis sentiebam, non te id sciscitari, qualem ego in inueniendo & in collocando sum=

do sum=

do summum esse oratorem uellem. Sed id mihi quæ rere uidebare, quod genus ipsius orationis optimũ iudicarem, rem difficilē, dij immortales, atq; omnium difficillimam. Nam cùm est oratio mollis & tenera, & ita flexibilis, ut sequatur quocunque torqueas, tum & naturæ uariæ, & uoluntates multum inter se distantia effecerunt genera dicendi. Flumen alijs uerborum uolubilitasq; cordi est, qui ponunt in orationis celeritate eloquētiam. Distincta alios, & interpuncta, interualla, moræ, respiratio nesq; delectant. Quid potest esse tam diuersum? tamē est in utroq; aliquid excellens. Elaborant alij lenitate, & æquabilitate, & puro, & quasi quodam candido genere dicendi. Ecce autem alij duritatē, & seueritatem quandam uerbis, & orationis, quasi mœstitiam sequuntur: quodq; paulò antè diuisimus, ut alij graues, alij tenues, alij temperati uellent uideri, quot orationum genera esse diximus, totidem oratorum reperiuntur. Et quoniam cœpi iam cumulatius hoc munus augere, quàm à te postulatum est (tibi enim tantum de orationis genere quærenti, respondi etiam breuiter de inueniendo & collocando) ne nunc quidem solùm de orationis modo dicam, sed etiam de actionis. Ita prætermissa pars nulla erit, quandoquidem de memoria nihil est hoc loco dicendum, quæ communis est multarum artium. Quo modo autem dicam, id

Vt Cicero in epistolis.

Elocutionem intelligit.

De actiõe. est in duobus, in agendo, & in eloquendo. Est enim actio quasi corporis quædam eloquentia, cùm constet è uoce atque motu. Vocis mutationes totidem sunt quot animorum, qui maximè uoce commouentur. Itaque ille perfectus, quem iam dudum nostra indicat oratio, utcunque se affectum uideri, & animum audientis moueri uolet ita certum uocis admouebit sonum, de quo plura dicerem si hoc præcipiendi tempus esset: aut si tu hoc quæreres. Dicerem etiam de gestu, cum quo iunctus est uultus, quibus omnibus dici uix potest, quantum intersit, quemadmodum utatur orator. Nam & infantes actionis dignitate eloquentiæ sæpe fructum tulerunt, & diserti deformitate agendi, multi infantes putati sunt, ut iam non sine causa Demosthenes tribuerit, & primas & secundas, & tertias actioni. Si enim eloquentia nulla sine hac, hæc autem sine eloquentia tanta est, certè plurimum in dicendo potest. Volet igitur ille qui eloquentiæ principatum petet, & contenta uoce atrociter dicere, & summissa leniter, & inclinata uideri grauis, & inflexa miserabilis. Mira est enim quædam natura uocis, cuius quidem è tribus omnino sonis, inflexo, acuto, graui tanta sit & tam suauis uarietas perfecta in cantibus. Est autem in dicendo etiam quidam cantus obscurior, non hic è Phrygia & Caria, Rhetorum epilo-

Id est, intensa, exaltata.

epilogus penè canticum, sed ille, quem significat Demosthenes & Aeschines, cùm alter alteri obijcit uocis flexiones. Dicit plura etiam Demosthenes, illumq; sæpe dicit uoce dulci & clara fuisse. In quo illud etiam notandum mihi uidetur ad studium persequendæ suauitatis in uocibus: ipsa enim natura quasi modularetur hominum orationem in omni uerbo posuit acutam uocem, nec una plus, nec à postrema syllaba citra tertiam quô magis naturam ducem ad aurium uoluptatem sequatur industria. Ac uocis quidem bonitas optanda est, non est enim in nobis, sed tractatio atq; usus in nobis. Ergo ille princeps uariabit & mutabit omnis sonorum tum intendens, tum remittens persequetur gradus, idemq; motu sic utetur nihil ut supersit in gestu. Status erectus & celsus, rarus incessus, nec ita longus, excursio moderata, eaq; rara, nulla mollitia ceruicum, nullæ argutiæ digitorum, non ad numerum articulus cadens, trunco magis toto se ipse moderans, & uirili laterum flexione, brachij proiectione in contentionibus, contractione in remissis. Vultus uerò, qui secundum uocem plurimum potest, quantam adfert, tum dignitatem, tum uenustatem, in quo cùm effeceris, ne quid ineptum, aut uultuosum sit, tum oculorum est quædam magna moderatio. Nam ut imago est animi uultus, sic indices oculi, quorum & hilaritatis, & uicißim

De elocutione quę est ꝑpria oratoris.

tristitiæ modum, res ipsæ, de quibus agetur temperabunt. Sed iam illius perfecti oratoris, & summæ eloquentiæ species exprimenda est, quem hoc uno excellere, id est, oratione, cætera in eo latêre indicat nomen ipsum. Non enim inuentor, aut compositor, aut actor hæc complexus est omnia.

ῥήτωρ. sed & Græcè ab eloquendo rhetor, & Latinè eloquens dictus est. Cæterarum enim rerum quæ sunt in Oratore, partem aliquam sibi quisque uendicat, dicendi autem, id est, eloquendi, maxima uis soli huic conceditur. Quanquam enim & philosophi quidam ornatè locuti sunt: (siquidem & Theophrastus diuinitate loquendi nomen inuenit, & Aristoteles Isocratem ipsum laceßiuit, & Xenephontis uoce Musas quasi loquutas ferunt: & longè omnium quicunque scripserunt, aut locuti sunt, extitit & grauitate princeps Plato) tamen horum oratio neque neruos, neque aculeos oratorios ac forenses habet. Loquuntur cum doctis, quorum sedare animos malunt, quàm incitare, siquidem de rebus placatis, ac minimè turbulentis docendi causa, non capiendi loquuntur: ut in eo ipso, quod delectationem aliquam dicendo aucupentur, plus nonnullis quàm necesse sit, facere uideantur. Ergo ab hoc genere non difficile est hanc eloquentiam, de qua nunc agitur, secernere. Mollis est enim oratio philosophorum & umbra-

Separat elocutionẽ philosophorũ ab oratorũ elocutiõe Quia ab illo est irrisus postea.

Exẽplum philosophicæ orationis habes apud Ciceronẽ in officijs

bratilis, nec sententijs, nec uerbis instructa popularibus, nec iuncta numeris, sed soluta liberius. Nihil iratum habet, nihil inuidum, nihil atrox, nihil mirabile, nihil astutum. Casta, uerecunda, uirgo incorrupta quodammodo: itaq; sermo potius quàm oratio dicitur. Quanquam enim omnis locutio oratio est, tamen unius oratoris locutio, hoc proprio signata nomine est. Sophistarum (de quibus suprà dixi,) magis distinguenda similitudo uidetur, qui omnes eosdem uolunt flores, quos adhibet orator in causis, persequi. Sed hoc differunt, quod cum sit his propositum non perturbare animos, sed placare potius, nec tam persuadere quàm delectare, & apertius id faciunt, quàm nos, & crebrius concinnas magis sententias exquirunt, q̃ probabiles, à re sæpe discedũt: intexunt fabulas, uerba apertius transferunt, eaq; ita disponunt, ut pictores uarietatem colorum: paria paribus referunt, aduersa contrarijs, sæpißimeq; similiter extrema definiunt. Huic generi historia finitima est, in qua & narratur ornatè, & regio sæpe aut pugna describitur. Interponuntur etiam conciones & hortationes, sed in his tracta quædam et fluens expetitur, non hæc contorta, & acris oratio. Ab his non multò secus, quàm à poëtis hæc eloquentia quam quærimus, seuocanda est. Nam etiam poëtæ quæstionem attulerunt, quidnam esset illud

Sophistarum oratio, ut est Isocratica

Id est utũtur metaphoris lõgius ductis.

Historia.

Quia historia est similis poëmati.

recipiens multū figurarum & ornamentorū.

quo ipsi differrent ab oratoribus, numero maximè uidebantur anteà & uersu, nunc apud oratores iam ipse numerus increbuit. Quicquid est enim quod sub aurium mensuram aliquam cadit, etiam si abest à uersu: (nam id quidem orationis est uicium) numerus uocatur, qui Græcè ῥυθμός dicitur. Itaque uideo uisum esse nonnullis Platonis & Democriti locutionem, & si abest à uersu, tamen quòd incitatius feratur, & clarissimis uerborum luminibus utatur, potius poëma putandum, quàm comicorum poëtarum, apud quos, nisi quòd uersiculi sunt, nihil est aliud quotidiani dissimile sermonis: nec tamen id est poëtæ maximum, & si est eò laudabilior, quòd uirtutes oratoris persequitur, cùm uersus sit astrictior.

Oratores differunt à poëtis, quia non habēt versum, deinde nec tā crebras figuras habent.

Ego autem etiam si quorundam grandis, & ornata uox est poëtarum, tamen in ea cùm licentiam statuo maiorē esse, quàm in nobis faciendorum iungendorumq; uerborum, tum etiam nonnullorum uoluptati uocibus magis quàm rebus inseruiunt. Nec uerò si quid est unum inter eos simile (id autem est iudicium electioq; uerborum) propterea cæterarum rerum dissimilitudo intelligi non potest, sed id nec dubium est, & si quid habet quæstionis, hoc tamen ipsum ad id quod propositum est non est necessarium.

Quintum præceptū in quo definitur orator.

Seiunctus igitur orator à philosophorum eloquentia, à sophistarum, ab historicorum, à poëtarum explicandus

candus

candus est nobis, qualis futurus sit. Erit igitur eloquens (hunc enim authore Antonio quærimus) is qui in foro causisq; ciuilibus ita dicet, ut probet, ut delectet, ut flectat: probare necessitatis est, delectare suauitatis, flectere uictoriæ. Nam id unum ex omnibus ad obtinendas causas potest plurimum. Sed quot officia oratoris, tot sunt genera dicendi: subtile in probando, modicum in delectando, uehemens in flectendo, in quo uno uis omnis oratoris est. Magni igitur iudicij, summæ etiam facultatis esse debebit moderator ille, & quasi temperator huius tripartitæ uarietatis. Nam & iudicabit quid cuique opus sit, & poterit quocunque modo postulabit causa dicere: sed est eloquentiæ, sicut reliquarum rerum fundamentum, sapientia. Vt enim in uita, sic in oratione nihil est difficilius, quam quid deceat uidere: πρέπον appellant hoc Græci: nos dicamus sanè decorum, de quo præclare & multa præcipiuntur, & res est cognitione dignißima. Huius ignoratione non modò in uita, sed sæpißimè & in poëmatis & in oratione peccatur. Est autem quid deceat oratori uidendum, non in sententijs solùm, sed etiam in uerbis. Non enim omnis fortuna, non omnis honos, non omnis authoritas, non omnis ætas, nec uerò locus, aut tempus, aut auditor omnis, eodem uerborum genere tractandus est, aut sententiarum: semperq; in omni

Sextũ præceptũ de decoro.

Id est, decorum variatur ꝓ varietate circũstãtiarum.

parte orationis, ut uitæ, quid deceat est conside=randū, quod & in re, de qua agitur positum est, & in personis, & in eorum qui dicunt, & eorum qui audiunt. Itaque hunc locum longè & latè pa=tentem, philosophi solent in officijs tractare non cùm de recto ipso disputant, nam id quidem unum est grammatici in poëtis, eloquentes in omni & genere & parte causarum. Quàm enim indecorū est de stillicidijs, cum apud unum iudicem dicas am=plißimis uerbis, & locis uti communibus? de maiestate populi Romani, & summisse, & subti=liter? Hic genere toto: at persona alij peccant aut sua, aut iudicum, aut etiam aduersariorum, nec re solùm, sed etiam sæpe uerbo: & si sine re nulla uis uerbi est, tamen eadem res sæpe aut probatur, aut reijcitur, alio atq; alio elata uerbo. In omni=busq; rebus uidendum est quatenus, etsi enim suus cuique modus est, tamen magis offendit nimium quàm parum. In quo Apelles pictores quoque e=os peccare dicebat, qui non sentirent quid esset sa=tis. Magnus esset locus hic Brute, quod te non fu=git, & magnum uolumen aliud desiderat. Sed ad id quod agitur, illud satis cùm hoc decere, quod sem=per usurpamus in omnibus dictis & factis minimis & maximis, cū hoc inq̄ decere dicimus, illud nō de cere, & id usquequaq; quantum sit appareat: in a=lioq; ponatur, aliudq; totum sit, utrum decere an opor-

Isocratis præceptū est, multo melius est abstinere à figuris, & tantum ꝓprio ser mone uti quā accer sere pere-grinas & procul quæsitas figuras.

oportere dicas. Oportere enim perfectionem declarat officij, quo & semper utendum est et omnibus: decere, quasi aptum esse consentaneumq́; & tempori & personæ, quod cum in factis sæpißimè, tū in dictis ualet, in uultu deniq; & gestu, & incessu: contraq́; item dedecere. Quod si poëta fugit ut maximum uicium, qui peccat etiam cum probam orationem affingit improbo, stultóue sapientis. Si deniq; pictor ille uidit, cum immolanda Iphigenia tristis Calchas esset, mœstior Vlysses, mœreret Menelaus, obuoluendum caput Agamemnonis esse, quoniam summum illum luctum penicillo nō posset imitari. Si deniq; histrio quid deceat quærit, quid faciendum oratori putemus? Sed cū hoc tantum sit, quid in causis earumq́; quasi membris faciat, orator uiderit. Illud quidem perspicuum est, non modò partes orationis, sed etiam causas totas alias alia forma dicendi esse tractandas. Sequitur ut cuiusque generis nota quæratur & formula, magnum opus & arduum (ut sæpe iam diximus) sed ingredientibus considerandum fuit quid ageremus. Nunc quidem iam quocunq; feremur, danda nimirum uela sunt, ac primùm informandus est ille nobis, quem solùm quidā uocant Atticum, summissus est & humilis, consuetudinem imitans ab indisertis re plus quam opinione differens. Itaq; eum qui audiunt quamuis ipsi infantes sint, tamen illo modo confidunt se posse dice

Differunt decere & oportere.

Forma summissi generis seu oratoris Attici.

Id est, quotidianum sermonē.

re. Nam orationis subtilitas imitabilis quidem illa uidetur esse existimanti, sed nihil est experienti minùs, Etsi enim non plurimi sanguinis est, habeat tamen succum aliquem oportet, ut etiamsi illis maximis uiribus careat, sit (ut ita dicam) integra ualetudine. Primùm igitur eum tanquam è uinculis numerorum eximamus. Sunt enim quidam (ut scis) oratori numeri, de quibus mox agemus, obseruādi ratione quadam, sed alio in genere orationis in hoc omnino relinquendi, solutum quiddam sit, nec uagum tamen, ut ingredi liberè, non ut licenter uideatur errare. Verba etiam uerbis quasi coagmentare negligat. Habet enim ille tanquam hiatus concursu uocalium molle quiddam, & quod indicet non ingratam negligentiā, de re hominis, magis quàm de uerbis laborantis. Sed erit uidendum de reliquis, cùm hæc duo ei liberiora fuerint, circuitus conglutinatioq; uerborum. Illa enim ipsa contracta & minuta non negligēter tractanda sunt, sed quædam etiam negligentia est diligens. Nam ut mulieres esse dicuntur nonnullæ inornatæ, quasi idipsum deceat, sic hæc subtilis oratio etiam incompta delectat. Fit enim quiddam in utroque quo sit uenustius, sed non ut appareat, tum remouebitur omnis insignis ornatus quasi margaritarum, ne calamistri quidem adhibebuntur. Fucati uerò medicamēta candoris & ruboris omnia

De compositione huius generis.

Non tamē oportet vt sit rustica negligētia.

nia repellentur, elegantia modò & munditia remanebit. Sermo purus erit & Latinus, dilucidè planeq́; dicetur, quid deceat circunspicietur. Vnum aderit, quod quartum numerat Theophrastus in orationis laudibus, ornatum illud suaue & adfluens, acutæ crebræq́; sententiæ ponentur, & nescio unde ex abdito erutæ, atque in hoc oratore dominabuntur. Verecundus erit usus oratoriæ quasi suppellectilis. Suppellex est enim quodammodo nostra, quæ est in ornamentis, alia rerum, alia uerborum. Ornatus autem uerborum duplex: unus simplicium, alter collocatorum. Simplex probatur in proprijs usitatisq́; uerbis, quod aut optimè sonat, aut rem maximè explanat. In alienis aut translatum, aut factum aliunde, ut mutuo, aut factum ab ipso, aut nouum, aut priscum, & inusitatum. Sed etiam inusitata ac prisca sunt in proprijs, nisi quòd raro utimur. Collocata autem uerba habent ornatum, si aliquid concinnitatis efficiunt, quod uerbis mutatis non maneat manente sententia. Nam sententiarum ornamenta, quæ permanent etiamsi uerba mutaueris, sunt illa quidem permulta, sed quæ emineant pauciora. Ergo ille tenuis orator modò sit elegans, nec in faciendis uerbis erit audax, & in transferendis uerecundus & parcus, & in priscis reliquisque ornamentis, & uerborum & sententiarum demißior, transla-

tione

Id est, redoleant aliquam doctrinã.

Duplex verborũ ornatus.

Vt inceptum est amẽtium haud amãtium.

Vt quid igitur faciam? non eam? &c.

tione fortasse crebrior, qua frequentißime sermo omnis utitur, non modò urbanorum, sed etiam rusticorum. Siquidem est eorum gemmare uites, lasciuire agros, lætas esse segetes, luxuriosa frumēta. Nihil horum parum audacter, sed aut simile est illi unde transferas, aut si res suum nullum habet nomē, docendi causa sumptum, non ludendi uidetur. Hoc ornamento liberius paulò, quàm cæteris utetur hic summissus, nec tam licenter tamen, quàm si genere dicendi uteretur amplißimo, Itaq; illud indecorum quo quale sit ex decoro debet intelligi, hic quoque apparet, cum uerbum aliquod altius transfertur, idq; in oratione humili ponitur, quod idem in alia deceret. Illam autē concinnitatem, quæ uerborū collocationem illuminat, his luminibus, quæ Græci quasi aliquos gestus orationis schemata appellant, quod idem uerbum ab his etiam in sententiarum ornamenta transfertur, adhibet quidem hic subtilis, quem nisi quod solùm cæteroquin rectè quidam uocant Atticū, sed paulò parciùs. Nam si ut in epularū apparatu, à magnificentia recedens, non se parcum solùm, sed etiam elegantem uideri uolet, eliget quibus utatur. Sunt enim pleræq; aptæ huius ipsius oratoris, de quo loquor, parsimoniæ. Nam illa de quibus antè dixi, huic acuto fugienda sunt paria paribus relata, & similiter conclusa, eodemq; pacto cadentia, & immutatione literæ, quasi quæsitæ uenustates,

Id est, necessitatis causa: Oportet enim isto uti, quando aliud uerbum non habemus, ut ferre crucem.

σχήματα,

Adhibet Schemata

Ἀντίθετα. ὁμοιοτέλευτα καὶ ὁμοιόπτωτα.

ſtates,ne elaborata concinnitas,& quoddam aucupium delectationis manifeſte deprehenſum appareat. Itemq́; ſi quæ uerborum iterationes contentionem aliquam, & clamorem requirent,erunt ab hac ſummißione orationis alienæ,cæteris promiſcuè poterit uti:continuationem uerborum modo relaxet & diuidat, utaturq́; uerbis quàm uſitatißimis,translationibus quàm mollißimis: etiã illa ſententiarum lumina adſumat, quæ non erunt uehemẽter illuſtria. Non faciet Rempub. loquentem, nec ab inferis mortuos excitabit, nec aceruatim multa frequentans, una complexione deuinciet. Valentiorum hæc laterũ ſunt, nec ab hoc quem informamus, aut expectanda, aut poſtulanda.Erit enim ut uoce, ſic etiam oratione ſuppreßior, ſed pleraq; ex illis conuenient etiam huic tenuitati, quanquam ijſdem ornamentis utetur horridius, talem enim inducimus. Accedit actio, non tragica nec ſcenæ,ſed modica iactatione corporis, uultu tamen multa conficiens,non hoc quo dicuntur os ducere, ſed illo quo ſignificant ingenuè,quo ſenſu quidq́; pronuncient. Huic generi orationis aſpergentur etiam ſales, qui in dicendo mirum quantum ualent: quorum duo genera ſunt,unum facetiarum,alterum dicacitatis, utetur utroq;,ſed altero in narrando aliquid uenuſtè,altero in iaciendo,mittẽdóq; ridiculo,cuius genera plura ſunt, ſed nunc aliud agimus. Illud admo-

Definitio generis Attici.

συναθροισμὸς intelligit.

Actio in hoc genere.

Facetiæ ſũt in ꝑpetua oratione.

Dicacitas eſt in uno dicto.

nemus

nemus tamen, ridiculo sic usurum oratorem, ut nec nimis frequenti, ne scurrilis sit: nec subobscœno, ne mimicum, nec petulanti, ne improbum: nec in calamitatem, ne inhumanum, nec in facinus, ne odij locum risus occupet, neque aut sua persona, aut iudicum, aut tempore alienum. Hæc enim ad illud indecorum referuntur. Vitabit etiam quæsita, nec ex tempore ficta, sed domo allata, quæ plerunque sunt frigida: parcet & amicitijs & dignitatibus: uitabit insanabiles contumelias, tantummodo aduersarios figet, nec eos tamen semper, nec omneis nec omni modo, quibus exceptis sic utetur sale & facetijs, ut ego ex istis nouis Atticis talem cognouerim neminē, cùm id certè sit uel maximè Atticum. Hanc ego iudico formam summißi oratoris, sed magni tamen, & germani Attici. Quoniam quicquid est salsum, aut salubre in oratione, id proprium Atticorum est, è quibus tamen non omnes faceti, Lysias satis & Hyperides, Demades præter cæteros fertur. Demosthenes minùs habetur, quo quidem mihi nihil uidetur urbanius, sed non tam dicax fuit quàm facetus. Est autē illud acrioris ingenij, hoc maioris artis. Vberius est aliud, aliquantoq; robustius, quam hoc humile de quo dictum est. Summißius autem quàm illud de quo iam dicetur amplißimū. Hoc in genere neruorum uel minimum suauitatis autem est uel plurimum. Est enim plenius quam hoc enuclea-

De medio uel mediocri genere.

Id est. Seriorū argumentorum.

enucleatum, quàm autem illud ornatum copiosum'que summißius. Huic omnia dicendi ornamenta conueniunt: plurimumq́; est in hac orationis forma suauitatis, in qua multi floruerũt apud Græcos. Sed Phalereus Demetrius meo iudicio præstitit cæteris, cuius oratio cùm sedatè, placideq́; loquitur tum illustrant eam quasi stellæ quædam translata uerba atq; immutata. Translata ea dico, ut sæpe iam, quæ per similitudinem ab alia re, aut suauitatis, aut inopiæ causa transferuntur. Mutata in quibus pro uerbo proprio subijcitur aliud quod idem significet, sumptum ex re aliqua consequenti, quod quanquam transferendo fit, tamen alio modo transtulit, cũ dixit Ennius arcem et urbem orbas, alio modo si pro patria arcem dixisset, & horridam Aphricã terribili tremere tumultu, cùm dicit, pro Aphris immutat Aphricã. Hanc hypallagen rhetores, quia quasi sumãtur uerba pro uerbis, metonymiam grammatici uocant, quod nomina transferuntur. Aristoteles autem translationi hæc ipsa subiungit, et abusionẽ, quàm Catachresin uocant: ut cùm minutum dicimus animum pro paruo, & abutimur uerbis propinquis, si opus est, uel quòd delectat, uel quòd licet, iam cùm fluxerunt continuæ plures translationes alia planè fit oratio. Itaq; genus hoc Græci appellant allegoriam, nomine rectè, genere meliùs ille, qui ista omnia translationes uocat. Hæc frequentat

Metaphora.

Aristoteles omnes tropos uocat metaphoras.

tat Phalereus maximè, suntq; dulcißima: & quanquam translatio est apud eum multa, tamen immutationes nusquam crebriores. In idem genus orationis (loquor enim de illa modica ac temperata) uerborum cadunt lumina omnia, multæ etiam sententiarum latæ, eruditæq; disputationes ab eodem explicantur, & loci communes sine contentione dicuntur. Quid multa? è philosophorũ scholis tales ferè euadunt, & nisi coràm erit comparatus ille fortior, per se hic què dico probabitur.

Sophisticũ genus etiam ad medium pertinet.

Est enim quoddam etiam insigne, & florens orationis, pictum et expolitũ genus, in quo omnes uerborum, omnes sententiarum illigantur lepôres. Hoc totum è sophistarum fontibus defluxit in forum: sed spretum à subtilibus, repulsum à grauibus, in ea de qua loquor mediocritate concedit.

De grandi genere.

Tertius est ille amplus, copiosus, grauis, ornatus, in quo profectò uis maxima est. Hic est enim cuius ornatum dicendi & copiam admiratæ gentes, eloquentiam in ciuitatibus plurimum ualere passæ sunt. Sed hanc eloquentiam quæ cursu magno sonituq; ferretur, quam suspicerent omnes, quam admirarentur, quam se adsequi posse diffiderent: huius eloquentiæ est tractare animos, huius omni modo permouere. Hæc modo perfringit, modo irrepit in sensus, inserit nouas opiniones, euellit insitas. Sed multum interest inter hoc dicendi genus & superiora. Qui in illo subtili, &

Id est, ista eloquẽtia impleuit aures uulgi.

acuto elaborauit, ut callidè argutéq; diceret, nec quicquam altius cogitaret, hoc uno profectò magnus Orator est, si non maximus, miniméq; in lubrico uersabitur: & si semel constiterit nunquam cadet. Medius ille autem quem modicum & temperatum uoco, si modo suum illud satis instruxerit, non extimescit ancipites dicendi incertosq; casus, etiam si quando minùs succedet, ut sæpe fit, magnū tamen periculum non adibit. Altè enim cadere nō potest. At uerò hic noster, quem principem ponimus, grauis, acer, ardens, si ad hoc unum est natus, aut in hoc solo se exercuit, aut huic generi studet uni, nec suam copiam cum illis duobus generibus temperauit, maximè est contemnendus. Ille enim summissus, quod acutè, & ueteratoriè dicit sapiens iam, medius, suauis: hic autem copiosissimus, si nihil est aliud, uix satis sanus uideri solet. Qui enim nihil potest tranquillè, nihil leniter, nihil partitè, definitè, distinctè, facetè dicere, præsertim cùm causæ partim totæ sint eo modo, partim aliqua ex parte tractandæ, si is non præparatis auribus inflammare rem cœpit, furere apud sanos, & quasi inter sobrios bacchari, uinolētus uidetur. Tenemus igitur Brute quem quærimus, sed animo: nam manu si comprehendissem, ne ipse quidem sua tanta eloquentia mihi persuasisset, ut se dimitterem. Sed inuentus profectò est ille eloquens quem nunquam

Grandis non valet nisi interdū se submittat.

Cōclusio.

Definitio eloquentis viri.

uidit Antonius. Quis est igitur is? complectar breui, disseram pluribus. Is est enim eloquens, qui & humilia subtiliter, & magna grauiter, & mediocria temperate potest dicere. Nemo is, inquies, unquam fuit, nec fuerit. Ego enim quid desiderem, nõ quid uiderim disputo. Redeoq; ad illam Platonis (de qua dixeram) rei formam & speciem, quam etsi non cernimus, tamen animo tenere possumus. Nõ enim eloquentem quæro, neque quicquam mortale & caducum, sed illud ipsum, cuius qui sit compos, sit eloquens, quod nihil est aliud nisi eloquentia ipsa, quam nullis nisi mentis oculis uidere possumus. Is erit igitur eloquens, ut illud idem iteremus, qui poterit parua summißè, modica temperatè, magna grauiter dicere. Tota mihi causa pro Cecinna de uerbis interdicti fuit, res inuolutas definiendo explicauimus, ius ciuile laudauimus, uerba ambigua distinximus. Fuit ornandus in Manilia lege Pompeius temperata oratione, ornandi copiam persecuti sumus. Ius omne retinendæ maiestatis Rabirij causa continebatur. Ergo in omni genere amplificationis exarsimus. At hæc interdum temperanda & varianda sunt. Quod igitur in accusationis septem libris non reperitur genus? quod in Habiti? quod in Cornelij? quod in pluribus nostris defensionibus? Quæ exempla selegissem, nisi uel nota esse arbitrarer, uel posse eligere qui quæreret. Nulla est

Id est, de re ipsa disputo non de ꝑsona.

Oratio ꝑ Cecinna pertinet ad subtile genus.

est enim ullo in genere laus Oratoris, cuius in nostris orationibus non sit aliqua, si non perfectio, at conatus tamen, atq; adumbratio: nō adsequimur, at quid sit, quod deceat, uidemus. Nec enim nunc de nobis, sed de re dicimus, in quo tantū abest, ut nostra miremur, ut usq; eò difficiles ac morosi simus, ut nobis non satisfaciat ipse Demosthenes, qui quanquam unus eminet inter omnes in omni genere dicendi, tamen non semper implet aures meas, ita sunt auidæ & capaces, & sæpe aliquid immensum infinitumq; desiderant. Sed tamen quoniam & hunc tu Oratorem cum eius studiosissimo Pammene, cùm esses Athenis, totum diligentissimè cognouisti: neq; eum dimittis è manibus, & tamen nostra etiam lectitas: uides profectò illum multa perficere, nos multa conari, illum posse, nos uelle quocunq; modo causa postulet dicere: sed ille magnus, nam & successit ipse magnis, & maximos Oratores habuit æquales, nos magnum fecissemus, siquidem potuissemus quo contendimus peruenire in ea urbe in qua (ut ait Antonius) auditus eloquens nemo erat. Atqui si Antonio Crassus eloquēs uisus non est, aut sibi ipse nunquam Cotta uisus esset, nunquam Sulpitius, nunquā Hortensius: nihil enim amplè Cotta, nihil leniter Sulpitius, non multa grauiter Hortensius. Superiores magis ad omne genus apti, Crassum dico & Antoniū. Ieiunas igitur huius multiplicis et æquali-

ter in omnia genera fusæ orationis aures ciuitatis accepimus, easq; nos primi quicunque eramus, & quantulumcunq; dicebamus, ad huius generis dicendi, audiendi, incredibilia studia conuertimus. Quãtis illa clamoribus adolescentuli diximus de supplicio parricidarum, quæ nequaquam satis deferbuisse pòst aliquanto sentire cœpimus. Quid enim tam commune quàm spiritus uiuis, terra mortuis, mare fluctuantibus, littus eiectis? Ita uiuunt dum possunt, ut ducere animam de cælo non queant: ita moriuntur, ut eorum ossa terram non tangant: ita iactantur fluctibus, ut nunquam abluantur: ita postremo eijciuntur, ut ne ad saxa quidem mortui conquiescant, & quæ sequuntur. Sunt enim omnia sicut adolescentis, non tam re & maturitate, quàm spe & expectatione laudati, ab hac indole iam illa matura uxor generi, nouerca filij, filiæ pellex. Nec uerò, hic unus erat ardor nobis, ut hoc modo omnia diceremus. Ipsa enim illa pro Roscio iuuenilis redundantia multa habet attenuata, quædam etiam paulò hilariora. At pro Habito, pro Cornelio, compluresque aliæ. Nemo enim tam multa Orator, ne in græco quidem otio scripsit, quam multa sunt nostra, eaque hanc ipsam habent quam probo uarietatem. An ego Homero, Ennio reliquis poëtis & maximè tragicis concederem, ut ne omnibus locis eadem contentione uterentur, crebroq;

Locus extat in oratione, p A. Cluentio.

broq; mutarent? Nonnunquam etiam ad quotidianum genus sermonis accederent? Ipse nunquam ab illa acerrima contentione discederem? Sed quid poẽtas diuino ingenio profero? Histriones eos uidimus quibus nihil posset in suo genere esse præstantius, qui non solùm in dißimillimis personis satisfaciebant, cùm tamen in suis uersarentur: sed & comœdum in tragœdijs, & tragœdum in comœdijs admodum placere uidimus: ego non elaborem? cũ dico me, te Brute dico. Nam in me quidem iampridẽ effectum est quod futurum fuit. Tu autem eodem modo omnes causas ages? aut aliquod causarum genus repudiabis? aut in ijsdem causis perpetuum, & eũdem spiritum sine ulla commutatione obtinebis? Demosthenes quidem, cuius nuper inter imagines tuas ac tuorum, quòd eum credo amares, cũ ad te in Tusculanum uenissem, imaginem ex ære uidi, nihil Lysiæ subtilitate cedit, nihil argutijs, & acumini Hyperidis, nihil lenitate Aeschini, & splendore uerborum. Multæ sunt eius totæ orationes subtiles, ut contra Leptinem, multæ sunt, & totæ graues, ut quædam Philippicæ, multæ uariæ, ut contra Aeschinem, falsæ legationis, ut contra eundem pro causa Ctesiphonis: Iam illud medium quoties uult arripit, & à grauißimo discedens, cò potißimum delabitur: clamores tamen tum mouet, & tum in dicendo plurimùm efficit, cùm grauitatis locis utitur. Sed

Demosthenes nõ eodẽ modo oĩa dicit. Id est, tenues.

Leptines voluit legem ferre contra immunitatẽ qua ciues bene meriti donabãtur, cui Demosthenes restitit.

ab hoc parumper abeamus: quandoquidem de genere non de homine quærimus, rei potiùs, id est, eloquentiæ uim & naturam explicemus. Illud tamen quod iam antè diximus, meminerimus, nihil nos præcipiendi causa esse dicturos, atq; ita potiùs acturos, ut existimatores uideamur loqui, non magistri, in quo tamen longiùs progredimur, quòd uidemus non te hæc solùm esse lecturum, qui ea multò quàm nos, qui quasi docere uideamur, habes notiora. Sed hunc librum etiãsi minùs nostra commendatione, tuo tamen nomine diuulgari necesse est.

Id est, censores.

Esse igitur perfectè eloquentis puto, non eam solùm facultatem habere, quæ sit eius propria, fusè, lateq; dicendi, sed etiam uicinam eius, atq; finitimam dialecticorum scientiam assumere: quanquam aliud uidetur oratio esse, aliud disputatio: nec idem loqui esse quod dicere. Attamen utrunq; in disserẽdo est, disputandi ratio et loquendi, dialecticorum sit, oratorum antẽ dicendi, & ornandi. Zeno quidem ille, à quo disciplina Stoicorum est, manu demonstrare solebat, quid inter has artes interesset. Nam cùm cõpresserat digitos, pugnumq; fecerat, dialecticam diebat eiusmodi esse, cùm aũt diduxerat, & manũ dilatauerat, palmæ illius similem eloquentiam esse dicebat. Atq; etiam ante hunc Aristoteles principio artis rhetoricæ dicit, illam artem quasi ex altera parte respondere dialecticæ, ut hoc uidelicet diffe-

Postquã diuersas species Oratorum descripsit nunc informat illum perfectum, & grandem Oratorẽ. Et quia hic pauca primũ de inuentione repetit duas res tribuit ei ad inuentionẽ necessarias, videlicet dialecticã, & locorum com-

differant inter se quòd hæc ratio dicendi latior sit, illa loquendi contractior. Volo igitur huic summo omnem, quæ ad dicendum trahi posset, loquendi rationem esse notam: quæ quidem res (quòd te his artibus eruditum minimè fallit) duplicem habuit docendi uiam. Nam & ipse Aristoteles tradidit præcepta plurima disserendi, & postea qui dialectici dicuntur, spinosiora multa pepererunt. Ergo eum censeo qui eloquentiæ laude ducatur, non esse earum rerum omnino rudem, sed uel illa antiqua, uel hac Chrysippi disciplina institutus, nouerit primũ uim, naturam, genera uerborum, & simplicium & copulatorum. Deinde quot modis quidq; dicatur: qua ratione uerum falsúmne sit iudicetur, quid efficiatur, eo quoq; quod cuiq; consequens sit, quodq́; contrarium. Cumq́; ambiguè multa dicantur, quomodo quidq; eorum diuidi, explanariq́; oporteat, hæc tenenda sunt Oratori. Sæpe enim occurrũt, sed sua quia sponte squallidiora sunt, adhibendus erit in his explicandis quidam orationis nitor. Et quoniam in omnibus, quæ ratione docentur, est quædã uia, primùm constituendum est, quid quidq; sit. Nisi enim inter eos qui disceptent, conuenit, quid sit illud de quo ambigitur, nec rectè disseri, nec unquã ad exitum perueniri potest. Explicanda est sæpe uerbis mens nostra de quaq; re, atq; inuolutæ rei notitia definiendo aperienda est. Siquidẽ definitio

munium sciẽtiam. Id est, Dialecticam.

Similis paruis logicalibus nostrorũ temporũ.

De definitione.

Definitio quid. est oratio, quæ quid sit id de quo agitur ostendit quàm breuißimè. Tum, ut scis explicato genere cuiusq; rei, uidēdum est quæ sint eius generis siue formæ, siue partes, ut in eas tribuatur omnis oratio. Erit igitur hæc facultas in eo quē uolumus esse eloquentem, ut definire rem poßit: neq; id faciat tam preßè, & angustè, quàm in illis eruditißimis disputationibus fieri solet, sed cùm explanatius, tum etiam uberius, & ad commune iudicium, popularemq; intelligentiam accommodatiùs. Idemq; etiam cùm res postulabit genus uniuersum in species certas, ut nulla neq; prætermittatur, neq; redundet, partietur ac diuidet. Quando autem, aut quomodo id faciat, nihil ad hoc tempus: quoniam (ut suprà dixi) iudicem me esse, non doctorem uolo. Nec uerò dialecticis modò sit instructus, sed habeat omnis philosophiæ notos & tractatos locos. Nihil enim de religione, nihil de morte, nihil de pietate, nihil de charitate patriæ, nihil de bonis rebus aut malis, nihil de uirtutibus ac uitijs, nihil de officio, nihil de dolore, nihil de uoluptate, nihil de perturbationibus animi, & erroribus, qui sæpe cadunt in causas, sed ieiunius aguntur, nihil unquam sine ea scientia, quā dixi, grauiter, amplè, copiosè dici, et explicari potest. De materia loquor orationis, etiam nunc, non ipso de genere dicēdi. Volo enim prius habeat Orator rem, de qua dicat, dignam auribus eruditis, quā cogi-

[Margin notes: De diuisione. — Id est, totius in partes. — Non possum omnia præcepta perse-qui. — Loci communes.]

cogitet, quibus uerbis quidq; dicat, aut quomodo, quem etiam, quo grandior sit, & quodammodo excelsior (ut de Pericle dixi suprà) ne physicorum quidem esse ignarum uolo. Omnia profectò, cùm se à cœlestibus rebus refert ad humanas, excelsius magnificentius'que & dicet, & sentiet, cumq; illa diuina cognouerit, uolo ignoret, ne hæc quidem humana. Ius ciuile teneat, quo egent causæ forenses quotidie. Quid est enim turpius, quàm legitimarum & ciuilium controuersiarum patrocinia suscipere, cùm sis legum & ciuilis iuris ignarus. Cognoscat etiam rerũ gestarum, & memoriæ ueteris ordinẽ, maximæ scilicet nostræ ciuitatis, sed & imperiosorum populorum & regum illustrium, quem laborem nobis Attici nostri leuauit labor, qui conseruatis notatis'que temporibus, nihil cùm illustre prætermitteret, annorum septingentorum memoriam uno libro colligauit. Nescire autem quid anteà quàm natus sis acciderit, id est semper esse puerum. Quid enim est ætas hominis, nisi cùm memoria rerum ueterum cum superiorum ætate contexitur? Commemoratio autem antiquitatis exemplorum'que prolatio summa cum delectatione, & authoritatem orationi adfert, & fidem. Sic igitur instructus ueniet ad causas, quarum habebit genera primùm ipsa cognita. Erit enim ei perspectum nihil ambigi posse, in quo non aut res controuer-

Exempla sunt in oratione pro Milone, vbi de mente dicit quę regit & gubernat omnia.

De iure ciuili.

De historia.

Libros χρονικῶν intelligit.

ſiam faciat aut uerba. Res aut de uero, aut de recto, aut de nomine. Verba aut de ambiguo, aut de contrario. Nam ſi quando aliud in ſententia uidetur eſſe, aliud in uerbis, genus eſt quoddam ambigui, quod ex præterito uerbo fieri ſolet. In quo quidem (quod eſt ambiguorum proprium) res duas ſignificari uidemus. Cùm tam pauca ſint genera cauſarum, etiam argumentorum præcepta pauca ſunt: traditi ſunt è quibus ea ducantur duplices loci, uni ex rebus ipſis, alteri adſumpti. Tractatio igitur rerum efficit admirabiliorem orationem, nam ipſæ quidem res in perfacili cognitione uerſantur. Quid enim iam ſequitur quod quidem artis ſit, niſi ordiri orationem, in quo aut concilietur auditor, aut erigatur, aut paret ſe ad diſcendum? Rem breuiter exponere & probabiliter & apertè, ut quid agatur intelligi poßit? ſua confirmare, aduerſaria euertere, ea'que efficere non perturbatè, ſed ſingulis argumentationibus ita concludendis, ut efficiatur quod ſit conſequens his quæ ſumentur ad quamque rem confirmandam? Pòſt omnia perorationem inflammantem reſtinguentem'ue concludere? Has partes quemadmodum tractet ſingulas, difficile dictū eſt hoc loco. Nec enim ſemper tractantur uno modo. Quoniam aũt non quem doceam quæro, ſed quẽ probem: probabo primùm eum, qui quid deceat, uidebit. Hæc

Partes orationis.

De decoro.

enim

enim sapientia maximè adhibenda eloquenti est, ut sit temporum personarum'que moderator. Nam nec semper, nec apud omnes, nec contra omnes, nec pro omnibus, nec omnibus eodem modo dicendum arbitror. Is erit ergo eloquens, qui ad id quodcunq; decebit, poterit accommodare orationem. Quod cùm statuerit, tum ut quicq; erit dicendum, ita dicet, nec satura ieiunè, nec grandia minutè, nec item contrà: sed erit rebus ipsis par & æqualis oratio. Principia uerecunda, non elatis intensa uerbis, sed acuta sententijs, uel ad offensionem aduersarij, uel ad cōmendationem sui. Narrationes credibiles, nec historico, sed propè quotidiano sermone explicatæ dilucidè. Deinde si tenues causæ, tum etiam argumentandi tenue filum, & in docendo, & in refellendo, id'que ita tenebitur, ut quanta ad rem, tanta ad orationem fiat accessio. Cùm uerò causa ea inciderit, in qua uis eloquentiæ possit exprimi, tum se latius fundet Orator, tū reget & flectet animos, & sic adficiet ut uolet, id est, ut causa & natura & ratio temporis postulabit. Sed erit duplex omnis eius ornatus ille admirabilis, propter quem ascendit in tantum honorem eloquentia. Nam cùm omnis pars orationis esse debet laudabilis, sicut uerbum nullum, nisi aut graue, aut elegans excidat, tum sunt maximè luminosæ, &

Magnas res dicet oratione splēdidiore, exiguas, subtilē

Quid deceat & maximè spectādū fiet in contentione & q loci maximè sint ornandi illustrādi amplific & adfectib.

quasi actuosæ partes duæ. Quarum alteram in uniuersi generis quæstionem pono, quam (ut suprà dixi) Græci appellant θέσιν. Alteram in augendis amplificandisq; rebus, quæ ab eisdem αὔξησις est nominata. Quæ etsi æquabiliter toto corpore orationis fusa esse debet, tamen in cōmunibus locis maximè excellet, qui communes appellati, eô quòd uidentur multarum iidem esse causarum, sed proprij singularum esse debebunt. Ac uerò illa pars orationis, quæ est de genere uniuerso, totas causas sæpe continet. Quicquid est enim illud in quo quasi certamen est controuersiæ, quod Græcè κρινόμενον dicitur, id ita dici placet, ut traducatur ad perpetuam quæstionem, atque ut de uniuerso genere dicatur, nisi cùm de uero ambigetur, quod quæri coniectura solet. Dicetur autem non Peripateticorum more (est enim illorum exercitatio elegans, iam inde ab Aristotele constituta) sed aliquanto neruosius: & ita de re communia dicentur, ut & pro reis multa leniter dicantur, & in aduersarios asperè. Augendis uerò rebus, et contrà abijciendis, nihil est quod non perficere poßit oratio. Quod & inter media argumenta faciendum est, quotiescunque dabitur uel amplificandi, uel minuendi locus, & penè infinitè in perorando. Duo sunt etiam quæ bene tractata ab Oratore admirabilem eloquentiam faciant. Quorum alterum est (quod Græci

Thesis est illustrāda

Sic debēt tractari, vt videantur nati causa.

Id est, exiliter, est enim alia ratio disputandi apud philosophū, q̄ sit ratio dicendi in foro.

Duo genera affectuum.

ἠθικὸν uocant) ad naturam & ad mores, & ad omnem uitæ consuetudinem accommodatum. Alterum (quod ijdem παθητικὸν nominant) quo perturbantur animi, & concitantur, in quo uno regnat oratio. Illud superius, come, iucundum, ad beneuolentiam conciliandam paratum: hoc uehemēs, incensum, incitatum, quo causæ eripiuntur, quod cùm rapidè fertur, sustineri nullo pacto potest. Quo genere nos mediocres, aut multò etiam minus, sed magno semper usi impetu, sæpe aduersarios de statu omni deiecimus. Nobis pro familiari reo summus Orator non respondit Hortensius. A nobis homo audacißimus Catilina in senatu accusatus obmutuit. Nobis priuata in causa magna & graui cùm cœpisset Curio pater respondere, subitò assedit, cùm sibi uenenis ereptam memoriam diceret. Quid ego de miserationibus loquar? quibus eo sum usus pluribus, quod etiam si plures dicebamus, perorationem mihi tamen omnes relinquebant, in quo ut uiderer excellere, non ingenio, sed dolore adsequebar. Quæ qualiacunque in me sunt, me enim ipsum non pœnitet quanta sint, sed apparent in orationibus: Etsi carent libri spiritu illo, propter quem maiora eadem illa cùm aguntur, quàm cùm leguntur, uideri solent. Nec uerò miseratione solùm mens iudicum permouenda est, qua nos ita dolenter uti solemus, ut puerum infantem in ma-

in manibus perorantes tenuerimus, ut alia in causa excitato reo nobili, sublato etiam filio paruo plangore & lamentatione compleremus forum: Sed etiam est faciendum ut irascatur iudex, mitigetur, inuideat, faueat, contemnat, admiretur, oderit, diligat, cupiat, satietate afficiatur, speret, metuat, lætetur, doleat. In qua uarietate, duriorum, accusatio suppeditabit exempla: mitiorum, defensiones meæ. Nullo enim modo animus audientis aut incitari, aut leniri potest, qui modus à me non tentatus sit, dicerem perfectum si ita iudicarem, nec in ueritate crimen arrogantiæ extimescerem. Sed (ut suprà dixi) nulla me ingenij, sed magna uis animi inflammat, ut me ipse non teneam, nec unquam is qui audiret incenderetur, nisi ardens ad eum perueniret oratio. Vterer exemplis domesticis, nisi ea legisses. Vterer alienis, uel latinis si ulla reperirem: uel Græcis, si deceret: sed Craßi perpauca sunt, nec ea iudiciorum: nihil Antonij, nihil Cottæ, nihil Sulpitij: dicebat melius quàm scripsit Hortensius. Verùm hæc uis quam quærimus, quanta sit suspicemur, quoniam exemplum non habemus: aut si exempla sequimur, à Demosthene sumamus: & quidem perpetuæ dictionis ex eo loco, unde in Ctesiphontis iudicio de suis factis, consilijs, meritis in Rempublicam aggressus est dicere. Ea profectò oratio in eam formam, quæ

est

est insita in mentibus nostris, includi sic potest, ut maior eloquentia non requiratur. Sed iam ipsa forma restat, & character ille qui dicitur, qui qualis debeat esse, ex ipsis quæ suprà dicta sunt intelligi potest. Nam & singulorum uerborum & collocatorum lumina attigimus, quibus sic abundabit, ut uerbum ex ore nullum, nisi aut elegans, aut graue exeat. ex omniq; genere frequentissimæ translationes erunt, quòd eæ propter similitudinem transferunt animos, & referunt ac mouent huc & illuc. Qui motus cogitationis celeriter agitatus per se ipse delectat, & reliqua ex collatione uerborum quæ sumuntur quasi lumina, magnum adferunt ornamentum orationi. Snnt enim similia illis quæ in amplo ornatu scenæ aut fori appellantur insignia, non quòd sola ornent, sed quod excellant. Eadem ratio est horum, quæ sunt orationis lumina, & quodammodo insignia, cùm aut duplicantur iteranturq; uerba, aut breuiter commutata ponuntur, aut ab eodem uerbo ducitur sæpius oratio, aut in idem conijcitur, aut in utrunq;, aut adiungitur idem iteratum, aut idem ad extremum refertur, aut continenter unum uerbum non in eadem sententia ponitur: aut cùm similiter uel cadunt uerba, uel desinũt, aut multis modis contrarijs relata contraria: aut cùm gradatim sursum uersus redditur, aut cũ demptis coniunctionibus dissolutè plura dicuntur: aut

Suprà dixit qui loci recipiãt ornamēta ex rebus sumpta, videlicet thesis, auxesis, adfectus: nunc enumerat ornamēta verborũ, scilicet tropos & schemata

Intelligit repetitionem: vt ô Choridõ Choridõ, &c.

Traductio, qui nihil in vita dixit iucũdius vita.

ὁμοιοτέλευτα.

cùm

Compar. cùm aliquid prætereuntes cur id faciamus ostendi-
Gradatio mus: aut cùm corrigimus nosmetipsos quasi repre-
ἀσύνδετον. Preteritio hendentes: aut si est aliqua exclamatio, uel admira-
ἀποδίωξις. Correctio tionis, uel conquestionis: aut cùm eiusdem nominis
Schemata casus sæpius commutantur. Sed sententiarum orna-
διανοίας. menta maiora sunt, quibus quia frequentissimè De-
mosthenes utitur, sunt qui putent idcirco eius elo-
quentiam maximè esse laudabilem. Et uerò nullus
Id est, sine quadam figura. locus ferè ab eo sine quadam conformatione senten
tiæ dicitur: nec aliud quicquam est dicere, nisi aut
omnes, aut certè plerasq; aliqua specie illuminare
sententias: quas cùm tu optimè Brute teneas, quid
attinet nominibus uti, aut exemplis? tantum note-
tur locus. Sic igitur dicet ille quem expetimus, ut
Regula generalis. uerset sæpe multis modis eandem & unam rem, &
Commoratio. hæreat in eadem, commoreturq; sententia. Sæpe
etiam ut extenuet aliquid, sæpe ut irrideat, ut decli
Repetitio net à proposito, deflectatq; sententiam, ut propo-
Clausula. nat quid dicturus sit, ut cùm trãsegerit iam aliquid
Subiectio definiat, ut se ipse reuocet, ut quod dixit iteret, ut
Ironia. Dubitatio. argumentum ratione concludat, ut interrogando
urgeat, ut rursus quasi ad interrogata sibi ipse re-
Distributio. spondeat, ut contrà ac dicat, accipi et sentiri uelit,
Apodioxis. ut addubitet quid potiùs aut quomodo dicat, ut di-
Premunitio. uidat in partes, ut aliquid relinquat ac negligat, ut
antè præmuniat, ut in eo ipso in quo reprehenda-
Inuersio. tur, culpam in aduersarium conferat, ut sæpe cum
his

ijs qui audiunt, nonnunquam etiam cum aduersario quasi deliberet, ut hominum sermones, moresq; describat, ut muta quædam eloquentia inducat, ut ab eo quod agitur auertat animos, ut sæpe in hilaritatem risúmue conuertat, ut antè occupet quod putat opponi, ut comparet similitudines, ut utatur exemplis, ut aliud alij tribuens dispertiat, ut interpellatorem coërceat, ut aliquid reticere se dicat: ut denunciet quid caueat, ut liberius quid audeat: ut irascatur etiam, ut obiurget aliquando, ut deprecetur, ut supplicet, ut medeatur, ut à proposito declinet aliquantulū, ut oportet, ut execretur, ut fiat ijs apud quos decet familiaris, atq; alias etiam quasi uirtutes sequatur, breuitatem si res petet. Sæpe etiam rem dicendo subijciet oculis: sæpe suprà fieret quàm fieri poßit: significatio sæpe erit maior quàm oratio, sæpe hilaritas, sæpe uitæ naturarumq; imitatio. Hoc in genere (nam quasi syluam uides) omnis eluceat oportet eloquentiæ magnitudo: sed hæc nisi collocata, & quasi structa & nexa uerbis, ad eam laudem quam uolumus aspirare nō poßunt. De quo cùm mihi deinceps uiderem esse dicendum, etsi mouebat iam me illa quæ supra dixeram, tamen his quæ sequuntur perturbabar magis. Occurrebat enim posse reperiri, non inuidos solum, quibus referta sunt omnia, sed fautores etiam laudum mearum, qui non censerent eius uiri esse, de

Communicatio. Εἰκών. Digressio. Occupatio. Prosopopœia. Reticētia. Hypotyposis. Hyperbole. Præfatio in locum qui sequitur de cōpositione. Propositio.

cuius meritis tanta senatus iudicia fecisset comprobante pop. Romano, quanta de nullo, de artificio dicendi literis tam multa mandare. Quibus si nihil aliud responderem nisi me M. Bruto negare roganti noluisse, iusta esset excusatio, cùm & amicissimo & præstantißimo uiro & recta & honesta petenti, satisfacere uoluissem. Sed si profitear, quod utinam possem, me studiosis dicendi præcepta, & quasi uias, quæ ad eloquentiam ferrent, traditurum, quis tandem id iustus rerum æstimator reprehenderet? Nam quis unquam dubitauit, qui in Repub. nostra primas eloquentia tenuerit semper urbanis pacatisq; rebus, secundas iuris scientia? cùm in altera gratiæ, gloriæ, præsidij plurimum esset: in altera persecutionum, cautionumq; præceptio, quæ quidem ipsa auxilium ab eloquentia sæpe peteret: ea uerò repugnante uix suas regiones finesq; defenderet. Cur igitur ius ciuile docere semper pulchrum fuit, hominumq; clarißimorum discipulis domus floruerunt? Ad dicendum si quis acuat, aut adiuuet in eo iuuentutem uituperetur? Nam si uitiosum est dicere ornatè, pellatur omnino è ciuitate eloquentia. Sin ea non modo eos ornat, penes quos est, sed etiam uniuersam Remp. cur aut discere turpe est, quod scire honestum est? aut quod nosse pulchrum est, id non gloriosum docere? At alterũ factitatum est, alterũ nouum. fateor:

[Margin: Ἀπολογία. ducta ab officio.]

[Margin: Alia ratio ab exẽplo]

[Margin: Obiectio Oratores fuerunt occupati, iurecõsulti non.]

sed

sed utriusq; rei causa est. Alteros enim responden- tes audire sat erat, ut hi qui docerent, nullum sibi ad eam rem tempus ipsi seponerent, sed eodẽ tempore & discentib. satisfacerent, & consulentibus. Alte- ri cũ domesticum tempus in cognoscendis, compo- nendisq; causis, forense in agendis, reliquum in se- ipsis reficiendis omne consumerent, quem habebãt instituendi aut docendi locum? Atque haud scio, an pleriq; nostrorum oratorũ contrà atq; nos ingenio plus ualuerint, quàm doctrina. itaq; illi dicere me- lius quàm præcipere: nos contrà fortasse possu- mus. At dignitatẽ docere non habet, certè si quasi in ludo: sed si monendo, si cohortando, si percun- ctando, si communicando, si interdum etiam unà legendo, audiendo: nescio cur non dicendo etiam aliquid aliquando, si posses meliores facere, cur no- lis? An quibus uerbis sacrorum alienatio fiat, doce- re honestum est, quibus ipsa sacra retineri defen- diq; poßint, non honestum est? At ius profitentur etiam qui nesciunt: eloquentia autem illi ipsi qui consecuti sunt, tamen se ualere dißimulant, propte- reà quòd prudentia hominibus grata est, lingua su- specta. Num igitur aut latêre eloquentia potest, aut id quod dißimulat effugit: aut est periculum ne quis putet in magna arte & gloriosa turpe esse docere alios id, quod ipsi fuerit honestißimum discere? Ac fortasse cæteri tectiores, ego semper

Hoc loco alludit M. C. ad morẽ docendi iuris apud Roman.

Extenuatio.

Sicut iure consulti docent de traducendis rebus sacris ad alium usum.

me didicisse præ me tuli. Quid enim possem, cùm & abfuissem adolescens, & horum studiorum causa mare transissem, & doctißimis hominibus domus referta esset, & aliquæ fortasse inessent in sermone nostro doctrinarum notæ, cumq; uulgo scripta nostra legerentur: dißimularem me didicisse? Quid erat cur probarem, nisi quòd parum fortasse profeceram? Quòd cùm ita sit, tamen ea quæ suprà dicta sunt, plus in disputando, quàm ea de quibus dicendum est, dignitatis habuerunt. De uerbis enim componendis, & de syllabis propemodum dinumerandis, & dimetiendis loquemur, quæ etiamsi sunt, sicuti mihi uidentur, necessaria, tamen fiunt magnificentiùs, quàm docentur. Est id omnino uerum, sed propriè in hoc dicitur: nam omnium magnarum artium, sicut arborum altitudo nos delectat, radices stirpesq; non item: sed esse illa sine his non potest. Me autem siue peruagatißimus ille uersus, qui uetat Artem pudere proloqui, quam factites, dißimulare non sinit, quin delecter: siue tuum studium hoc à me uolumen expreßit, tamẽ eis quos aliquid reprehensuros suspicabar, respondendũ fuit. Quod si ea quæ dixi non ita essent, quis tamẽ se tam durum agrestemq; præberet, qui hanc mihi nõ daret ueniam, ut cũ meæ forenses artes, & actiones publicæ concidissent, non me aut desidiæ, quod facere non possum, aut mœstitiæ, cui resisto potius, quàm

Locus.

Fructus nos delectãt artiũ ipsæ verò artes & præcepta non perinde.

Postrema ratio ab occasione temporis.

quàm literis dederē? quæ quidē antea in iudicia atque in curiā deducebant, nūc oblectāt domi. Nec uerò talib. modo rebus, quales hic liber continet, sed multò etiā grauioribus & maioribus: quæ si erunt perfectæ profectò forensibus nostris reb. & domesticæ literæ respondebunt. Sed ad institutā disputationem reuertamur. Collocabuntur igitur uerba, aut ut inter se quam aptißimè cohæreant extrema cum primis, eaq́; sint quā suauißimis uocibus: aut ut forma ipsa concinnitasq́; uerborum conficiat orbē suum: aut ut cūprehensio numerose & aptè cadat. Atq; illud primum uideamus, quale sit, quod uel maximè desiderat diligentiam, ut fiat quasi structura quædā, nec id tamen fiat operose, nam esset cū infinitus, tum puerilis labor, quod apud Lucilium scitè exagitat in Albutio Scæuola. Quàm lepidè lexis compositæ, ut tesserulæ omnes Arte pauimēto, atq; emblemate uermiculato. Nolo tam minuta hæc constructio appareat, sed tamen stylus exercitatus efficiet facilè hanc uiam componendi. Nam ut egendo oculus, sic animus in dicendo prospiciet quid sequatur, ne extremorum uerborum, cum insequentibus primis concursus, aut hiulcas uoces efficiat aut asperas. Quamuis enim suaues, grauesq́; sententiæ, tamen si inconditis uerbis efferuntur, offendent aures, quarum est iudicium superbißimum. Quod quidem Latina lingua sic obseruat, nemo ut tam ru-

De cōpositione: hic primum præcipit de literis vt a'in, p ais'ne? Secundò de structura. Tite tute tati. &c. Tertiò de periodis & numeris. Id est, ne eadem litera crebro repetatur. Vt fiant numerosè periodi.

Exemplū Durate &

vosmet rebus sernate secũdis.

sticus sit, quin uocales nolit coniungere. In quo quidam etiam Theopompum reprehendunt quòd eas literas tantopere fugerit. etsi id magister eius Isocrates fecerat. At non Thucydides, ne ille quidem haud paulò maior scriptor Plato, nec solùm in his sermonibus, qui dialogi dicuntur, ubi etiam de industria id faciendum fuit, sed in populari oratione, qua mos est Athenis oratione laudari in contentione eos, qui sint in prælijs interfecti, quæ sic probata est, ut ea quotannis (ut scis) illo die recitari necesse sit: in ea est crebra ipsa uocum concursio, quam magna ex parte ut uitiosam fugit Demosthenes: sed Græci uiderint, nobis ne si cupiamus quidem, distrahere uoces conceditur. Indicant orationes illæ ipsæ horridulæ Catonis, indicant omnes poëtæ, præter eos qui ut uersum facerent, sæpe hiabant, ut Næuius: Vos qui accolitis Histrũ fluuium, atq; Algidam. & ibidẽ: Quam nunquã nobis Graij atq; Barbari. At Ennius semel: Scipio inuicte. Et quidem nos, hoc motu radiantis Etesiæ in uada ponti. Hoc idem nostri sæpius non tulissent, quod Græci laudare etiam solent. Sed quid ego? uocales sine uocalibus sæpe breuitatis causa contrahebãt, ut ita dicerẽt: multi' modis uas' argẽteis palma' & crinib. tecti' fractis. Quid uerò licentius q̃ quod hominũ etiam nomina contrahebant, quo essent aptiora. Nam ut duellũ bellum, & duis bis, sic Duelliũ

Id est, uocalium.

eum

eum qui Pœnos classe deuicit, Bellium nominauerunt, cũ superiores appellati essent semper Duellij. Quinetiam uerba sæpe contrahuntur, non usus causa, sed aurium. Quomodo enim uester axilla ala factus est, nisi fuga literæ uastioris? Quam literam etiã è maxillis & taxillis, & uexillo, & paxillo cõsuetudo elegans latini sermonis euellit. Libenter etiam copulando uerba iungebant, ut sodes, pro si audes: sis pro si uis. Iã in uno capsis tria uerba sunt. Id est, cape si vis. Ain' pro ais ne, nequire pro non quire, malle pro magis uelle, nolle pro non uelle. Deim etiam sæpe et exin, pro deinde, et pro exinde dicimus. Quid illud, nõ olet unde sit? q. dicitur cum illis: cum aũt nobis nõ dicitur, sed nobiscum, quia si ita diceretur, obscœnius concurrerẽt literæ, ut etiam modò, nisi aũt interposuissem, cõcurrissent. Ex eo est mecũ & tecum, non cum me & cũ te, ut esset simile illis uobiscum atq; nobiscũ. Atq; etiam à quibusdam serò iam emendatur antiquitas, qui hæc reprehendunt. Nam prò Deûm atq; hominum fidem, deorum aiunt. Ita credo hoc illi nesciebant, an dabat hanc consuetudo licentiam? Itaq; idem poëta qui inusitatius contraxerat: patris mei, meûm factûm pudet pro meorum factorum: &, texitur exitiûm examen capiti, pro exitiorum: non dicit liberûm, ut pleriq; loquimur, cum cupidos liberum, aut in liberum, locum dicimus. Sed ut isti uolunt, neque tuum unquam in

gremium extollas liberorum ex te genus. Et idem:

Nanq; Aesculapij liberorum ex te genus

At ille aliter in Chryse.

Non solũ ciues antiqui amici maiorũ meûm, q̃ erat usitatũ, sed durius etiam consiliûm socij auguriûm, atq; extûm interpretes. Idemq; pergit, postq̃ prodigium horriferûm portentûm pauor, quæ nõ sanè sunt in omnibus neutris usitata. Nec enim dixerim tam libenter, armûm iudicium, etsi est apud eundẽ. Nihil'ne ad te de iudicio annum accidit, quàm armorum ut censoriæ tabulæ loquuntur, fabrûm & procûm audio dicere, non fabrorũ & procorũ. Plane q; duorum uirorum iudicium, aut trium uirorũ capitalium, aut decem uirorum litibus iudicandis dico nunquam. Atqui dixit Accius, uideo sepulchra dura duorum corporum. Idemq; mulier una duûm uirûm, quid uerum sit intelligo, sed aliàs ita loquor ut concessum est, ut hoc uel prò deûm dico, uel prò deorum. Aliàs ut necesse est cum trium uirûm non uirorum: cùm sestertiûm nummûm, non sestertiorum non nummorum, quod in his consuetudo uaria non est. Quid quod sic loqui nosse & iudicasse uetant, nouisse iubẽt & iudicauisse? quasi uerò nesciamus in hoc genere, & plenum uerbum rectè dici, & imminutum usitatè: Itaq; utrunq; Terentius: Eho tu cognatum tuum non noras? pòst idem: Stilphonem, inquam, noueras? Siet, plenum est, sit imminu-

minu-

minutũ, licet utare utroq;. ergo ibidem, Quàm chara sintq; post carendo intelligunt, Quamq; attinendi magni dominatus sient. Nec uerò reprehenderim, Scripsere alij rem & scripserunt, esse uerius sentio sed consuetudini auribus indulgenti libenter obsequor. Idem campus habet inquit Ennius, & in templis iisdem probauit, at eisdem erat uerius, nec tamen eisdem, opimius, malè sonabat iisdem. Impetratum est à consuetudine, ut peccare suauitatis causa liceret, & pomeridianas quadrigas, quàm postmeridianas libentius dixerim: & me hercule, quàm me hercules. Non scire quidem barbarum iam uidetur, nescire dulcius: ipsum meridiem dicimus, cur non meridiem? Credo quòd erat insuauius. Vna præpositio est ab eaq; nunc tantum in acceptis tabulis manet, ne his quidem omnium in reliquo sermone mutata est. Nam amouit dicimus, & abegit, & abstulit, ut iam nescias, ab ne uerum sit, an abs. Quid si etiam absfugit, turpe uisum est, & adfer noluerunt, aufer maluerunt, quæ præpositio præter hæc duo uerba, nullo alio in uerbo reperitur. Noti erant & naui, & nari, quibus cum in præponi oporteret, dulcius uisum est, ignoti, ignaui, ignari dicere quam ut ueritas postulabat. Ex usu dicunt, & è Repub. quod in altero uocalis excipiebat, in altero esset asperitas, nisi literam sustulisses, ut exegit, edixit, refecit,

retulit, reddidit, adiuncti uerbi primam literam præpositio commutauit, ut subegit, sommouit, sustulit. Quid in uerbis iunctis? quàm scitè insipientem, non insapientem? iniquum non inæquum, tricipitem non tricapitem, concisum non concæsum. Ex quo quidam percisum etiam uolunt, quod eadem consuetudo non probauit. Quid uerò hoc elegantius? quod non fit natura, sed quodam instituto? inclytus dicimus breui prima litera, insanus producta, inhumanus breui, infelix longa: & ne multis, quibus in uerbis eæ primæ literæ sunt, quæ in sapiẽte atq; felice productè dicuntur, in cæteris omnibus breuiter. Itemq; composuit, consueuit, concrepuit, confecit, consule ueritatem, reprehendet, refer ad aures, probabunt. Quare cur? ita se dicent iuuari, uoluptati autem aurium morigerari debet oratio. Quin ego ipse cùm scirem ita maiores locutos esse, ut nusquam nisi in uocali aspiratione uterẽtur, loquebar sic, ut pulcros & Cetegos, triumpos. Cartaginem dicerem aliquando, idq; serò, conuitio aurium, cum mihi extorta ueritas esset, usum loquẽdi populo concessi, scientiam mihi reseruaui. Orciuios tamen, & Mathones, Othones, Cæpiones, sepulcra, coronas, lacrymas dicimus, quia per aurium iudicium semper licet. Purrum semper Ennium, nunquam Pyrrhum, ui patefecerunt Fruges non Phryges, ipsius antiqui declarant libri, nec enim græ-

Gellius li. 8. cap. 27.

Id est, cũ populo locutꝰ sum. Aristo. loquendum vt plures, sapiẽdum vt pauci.

græcam literam adhibebant. Nunc autem etiam duas, & cùm Phrygum, & cùm Phrygibus dicendum esset, absurdum erat, aut tantum barbaris casibus græcam literam adhibere, aut recto casu solum græcè loqui, tamẽ & Phryges & Pyrrhum aurium causa dicimus. Quinetiam quod iam subrusticum uidetur olim autẽ politius, eorum uerborum quorum eædẽ erant postremæ duæ literæ, quæ sunt in optumus postremam literã detrahebant, nisi uocalis insequebatur. Ita non erat ea offensio in uersibus, quam nunc fugiunt poëtæ noui. Ita enim loquebamur, qui est omnib' princeps, non omnibus princeps, & uita illa dignu' locoq;, non dignus. Quod si indocta consuetudo tam est artifex suauitatis, quid ab ipsa tandem arte & doctrina postulari putamus? Hæc dixi breuius quam si hac de re una disputarem, est enim hic locus latè patens, de natura usuq; uerborum, longius autem quàm instituta ratio postulabat. Sed quia rerum uerborumq; iudicium prudentiæ est: uocum autem & numerorum aures sunt iudices, &, quod illa ad intelligentiam referuntur, hæc ad uoluptatem, in illis ratio inuenit, in his sensus artem, aut enim negligenda nobis fuit uoluptas eorum quibus probari uolebamus, aut ars eius conciliandæ reperienda. Duæ sunt igitur res quæ permulceant aures, sonus & numerus. De numero mox. De sono nunc quærimus,

Secundus locus de structura dictionũ.

Ver-

Verba (ut suprà diximus) legenda sunt potißimum benè sonantia: sed ea non ut poëta exquisita ad sonum, sed sumpta de medio. Qua pontus Helles superat Tmolum. At auratus aries Colchorum splendidis nominibus illuminatus est uersus. Sed proximus inquinatus insuauißima litera infinitus: frugifera & ferta arua Asiæ tenet. Quare bonitate potius nostrorum uerborum utamur, quàm splendore græcorum, nisi fortè sic loqui pœnitet: qua tempestate Paris Helenam, & quæ sequuntur. Imò uero ista sequamur, asperitatemq́; fugiamus. Habeo istam ego perterricrepã, idemq́; uersutiloquas malitias. Nec solùm componentur uerba ratione, sed etiam finientur, quoniam id iudicium esse aurium alterum diximus: sed finiuntur aut compositione ipsa, & quasi sua sponte, aut quodam genere uerborum, in quibus ipsis concinnitas inest, quæ siue casus habent in exitu similes, siue paribus paria redduntur, siue opponuntur contraria, suapte natura numerosa sunt, etiamsi nihil est factũ de industria. In huius concinnitatis consectatione Gorgiam fuisse principem accepimus, quo de genere illa nostra sunt in Miloniana. Est enim iudices hæc nõ scripta, sed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus: uerùm ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expreßimus: ad quam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti. Hæc enim talia sunt, ut quia

referuntur ad ea ad quæ debent referri, intelligamus nõ quæsitum esse numerum, sed secutum. Quod fit item contrarijs in referendis, ut illa sunt quibus non modò numerosa oratio, sed etiam uersus efficitur. Eam quam mihi accusas, damnas: condemnas dixisset qui uersum effugere uoluisset. Bene quam meritam esse autumas pro autumas, dicis male mereri, id quod scis prodest, nihil id quod nescis obest. Versum efficit ipsa relatio contrariorum, id esset in oratione numerosum, quod scis nihil prodest, quod nescis multum obest. Semper hæc quæ græci antitheta nominant: cùm contrarijs opponuntur cõtraria, numerum oratorium necessitate ipsa efficiunt, & eum sine industria. Hoc genere antiqui iam ante Isocratem delectabãtur, & maximè Gorgias, cuius in oratione plerunq; efficit numerum ipsa concinnitas. Nos etiam in hoc genere frequẽtes, ut illa sunt in quarto accusationis. Conferte hanc pacem cum illo bello: huius prætoris aduentum cum illius imperatoris uictoria: huius cohortem impuram cũ illius exercitu inuicto: huius libidines cum illius cõtinentia, ab illo qui cœpit conditas ab hoc qui constitutas accepit captas dicetis Syracusas. Ergo & hi numeri sunt cogniti, etiam à latinis. Genus illud tertium explicetur, quale sit numerosæ & aptæ orationis, quod qui non sentiunt, quas aures habeant, aut quid in his hominis simile sit nescio. Meæ quidem

De numeris orationis & periodis.

dem & perfecto completoq; uerborũ ambitu gaudent, & curta sentiunt nec amant redundãtia: quid dico meas? conciones sæpe exclamare uidi, cum aptè uerba cecidissent. Id enim expectant aures, ut uerbis colligetur sententia. Non erat hoc apud antiquos, & quidem nihil aliud fere non erat. Nam & uerba eligebant, & sententias graues, & suaues reperiebant: Sed eas aut uinciebant, aut explebant, parum hoc me ipsum delectat, inquiunt. Quid si antiquißima illa pictura paucorum colorum magis quam hæc iam perfecta delectet? illa nobis si crebrò repetenda, hæc scilicet repudianda, nominibus ueterum gloriantur. Habet autem ut in ætatibus authoritatem senectus, sic in exemplis antiquitas, quæ quidem apud meipsum ualet plurimum. Nec ego id quod deest antiquitati, flagito potius quàm laudo, quod est præsertim, cũ ea maiora iudicem quæ sunt, quàm illa quæ desunt. Plus est enim in uerbis, & in sententijs boni, quibus illi excellunt, quàm in conclusione sententiarum: quam non habent. Pòst inuenta conclusio est, qua credo usuros ueteres illos fuisse, si iam nota atque usurpata res esset, qua inuenta omnes usos magnos oratores uidemus, sed habet nomen inuidiam, cũ in oratione iudiciali, & forensi numerus latinè, græcè ῥυθμὸς inesse dicitur. Nimis enim insidiarum ad capiendas aures adhiberi uidetur, si etiam in dicẽdo numeri ab

Obiectio per subiectionem.

oratore quæruntur. Hoc freti isti, & ipsi infracta & amputata loquuntur, & eos uituperant, qui apta & finita pronunciant, si inanibus uerbis leuibúsque sentētijs, iure: sin probæ res, lecta uerba. Quid est cur claudicare, aut insistere orationem malint, quam cum sententia pariter excurrere? Hic enim inuidiosus numerus nihil adfert aliud, nisi ut sit aptè uerbis comprehensa sententia, quod fit etiam ab antiquis, sed plerunq; casu, sæpe natura. Et quæ ualde laudantur apud illos, ea ferè, quia sunt conclusa, laudantur: & apud Græcos quidem iam anni propè quadringenti sunt cum hoc probatur, nos nuper agnouimus. Ergo Ennio licuit uetera contemnenti dicere: Versibu', Quos olim Fauni uatesq; canebant. mihi de antiquis eodem modo non licebit, præsertim cum dicturus non sim ante hunc, ut ille, nec quæ sequuntur nos ausi reserare. Legi enim audiuiq; nonnullos, quorum propemodum absolutè concluderetur oratio. Quod qui non possunt, non est eis satis, non contēni, laudari etiam uolunt. Ego autem illos ipsos laudo, idq; merito, quorum se isti imitatores esse dicunt, etsi in eis aliquid desidero. Hos uerò minimè, qui nihil illorum nisi uitium sequuntur, cùm à bonis absint longißimè. Quod si aures tam inhumanas, tamq; agrestes habent, ne doctißimorum quidem uirorum eos mouebit authoritas? Omitto Isocratem, discipulosq; eius Ephorum

&

& Naucratem, quanquam orationis faciendæ & ornandæ authores locupletißimi, summiq; ipsi oratores esse debeant. Sed quis omnium doctior? quis acutior? quis in rebus uel inueniendis, uel iudicandis acrior Aristotele fuit? quis porro Isocrati est aduersatus infensius? Is igitur uersum in oratione uetat esse, numerum iubet, eius auditor Theodectes in primis (ut Aristoteles sæpe significat) politus scriptor atq; artifex, hoc idem & sentit & præcipit. Theophrastus uerò iisdem de rebus etiam accuratius. Quis ergo istos ferat qui hos authores non probent, nisi omnino hæc esse ab his præcepta nesciunt? Quod si ita est, nec uerò aliter existimo, quia ipsi suis, sensibus non mouentur, nihil ne eis inane uidetur? nihil inconditum? nihil curtum? nihil claudicans? nihil redundans? In uersu quidem theatra tota exclamant, si fit una syllaba aut breuior, aut longior. Nec uerò multitudo pedes nouit nec ullos numeros tenet, nec illud quod offendit, aut cur, aut in quo offendat intelligit, & tamen omniũ longitudinum & breuitatum in sonis, sicut acutarum grauiumq; uocum iudicium ipsa natura in auribus nostris collocauit. Vis ne igitur Brute totum hunc locum accuratiùs etiam explicemus, quàm illi ipsi qui & hæc & alia nobis tradiderunt? An his contenti esse, quæ ab illis dicta sunt, possumus? Sed quid quæro uelis 'ne cum literis tuis eruditißimè scriptis

te

te id uel maximè uelle perſpexerim? Primum ergo origo, deinde cauſa, pòſt natura, tum ad extremum uſus ipſe explicetur orationis aptæ atq; numeroſæ. Nam qui Iſocratem maximè mirantur, hoc in eius ſummis laudibus ferunt, quod uerbis ſolutis numeros primos adiūxerit. Cùm enim uideret Oratores cum ſeueritate audiri: poëtas autē cum uoluptate, tum dicitur numeros ſecutus, quibus etiam in oratione uteremur cùm iucunditatis cauſa, tum ut uarietas occurreret ſatietati. Quod ab his uerè quadam ex parte, non totum dicitur. Nam neminem in eo genere ſcientius uerſatum Iſocrate confitendum eſt. Sed princeps inueniendi fuit Traſimachus, cuius omnia nimis etiam extant ſcripta numeroſè. Nā (ut paulò antè dixi) paria paribus adiuncta & ſimiliter definita. Itemq; contrarijs relata cōtraria, quæ ſua ſponte, etiamſi id non agas, cadunt plerunque numeroſè, Gorgias primus inuenit, ſed his eſt uſus intemperātius. Id autem eſt genus (ut antè dictum eſt) ex tribus partibus collocationis alterum: horum uterq; Iſocratem ætate præcurrit, ut eos ille moderatione non inuentione uicerit. Eſt enim ut in transferendis faciendisq; uerbis tranquillior. ſic in ipſis numeris ſedatior. Gorgias autem auidior eſt eius generis, & his feſtiuitatibus, ſic enim ipſe cenſet, inſolentius abutitur, quas Iſocrates, cū tamen audiuiſſet in Theſſalia adoleſcens ſenem iam Gorgiam,

De authoribus numerorum

Cōparia, vt vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia.

Secunda ſpecies cōpoſitionis in qua dictiones cōſiderātur, de quibus ſuprà diximus.

giam, moderatiùs etiam temperauit. Quinetiam se ipse tantum quantum ætate procedebat, (propè enim centum confecit annos) relaxarat à nimia necessitate numerorum, quod declarat in eo libro quē ad Philippum Macedonem scripsit, cùm iam admodum esset senex. In quo dicit sese minùs iam seruire numeris, quàm solitus esset: ita non modò superiores, sed etiam se ipse correxerat. Quoniam igitur habemus aptæ orationis eos principes, authoresq; quos diximus, & origo inuenta est: causa quæratur, quæ sic aperta est, ut mirer ueteres non esse commotos, præsertim cum, ut fit, fortuitò sæpe aliquid concluse apteq; dicerent. Quod cū animos hominum, auresq; pepulisset, ut intelligi posset id quod casus effudisset, cecidisse iucundè, notandum certè genus, atq; ipsi sibi imitandi fuerunt. Aures enim uel animus aurium nuncio naturalem quandam in se continet uocum omnium mensionem. Itaque & longiora & breuiora iudicat, & perfecta ac moderata semper expectat, mutila sentit quædam, & quasi decurtata, quibus tanquam debito fraudetur, offenditur. Productiora alia, & quasi immoderatiùs excurrentia, quæ magis etiam aspernantur aures: quod cùm in plerisq;, tum in hoc genere nimium quod est, offendit uehementiùs, quàm id quod uidetur parum. Vt igitur poëtica, & uersus inuentus est terminatione aurium, obseruatio-

De causa.

ne prudentiũ, sic in oratione animaduersum est multò illud quidem serius, sed eadem natura admonẽte, esse quosdam certos cursus, conclusionesq; uerborũ. Quoniam igitur causam quoq; ostendimus, naturã nunc (id enim erat tertium) si placet, explicemus: quæ disputatio non huius instituti sermonis est, sed artis intimæ. Quæri enim potest qui sit orationis numerus, & ubi sit positus, & natus ex quo, & is unus'ne sit an duo, an plures: quáq; ratione componatur, & ad quã rem, & quando, & quo loco, & quẽadmodum adhibitus aliquid uoluptatis adferat. Sed ut in plerisq; reb. sic in hac duplex est cõsiderandi uia, quarũ altera est longior, breuior altera, & eadẽ etiã planior. Est aũt lõgioris prima illa quæstio, sit'ne omnino ulla numerosa oratio? Quibusdam enim nõ uidetur, qa nihil insit in ea certi ut in uersib. & quod illi qui adfirmant etiã esse eos numeros, rationẽ cur sint, non queant reddere. Deinde si sit numerus in oratione, qualis sit, aut quales, ex poëticis ne numeris, an ex alio genere quodã et si è poëticis quis eorum sit, aut qui? Nanq; alijs unus modo, alijs plures, alijs omnes ijdem uidentur. Deinde quicũq; sunt, siue unus, siue plures, cõmunésne sint omnis generis orationis? quoniã aliud genus est narrandi, aliud persuadendi, aliud docẽdi: an dispares numeri cuiq; orationis generi accommodẽtur: si cõmunes, qui sint: si dispares, quid intersit, & cur nõ æque in

Natura numerorum.

oratione atq; in uersu numerus appareat? Deinde quod dicitur in oratione numerosum, id utrum numero solùm efficiatur, an etiam uel compositione quadam, uel genere uerborum? an est suum cuiusq;, ut numerus interuallis, compositio uocibus, genus ipsum uerborum quasi quædam forma, & lumen orationis appareat, sitq; omnium fons compositio, ex eaq; & numerus efficiatur, & ea quæ dicuntur orationis quasi formæ & lumina, quæ (ut dixi) Græci uocant schemata. At nō est unum, nec idem quod uoce iucundum est, & quod moderatione absolutum, & quod illuminatum genere uerborum: quanquam id quidem finitimum est numero, quia per se plerunq; perfectum est. Compositio autem ab utroque differt, quæ tota seruit grauitati uocum, aut suauitati. Hæc igitur ferè sunt, in quibus rei natura quærenda sit. Esse igitur in oratione numerū quendam, non est difficile cognoscere. Indicat enim sensus, in quo iniquum est quod accidit non agnoscere, si cur id accidat reperire nequeamus. Neq; enim ipse uersus ratione est cognitus, sed natura atq; sensu, quem dimēsa ratio docuit quid acciderit: ita notatio naturæ & animaduersio peperit artem. Sed in uersibus res est apertior, quanq̄ etiam in modis quibusdā cantu remoto soluta esse uideatur oratio, maximeq; id in optimo quoq; eorum poëtarum, qui lyrici à græcis nominātur, quos cum cantu spoliaueris,

An sit in oratione numerus, quem probat esse etiam si nō animaduertatur. Natura enim illum sua sponte parit.

Id est, obseruatio.

ris,nuda pene remanet oratio. Quorũ ſimilia ſunt quædam etiam apud noſtros, uelut ille in Thyeſte: Quémnam te eſſe dicam? qui tarda in ſenectute.et quæ ſequuntur: quæ niſi cùm tibicen acceßit,oratio=ni ſint ſolutæ ſimillima. At comicorum ſenarij pro=pter ſimilitudinem ſermonis ſic ſæpe ſunt abiecti, ut nonnunq̃ uix in his numerus & uerſus intelligi poßit,quo eſt ad inueniẽdum difficilior in oratio=ne numerus quã in uerſibus. Omnino duo ſunt quæ condiant orationem,uerborum numerorũq; iucun=ditas. In uerbis ineſt quaſi materia quædam: in nu=mero autem expolitio. Sed ut cæteris in rebus ne=ceßitatis inuenta antiquiora ſunt,quàm uoluptatis: ita & in hac re accidit, ut multis ſeculis antè ora=tio nuda ac rudis ad ſolos animorũ ſenſus exprimen=dos fuerit reperta,quàm ratio numerorum cauſa de=lectationis aurium excogitata.Itaq; et Herodotus, & eadem ſuperiorq; ætas numero caruit,niſi quan=do temerè ac fortuitò: & ſcriptores perueteres de numero nihil omnino, de oratione præcepta multa nobis reliquerunt. Nam q, & facilius eſt,& magis neceſſariũ, id ſemper antè cognoſcitur.Itaq; tranſ=lata,aut facta, aut iuncta uerba facilè ſunt cognita, quia ſumebantur è conſuetudine quotidianoq; ſer=mone. Numerus autem non modò depromebatur, neq; habebat aliquam neceßitudinem,aut cognati=onẽ cum oratione.Itaq; ſerius aliquanto notatus &

Prius erãt exempla, poſtea illorum obſeruatio peperit artem.

cognitus, quasi quandam palæstram & extrema lineamenta orationi attulit. Quod si & angusta quædam atq; concisa, & alia est collata & diffusa oratio, necesse est id non literarum accidere natura, sed interuallorum longorum & breuium varietate. Quibus implicata atq; permixta oratio, quoniam tum stabilis est, tum uolubilis, necesse eiusmodi naturam numeris contineri. Nam circuitus ille quem sæpe iam diximus, incitatior numero ipso fertur & labitur, quóad perueniat ad finẽ & insistat.

Accidit nõ propter dictiões, sed propter naturas vocum.

Perspicuum est igitur numeris astrictam orationẽ esse debere, carere uersibus. Sed hi numeri poëtici' ne sint, an ex alio genere quodam, deinceps est uidendum. Nullus est igitur numerus extra poëticos, propterea q definita sunt genera numerorum: nam omnis talis est, ut unus sit è tribus. Pes enim qui adhibetur ad numeros, partitur in tria, ut necesse sit partem pedis aut æqualẽ esse alteri parti, aut altero tanto, aut sesqui esse maiorẽ. Ita fit æqualis dactylus, duplex iambus, sesquiplex pæan: qui pedes in orationem non cadere quî possunt? quibus ordine locatis, quod efficitur, numerosum sit necesse est. Sed quæritur, quo numero, aut quibus potißimũ sit utendum. Incidere uerò omnis in orationẽ, etiam ex hoc intelligi potest, q uersus sæpe in oratione per imprudentiã dicimus, quod uehementer est uitiosum, sed non attendimus, neq; exaudimus nosmetipsos.

Quales sint numeri, an poëtic. respõdet aũt iisdem vtendum esse pedibus, quibus in poëmatis vtimur. Neq; enim natura aliam mensuram vocum in sermone habet, nisi pedes.

Quibus pedibus vtendum.

Sena-

Senarios uerò & hyponacteos effugere uix possumus. Magnam enim partē ex iambis nostra constat oratio, sed tamē eos uersus facilè agnoscit auditor, sunt enim usitatißimi. Inculcamus autem per imprudentiā sæpe etiam minùs usitatos, sed tamē uersus, uitiosum genus, & longa animi prouisione fugiendum. Elegit ex multis Isocratis libris triginta fortasse uersus Hieronymus Peripateticus in primis nobilis, plerosq; senarios, sed etiam anapesticos, quo quid potest esse turpius? etsi in eligendo fecit malitiosè. Prima enim syllaba dēpta, ex primo uerbo sententiæ, postremū ad uerbum primam rursus syllabam adiunxit insequentis. Ita factus est Anapesticus is qui Aristophaneus nominatur, quod ne accidat, obseruari nec potest, nec necesse est. Sed tamen hic corrector in eo ipso loco quo reprehendit, ut à me animaduersum est studiosè inquirenti in eum, immittit imprudens ipse Senarium. Sit igitur hoc cognitum, in solutis etiā uerbis inesse numeros, eosdemq; esse oratorios, qui sunt poëtici. Sequitur ergo ut qui maximè cadant in orationē aptam numeri, uidendū sit, sunt enim qui iambicum putent, quod sit orationi simillimus, qua de causa fieri, ut is potissimū propter similitudinē ueritatis adhibeatur in fabulis, quòd illis dactylicus numerus hexametrorū magniloquentiæ sit accommodatior. Ephorus aūt leuis ipse orator, sed profectus ex optima disciplina,

Pro Marcello est integer Senarius. Fortuna in istius se societate gloriæ, &c

Sic pro Marcello: Incendiū salute patriæ restinxeris.

pæana ſequitur, aut dactylum: fugit aũt ſpondæum et trochæũ. Quod enim pæã habeat tres breues, dactylus aũt duas, breuitate & celeritate ſyllabarum labi putat uerba procliuius, cõtraq; accidere in ſpõdæo et trochæo, quod alter è longis cõſtaret, alter è breuibus fieret: alteram nimis incitatam, alteram nimis tardam orationẽ, neutram temperatã. Sed et illi priores errant, & Ephorus in culpa eſt. Nã & qui pæana prætereunt, nõ uident molliſſimũ à ſeſe numerum eundemq; ampliſſimum præteriri. Quod longè Ariſtoteli uidetur ſecùs, qui iudicat heroum numerũ grandiorẽ quã deſideret ſoluta oratio: iambum aũt nimis è uulgari eſſe ſermone. Ita neq; humilem nec abiectã orationẽ, nec nimis latam & exaggeratã probat: plenã tamen eam uult eſſe grauitatis, ut eos q audient ad maiorem admirationẽ poſſit traducere. Trochæum aũt qui eſt eodem ſpacio quo choreus, cordacem appellat, quia cõtractio & breuitas dignitatẽ non habeat. Ita pæana probat, eoq; ait uti omnes, ſed ipſos non ſentire cùm utantur. Eſſe autẽ tertium ac medium inter illos, ſed ita factos eos pedes eſſe, ut in eis ſingulis modis inſit, aut ſeſquiplex, aut duplex, aut par. Itaq; illi de quib. antè dixi, tantũmodo commoditatis habuerunt rationẽ, nullam dignitatis. Iambus enim & dactylus in uerſum cadunt maximè. Itaq; ut uerſum fugimus in oratione, ſic hi ſunt euitandi continuati pedes. Aliud

enim

enim quiddam est oratio, nec quicquam inimicius, quàm illa uersibus. Pæan autem minimè est aptus ad uersum, quo libentius eum recipit oratio. Ephorus uerò ne spondæum quidem quem fugit, intelligit esse æqualem dactylo, quem probat. Syllabis enim metiendos pedes, non interuallis existimat: quod idem facit in trochæo, qui temporibus et interuallis est par iambo: sed eò uitiosius in oratione, si ponatur extremus, quod uerba melius in syllabas longiores cadunt. Atque hæc quæ sunt apud Aristotelem, eadem à Theophrasto Theodecteq; de pæane dicuntur. Ego autem sentio omnes in oratione quasi esse permixtos & confusos pedes. Nec enim effugere possemus animaduersionē, si semper iisdem uteremur, quia nec numerosa esse, ut poëma, neq; extra numerum, ut sermo uulgi est, debet oratio. Alterum nimis est uinctum, ut de industria factum appareat. Alterum nimis dissolutum, ut peruagatum ac uulgare uideatur, ut ab altero non delectere, alterum oderis. Sit igitur (ut suprà dixi) permixta & temperata numeris, nec dissoluta, nec tota numerosa pæane maximè, quoniam optimus author ita censet, sed reliquis etiam numeris, quos ille præterit, temperata. Quos autem numeros cum quibus tanquam purpuram misceri oporteat, nunc dicendum est, atque etiam quibus orationis generibus sint quique accommo-

De miscendis numeris.

Iambus.

datißimi. Iambus enim frequentißimus est in ijs, quæ demisso atque humili sermone dicuntur. Pæan autem in amplioribus: in utroque dactylus: ita in uaria & perpetua oratione hi sunt inter se miscendi, & temperandi, sic minimè animaduerteretur delectationis aucupium, & quadrandæ orationis industria. Quæ latebit eò magis, si & uerborum & sententiarum ponderibus utemur. Nam qui audiunt, hæc duo animaduertunt, & iucunda sibi censent, uerba dico & sententias, eaq; dum animis attentis admirantes excipiunt, fugit eos & præteruolat numerus, qui tamẽ si abesset, illa ipsa delectarent. Nec uerò nimius is cursus est numerorum, orationis dico: Nam est longè aliter in uersibus, nihil ut fiat extra modum, nam id quidem esset poëma. sed omnis nec claudicans, nec quasi fluctuans, & æqualiter constanterq; ingrediens numerosa habetur oratio. Atq; id in dicendo numerosum putatur, non quod totum constat è numeris, sed quod ad numeros proximè accedit, quo etiam difficilius est oratione uti quàm uersibus, quod in illis certa quædam & definita lex est, quam sequi sit necesse: In dicendo autem nihil est propositum: nisi aut ne immoderata, aut angusta, aut dissoluta, aut fluens sit oratio. Itaq; non sunt in ea tanquam tibicini percussionum modi, sed uniuersa comprehensio, & species orationis clausa, & terminata est, quod uolu-

Id est, nõ debetis quærere certos pedes, sed tãtum obseruare certas periodos, ne prior pars periodi sit longior quã posterior.

ptate

ptate aurium iudicatur. Solet autem quæri, toto'ne in ambitu uerborum numeri tenendi sint, an in primis partibus atq; in extremis? Pleriq; enim censent cadere tantum numerosè oportere terminariq; sententiam. Est autem ut id maximè deceat non id solùm. Ponendus est enim ille ambitus, non abijciendus. Quare cùm aures extremum semper expectent, in eoq; acquiescant, id uacare numero non oportet, sed ad hunc exitum tamen à principio ferri debet uerborum illa comprehensio, & tota à capite ita fluere, ut ad extremũ ueniens ipsa consistat. Id autem bona disciplina exercitatis, qui & multa scripserunt, & quæcunq; etiam sine scripto dicerent similia scriptorum effecerint, non erit difficillimum. Antè enim circunscribitur mente sententia, confestimq; uerba concurrunt, quæ mens eadem, qua nihil est celerius, statim dimittit, ut suo quodq; loco respondeat: quorum descriptus ordo aliàs alia terminatione concluditur, atq; omnia illa, & prima, & media uerba spectare debẽt ad ultimum. Interdum enim cursus est in oratione incitatior, interdum moderata ingreßio, ut iam à principio uidendum sit, quemadmodum uelis uenire ad extremum, nec in numeris magis, quàm in reliquis ornamentis orationis, eadem cùm faciamus quæ poëtæ, effugimus tamen in oratione poëmatis similitudinem. Est enim in utroq; & materia & tracta-

tio.

Quæstio vtrum in fine sit tãtùm vtendum numeris, an etiam in reliquis partibus.

tio: materia in uerbis, tractatio in collocatione uerborum. Tertiæ autem sunt utriusq; partes uerborum, translatum, nouum, priscum: nam de proprijs nihil hoc loco dicimus. Collocationis autem eæ, quas diximus, compositio, concinnitas, numerus: sed in utroque frequentiores sunt & liberiores poëtæ. Nam & transferunt uerba, cùm crebrius, tum etiam audacius, & priscis libentius utuntur, & liberius utũtur nouis, quod idem fit in numeris, in quibus quasi necessitati parere coguntur. Sed tamen hæc nec nimis esse diuersa, neque ullo modo coniuncta intelligi licet. Ita fit ut non item in oratione ut in uersu, numerus extet: id'que quod numerosum in oratione dicitur, non semper numero fiat, sed nonnunquam aut concinnitate aut constructione uerborum. Ita si numerus orationis quæritur, qui sit, omnis est, sed alius alio melior atq; aptior. Si locus, in omni parte uerborum: si unde ortus sit, ex aurium uoluptate: si componendorum ratio, dicetur alio loco, quia pertinet ad usum, quæ pars quarta & extrema nobis in diuidendo fuit: si ad quam rem adhibeatur, ad delectationem: si quando, semper: si quo loco, in tota continuatione uerborum: si quæ res efficiat uoluptatem, eadem quæ in uersibus, quorum modum notat ars, sed aures ipsæ tacito eum sensu sine arte definiunt. Satis multa de natura, sequitur usus, de quo est accuratiùs

In omni periodo efficitur aliquis numerus, sed alius est alio melior

tiùs disputandum. In quo quæsitum est, in toto'ne circuitu illo orationis, quem Græci περίοδον appellant, nos tum ambitum, tum circuitum, tum comprehensionem aut continuationem, aut circunscriptionem dicimus: an in principijs solùm, an in extremis, an in utraque parte numerus tenendus sit. Deinde cùm aliud uideatur esse numerus, aliud numerosum, quid intersit: tum autem in omnibus'ne numeris æqualiter particulas deceat incidere, an facere alias breuiores, alias longiores, idq́; quando, aut cur, quibusq́; partibus, pluribus'ne, an singulis, imparibus an æqualibus: & quando aut istis, aut illis sit utendum, quæq́; inter se aptissimè collocentur, & quo modo, an omnino nulla sit in eo genere distinctio: quodq́; ad rem maximè pertinet, qua ratione numerosa fiat oratio. Explicandum etiam est, unde orta sit forma uerborum, dicendum'que, quantos circuitus facere debeat, deq́; eorum particulis, & tanquam incisionibus disserendum est, quærendumq́;, utrum una species & longitudo sit earum, an ne plures: & si plures quo loco aut quando, quoq́; genere uti oporteat. Postremò totius generis utilitas explicanda est, quæ quidem patet latius: non ad unam enim rem aliquam, sed ad plures accommodatur. Ac licet non ad singulas res respondentem de uniuerso genere sic dicere, ut etiam singulis satis respõsum esse uideatur.

Quomodo sint adhibẽdi numeri, & quomodo sit facienda periodus: & hęc est præcipua pars totius huius libri.

Id eſt, in oratione forenſi non vbiq; opus eſt periodis: nã natura nõ patitur, vt vbiq; cogatur in periodos, p̃ſertim vbi diſputationes incidunt: ſed ſatis eſt oratione diſtinctam eſſe.

Remotis igitur reliquis generibus, unũ ſelegimus, hoc quidem quod in cauſis foroq; uerſatur, de quo diſſeremus. Ergo in alijs, id eſt, in hiſtoria, & in eo quod appellamus ἐπιδεικτικὸν, placet omnia dici Iſocrateo Theopompeoq; more, illa circunſcriptione ambituq;, ut tanquam in orbe incluſa currat oratio, quóad inſiſtat in ſingulis perfectis, abſolutisq; ſententijs. Itaq; poſteaquam eſt nata hæc uel circunſcriptio, uel comprehenſio, uel continuatio, uel ambitus, ſi ita licet dicere, nemo qui aliquo eſſet in numero, ſcripſit orationem generis eius, quod eſſet ad delectationem comparatum, remotumq; à iudicijs, forenſiq; certamine, quin redigeret omnes ferè in quadrum numerumq; ſententias. Nã cùm is eſt auditor qui non uereatur, ne compoſitæ orationis inſidijs ſua fides attentetur, gratiam quoq; habet Oratori, uoluptati aurium ſeruienti. Genus autem hoc orationis, neque totum aſſumendum eſt ad cauſas forenſes, neque omnino repudiandum. Si enim ſemper utare, cùm ſatietatem adfert, tum quale ſit, etiam ab imperitis agnoſcitur. Detrahit præterea actionis dolorem, aufert humanum ſenſum actoris, tollit funditùs ueritatem & fidem. Sed quoniam adhibenda nonnunquam eſt, primùm uidendum eſt quo loco, deinde quàm diu retinenda ſit, tum quot modis commutanda. Adhibenda eſt igitur numeroſa oratio, ſi aut laudandum

Secunda pars prioris præcepti.

Vt in narrationib. amplificationibus, proœmijs & epilogis.

dum

dum est aliquid ornatius, ut nos in accusationis secundo de Siciliæ laude diximus: aut in senatu de consulatu meo, aut exponenda narratio, quæ plus dignitatis desiderat, quàm doloris, ut in quarto accusationis de Ennensi Cerere, de Segestana Diana, de Syracusarum situ diximus. Sæpe etiam in amplificanda re concessu omnium funditur numerose & uolubiliter oratio. Id nos fortasse non perfecimus, conati quidem sæpißimè sumus, quod pluribus locis perorationes nostræ uoluisse nos atque animo contendisse declarant. Id autem tum ualet, cùm is qui audit, ab Oratore iam obsessus est, ac tenetur. Non enim id agit, ut insidietur & obseruet, sed iam fauet, processum'que uult dicendi'que uim admirans, non inquirit quod reprehendat. Hæc autem forma retinenda non diu est, nec dico in peroratione, quam ipse includit, sed in orationis reliquis partibus. Nam cùm sis his locis usus, quibus ostendi licere, transferenda tota dictio est ad illa, quæ nescio cur cùm Græci κόμματα & κῶλα nominent, nos non rectè incisa & membra dicamus? Neque enim esse possunt rebus ignotis nota nomina, sed cùm uerba aut suauitatis, aut inopiæ causa transferre soleamus, in omnibus hoc fit artibus, ut quum id appellandum sit, quod propter rerum ignorationem ipsarum nullum habuerit antè nomen, neceßitas cogat

Oratio 7. in Verrē, cuius initium est, Multa mihi necessario, &c.

Sicut est locus in oratione pro Milone de Deo

Oratio debet esse mixta, ita vt plurimis quidē periodis constet, sed tamen inferantur interdum inter periodos cola.

gat aut nouum facere uerbum, aut à simili mutuari. Quo autem pacto deceat incise membratim ue dici, iam uidebimus. Nunc quot modis mutentur comprehensiones, conclusionesq́; dicendum est. Fluit omnino numerus à primo, tum incitatiùs, breuitate pedum, tum proceritate tardius: Cursum contentiones magis requirunt, expositiones rerum tarditatem. Insistit autem ambitus modis pluribus, è quibus unum est secuta Asia maximè, qui dichoreus uocatur, cùm duo extremi chorei sunt, id est, è singulis longis & breuibus. Explanandum est enim, quod ab alijs ijdem pedes alijs nominantur uocabulis. Dichoreus non est ille quidem sua sponte uitiosus in clausulis, sed in orationis numero. Nihil est tam uitiosum, quàm si semper est idem. Cadit autem per se ille ipse præclarè, quo etiam satietas formidanda est magis: me stante C. Carbo, C. F. trib. pleb. in concione dixit his uerbis: O M. Druse patrem appello. Hæc quidem duo binis pedibus incisim: deim membratim. Tu dicere solebas sacram esse Rempublicam hæc item membra ternis post ambitus, quicunq; eam uiolauissent, ab omnibus esse ei pœnas persolutas. Dichoreus, nihil enim ad rem, extrema illa longa sit an breuis, deinde patris dictum sapiens, temeritas filij comprobauit. Hoc dichoreo tantus clamor cōcionis excitatus est, ut admirabile esset. Quæro, non'ne id

De numeris periodorū, qui desinant in longos pedes & tardiores & incipiãt à velocioribus pedibus.

numerus effecerit? uerborum ordinem immuta, fac
sic, Comprobauit filij temeritas. iam nihil erit, etsi
temeritas ex tribus breuibus & longa est, quem
Aristoteles ut optimum probat, à quo dissentio.
At eadem uerba, eadem sententia animo isthuc sa=
tis est, auribus non satis est, sed id crebrius fieri nõ
oportet. Primùm enim numerus agnoscitur, de=
inde satiat, postea cognita facilitate contemnitur.
Sed sunt clausulæ plures, quæ numerosè & iucun= Creticus
dè cadant. Nam & Creticus, qui est è longa, &
breui, & longa: et eius æqualis pæan, qui spatio par
est, syllaba longior, quàm commodissimè putatur
in solutam orationem illigari, cùm sit duplex: nam
aut è longa & tribus breuibus, qui numerus in pri=
mo uiget, iacet in extremo: aut totidem breuibus
& longa, in quem optimè cadere censent ueteres,
ego non planè reijcio, sed alios antepono. Ne spon Spõdæus.
dæus quidẽ funditus est repudiandus: etsi quod est è
lõgis duab. hebetior uidetur et tardior, habet tamẽ
stabilem quendam, & non expertẽ dignitatis gra=
dũ. In incisionibus uerò multò magis & in mẽbris.
Paucitatem enim pedum grauitatis suæ tarditate
cõpensat: sed hos cũ in clausulis pedes nomino, non
loquor de uno pede extremo, adiungo quod mini=
mũ sit, proximũ superiorem, sæpe etiam tertiũ, ne
iambus quidẽ qui est è breui & longa, aut par tro=
chæus, qui habet tres breues, sed spacio par, non syl=

Dactylus. bis: aut etiam dactylus, qui est è longa & duabus breuibus, si est proximus à postremo, parum uolubiliter peruenit ad extremum, si est extremus choreus aut spondæus. Nunquam enim interest, uter sit eorum in pede extremo, sed ijdem hi tres pedes malè concludunt, si quis eorum in extremo locatus est, nisi cùm pro Cretico postremus est dactylus. Nihil enim interest, dactylus sit extremus, an Creticus: quia postrema syllaba breuis, an longa sit, ne in uersu quidem refert. Quare etiam pæana qui dixit aptiorem, in quo esset longa postrema, uidit parum: quoniam nihil ad rem est, postrema quàm longa sit. Iam pæan, quòd plures habeat syllabas quàm tres, numerus à quibusdam, non pes habetur. Est quidem, ut inter omnes constat antiquos, Aristotelem, Theophrastum, Theodecten, Ephorum, unus aptißimus orationi uel orienti uel mediæ: putant illi etiam cadendi, quo loco mihi uidetur aptior Creticus. Dochimus autem è quinque syllabis, breui, duabus longis, breui, longa: ut, est hoc, Amicos tenes: quouis loco aptus est, dum semel ponatur: iteratus aut continuatus numerum apertum & nimis insignem facit. His igitur tot commutationibus, tamq; uarijs si utemur, nec deprehendetur manifestò, quid à nobis de industria fiat, & occurretur satietati. Et quia non numero tantum numerosa oratio, sed & composi-

Pæan.

Dochimus.

Oratio fit numerosa per antitheta, & similes figuras.

tione

tione fit, & genere, quod antè dictum est, concinnitatis compositione potest intelligi, cùm ita structa uerba sunt, ut numerus non quæsitus, sed ipse secutus esse uideatur, ut apud Crassum: Nam ubi libido dominatur, innocentiæ leue præsidium est. Ordo enim uerborum efficit numerum, sine ulla aperta oratoris industria. Itaque si quæ ueteres illi Herodotum dico, & Thucydidem, totamq; eam ætatem, aptè numeroseq; dixerunt, ea non numero quæsito, sed uerborum collocatione ceciderunt. Formæ uerò quædam sunt orationis, in quibus ea concinnitas inest, ut sequatur numerus necessariò. Nam cùm aut par pari refertur, aut contrarium contrario opponitur, aut quæ similiter cadunt uerba uerbis cõparantur, quicquid ita concluditur, plerunq; fit ut numerose cadat: quo de genere cum exemplis suprà diximus, ut hæc quoque copia facultatem adferat, non semper eodem modo desinendi: nec tamẽ hæc ita sunt arcta & astricta, ut ea quum uelimus laxare, nequeamus. Multum interest, utrum numerosa sit, id est, similis numerorũ, an planè è numeris constet oratio: alterum si fit, intollerabile uitium est, alterum nisi fit, dißipata & inculta, & fluens est oratio. Sed quoniam non modò non frequenter, uerùm etiam rarò in ueris causis aut forensibus circunscriptè numroseq; dicẽdũ est: sequi uidetur, ut uideamus quæ sint illa quæ

Oratio nõ debet tota constare periodis, sed interdum utendũ est singulis colis.

Quomodo fiat periodus.

ſuprà dixi inciſa, quæ membra. Hæc enim in ueris cauſis maximam partem orationis obtinent. Conſtat enim ille ambitus & plena comprehenſio ferè ex quatuor partibus, quæ membra dicimus, ut & aures impleat, & ne breuior ſit quàm ſatis ſit, neque longior. quanquam utrunque nonnunquam, potius ſæpe accidit, ut potius inſiſtendum ſit, aut longius procedendum, ne breuitas defraudaſſe aures uideatur, néue longitudo obtuliſſe. Sed habeo mediocritatis rationem. Nec enim loquor de uerſu, & eſt liberior aliquanto oratio. E quatuor igitur quaſi hexametrorum inſtar uerſuum, quod ſit, conſtat ferè plena comprehenſio. His igitur ſingulis uerſibus, quaſi nodi apparent continuationis, quos in ambitu coniungimus. Sin membratim uolumus dicere, inſiſtimus, idq; cum opus eſt, ab iſto curſu inuidioſo facilè nos & ſæpe diſiungimus. Sed nihil tam debet eſſe numeroſum quàm hoc quod minimè apparet, & ualet plurimum. Ex hoc genere illud eſt Craßi, Miſſos faciant patronos, ipſi prodeant. niſi interuallo dixiſſet, ipſi prodeant, ſenſiſſet profectò effugiſſe ſenarium: omnino melius caderet, prodeant ipſi. ſed de genere nunc diſputo. Cur clandeſtinis conſilijs nos oppugnant? cur de perfugis noſtris copias comparant cõtra nos? Prima ſunt illa duo, quæ κόμματα Græci uocant, nos inci-

Nõ oportet eſſe mẽſuram certam vt in carmine.

Numeros in minutis particulis nos nõ poſſumus animaduertere, uel deprehendere. Iãbicus numerus eſt molliſſimus,

incisa dicimus: deinde tertium κῶλον illi, nos membrum. Sequitur non longa: Ex duobus enim uersibus, id est membris, perfecta comprehensio est, & in spondæos cadit. Et Craßus quidem sic plerunque dicebat, idq; ipse genus dicendi maximè probo. Sed quæ incisim aut membratim efferuntur, ea uel aptißimè cadere debent, ut est apud me: domus tibi deerat, at habebas: pecunia superabat, at egebas, hæc incisa dicta sunt quatuor. At membratim quæ sequuntur duo: Incurristi amens in columnas, in alienos insanus insanisti. Deinde omnia tanquam crepidine quadam, comprehensione longiore sustinentur, depressam, cæcam, iacentem domum pluris quam te, & quàm fortunas tuas æstimasti. dichoreo finitur. At dispondæo proximum illud: nam in ijs, quibus ut pugiunculis uti oportet, breuitas facit ipsa liberiores pedes. Sæpe enim singulis utendum est, plerunq; binis, & utrisq; addi pedis pars potest, non ferè ternis amplius. Incisim autem & membratim tractata oratio in ueris causis plurimum ualet, maximeq; his locis, cum aut arguas, aut refellas, ut nostra in Corneliana secunda: O callidos homines, ô rem excogitatam, ô ingenia metuenda. Membratim adhuc deinde cæsim diximus. Rursus membratim: testes dare uolumus, extrema sequitur comprehensio, sed ex duobus membris, quia nõ potest esse breuior, quẽ quasi nostrũ fefel-

quo Cicero maximè vtitur

Cicero transit à breuibus colis ad longam cõprehensionem.

ita uos esse facturos? Nec ullum genus est dicendi aut melius aut fortius, binis aut ternis ferire uerbis, nonnunquam singulis, paulò aliàs pluribus, inter quas uarijs clausulis interponit se raró numerosa comprehensio, quam peruersè fugiens Hegesias, dum ille quoque imitari Lysiam uult, alterum penè Demosthenem saltat incidens particulas, & ijs quidem non minùs sententijs peccat quàm uerbis, ut non quærat quem appellet ineptum, qui illum cognouerit. Sed ego illa Craßi & nostra posui, ut qui uellet auribus ipsis, quid numerosum etiam in minimis particulis orationis esset iudicaret. Et quoniam plura de numerosa oratione diximus, quã quisquam ante nos: nunc de eius generis utilitate dicemus. Nihil enim est aliud Brute (quod quidem tu minimè omnium ignoras) pulchrè & oratoriè dicere, nisi optimis sententijs uerbisq; lectißimis dicere. Et nec sententia ulla est, quæ fructum oratori ferat, nisi aptè exposita atque absolutè: nec uerborum lumen apparet, nisi diligenter collocatorum: & horum utrunq; numerus illustrat. Numerus autem (sæpe enim hoc testandum est) non modo non poëticè iunctus, uerùm etiam fugiens illum, eiq; omnium dißimilimus, non quin ijdem sint numeri non modo oratorum & poëtarum, uerùm omnino loquentium, denique etiam sonantium omnium, quæ metiri auribus possumus: sed ordo pe-

Cõmendatio huius diligẽtiæ.

dum

dum facit, ut id quod pronunciatur, aut orationis, aut poëmatis simile uideatur. Hanc igitur siue compositionem, siue perfectionem, siue numerum uocari placet, & adhibere necesse est, si ornatè uelis dicere, non solùm quod ait Aristoteles & Theophrastus, ne infinitè feratur ut flumen oratio, quæ non aut spiritu pronunciantis, aut interductu librarij, sed numero coacta debet insistere, uerùm etiam, quòd multo maiorem habent apta uim, quàm soluta. Vt enim Athletas, nec multò secus gladiatores uidemus, nihil nec uitando facere cautè, nec petendo uehementer, in quo non motus hic habeat palæstram quandam, ut quicquid in his rebus fiat utiliter ad pugnam idem ad aspectũ etiam sit uenustum: Sic oratio nec plagam grauem facit, nisi petitio fuerit apta: nec satis rectè declinat impetum, nisi etiam incedendo quid deceat intelligit. itaq; qualis eorum motus, quos ἀπαλαίστους Græci uocãt, talis horum mihi uidetur oratio, qui non claudunt numeris sententias, tantumq; abest, ne, quod hi qui hoc aut magistrorum inopia, aut ingenij tarditate, aut laboris fuga non sunt adsecuti, solent dicere, eneruetur oratio cõpositione uerborum, ut aliter in ea, nec impetus ullus, nec uis esse poßit. Sed magnam exercitationem res flagitat, ne quid eorum, qui genus hoc secuti non tenuerũt, simile faciamus, ne aut uerba traijciamus aper-

Celeritatē aptam.

tè, quo meliùs aut cadat, aut uoluatur oratio. Quod ſe L. Cælius Antipater in proœmio belli Punici, niſi neceſſariò facturum negat. O uirum ſimplicem, qui nos nihil celat: ſapientem, qui ſeruiendum neceßitati putet, ſed hic omnino rudis. Nobis autē in ſcribendo atq; in dicendo neceßitatis excuſatio non probatur. Nihil eſt enim neceſſe, & ſi quid eſſet, id neceſſe tamen non erat confiteri. Et hic quidem qui hanc à Lælio, ad quem ſcripſit, cui ſe purgat, ueniam petit, & utitur ea traiectione uerborum, & nihilo tamen aptius explet, concluditq; ſententias. Apud alios autem & Aſiaticos maximè, numero ſeruientes, inculcata reperies inania quædam uerba, quaſi complementa numerorum. Sunt etiam qui illo uitio, quod ab Hegeſia maximè fluxit, infringendis concidendisq; numeris in quoddam genus abiectum incidant Siculorum ſimillimum. Tertium eſt, in quo fuerunt fratres illi Aſiaticorum rhetorum principes, Hierocles & Menecles, minimè mea ſententia contemnendi. Etſi enim à forma ueritatis, & ab Atticorū regula abſunt, tamen hoc uitium compenſant uel facultate uel copia. Sed apud eos uarietas non erat, quod omnia ferè concludebantur uno modo, quæ uitia qui fugerit, ut neque uerbum ita traijciat, ut id de induſtria factum intelligatur, neque infarciens uerba quaſi rimas expleat, nec minutos

Tria vitia recenſet.

nume-

numeros ſequens concidat, delumbetq; ſententias, nec ſine ulla commutatione in eodem ſemper uerſetur genere numerorum, is omnia ferè uitia uitauerit. Nam de laudibus multa diximus, quibus ſunt alia perſpicua uitia contraria. Quantum autem ſit aptè dicere, experiri licet, ſi aut compoſiti oratoris bene ſtructam collocationem diſſoluas permutatione uerborum. Corrumpatur enim tota res, ut & hæc noſtra in Corneliana, & deinceps omnia. Neq; me diuitiæ mouent, quibus omnes Aphricanos & Lælios multi uenalicij, mercatoresq; ſuperarunt. Immuta paulū ut ſit: Multi ſuperarunt mercatores uenaliciijq;, perierit tota res: & quæ ſequuntur. Neq; ueſtis, aut cælatum aurum & argentum, quo noſtros ueteres Marcellos, Maximosq; multi eunuchi è Syria Aegyptoq; uicerunt. Verba permuta ſic, ut ſit: uicerunt eunuchi è Syria Aegyptoq;. Adde tertium. Neque uerò ornamenta iſta uillarum, quibus L. Paulum, & L. Mumium, qui rebus his urbem, Italiamq; omnem referſerūt, ab aliquo uideo perfacilè Deliaco, aut Syro potuiſſe ſuperari. Fac ita: potuiſſe ſuperari ab aliquo Syro, aut Deliaco. Vides'ne ut ordine uerborum paulum commutato iiſdem uerbis ſtante ſententia ad nihilum omnia recidant? cum ſint ex aptis diſſoluta, aut ſi alicuius inconditi arripias diſsipatam aliquam ſententiam, eamq; ordine uerborum paululum commutato in

Quintilianus ita dicit, Melius ſubſidunt ſententiæ in verba q̃ nomina, hoc experientia & vſus docet.

Nam qui exiliter dicebāt prætexebant suę imbecillitati titulū Attici generis dicendi. Quorundam oratio probāda est hoc nomine. quod etsi non est cōposita, tamē habet alias magnas virtutes, scilicet abundat verbis bonis & sententiis grauibus.

quadrum redigas, efficiatur aptum illud q fuerat antea defluens ac solutum. Age sume de Gracchi apud Censores illud: abesse non potest, quin eiusdē hominis sit probos improbare, qui improbos probet. Quantò aptius si ita dixisset. Quin eiusdem hominis sit, qui improbos probet, probos improbare. Hoc modo dicere nemo unquam uoluit, nemoq; potuit quin dixerit. Qui autem aliter dixerunt, hoc adsequi non potuerunt, ita facti sunt repentè Attici, quasi uerò Trallianus fuerit Demosthenes, cuius nō tam uibrarent fulmina illa, nisi numeris contorta ferrentur. Sed si quos magis delectant soluta, sequantur ea. Sanè modò si quis Phidiæ clypeum dissoluerit, collocationis uniuersam speciem sustulerit, non singulorum operum uenustatem, ut Thucydide, orbem modò orationis desidero, ornamenta comparent. Isti aūt cum dissoluunt orationem, in qua nec res, nec uerbum ullum est nisi abiectum, non clypeum, sed ut in prouerbio est, etsi humilius dictū est, tamen consimile est, scopas (ut ita dicam) mihi uidentur dissoluere. Atq; ut planè genus hoc quod ego laudo, cōtempsisse uideantur, aut scribāt aliquid uel Isocrateo more, uel quo Aeschines aut Demosthenes ititur, tū illos existimabo nō desperatione reformidasse genus hoc, sed iudicio refugisse, aut reperiam ipsa eadem conditione qui uti uelit, ut aut dicat, aut scribat, utra uoles lingua eo genere quo illi uolunt.

lunt. Facilius est enim apta dissoluere, quā dissipata
connectere. Res aūt se sic habet, ut breuissimè dicā
ꝙ sentio: cōpositè et aptè sine sententijs dicere, in Sine pru-dentur co gitatis.
sania est: sententiosè aūt sine uerborum & ordine
& modo, infantia. Sed eiusmodi tamē infantia, ut ea
qui utantur, non stulti homines haberi possint etiā
plerūq; prudentes, quo qui est cōtentus, utatur. Elo
quens uerò qui nō approbationes solùm, sed admira
tiones, clamores, plausus si liceat, mouere debet om
nibus oportet ita rebus excellat, ut ei turpe sit quic
quam aut spectari, aut audiri libentius. Habes meū Cōclusio.
de oratore Brute iudicium, ꝙ aut sequere si proba-
ueris, aut tuo stabis, si aliud quoddā est tuum, in quo
neq; pugnabo tecū, neq; hoc mecū, de quo tantope-
re hoc libro adseueraui, nunquā adfirmabo esse ueri
ùs q̄ tuum. Potest enim nō solùm aliud mihi ac tibi
sed mihi ipsi aliud aliàs uideri. Nec in hac modo re,
quæ uulgi assensum spectat, et ad auriū uoluptatem,
quæ duo sunt ad iudicandum leuissima: Sed ne in ma
ximis quidē rebus quicquam adhuc inueni firmius ꝙ
tenerē, aut quò iudicium meum dirigerem, quā illud
quodcunq; mihi quàm simillimum ueri uideri uide-
retur, cum ipsum illud uerum in occulto lateret. Tu
aūt uelim, si tibi ea quæ disputata sunt minus proba
buntur, ut aut maius opus institutū putes, quàm ef-
fici potuerit: aut dū tibi roganti uoluerim obsequi,
uerecūdia negandi, scribendi me impudētiam sus-
cepisse.

FINIS.

EXPLICATIO LOCORVM QVORVNDAM DIFFICILIVM IN PERFECTUM Oratorem Ciceronis, Authore Philippo Melancthone.

HIC libellus tradit nouam quandam Rhetoricam. Cōtinet enim elocutionis prę cepta, & maximè in compositionis pręceptis versatur, quorum nos in loco de imitatione fecimus mentionē. Proinde continet hic libellus præcepta compositionis, quæ est elocutionis potißima pars. A principio quidem obiter inuentionis præcepta, & alia quædam puerilia præcepta aspersit. Cicero hunc libellum senex iam scripsit, cùm iam abstineret à Republ. & rursus C. Cæsaris gratia vteretur. Proinde in hoc libello voluit indicare Bruto, quæ ratio dicendi omnium maximè esset utilis in Repub. Nec quisquam tam demens sit, qui putet se hoc, quod hic traditur, adsecuturum. Non enim quilibet de populo hoc intelliget, imò nemo omnium qui uiuit, hanc rationem de compositione intelligit. Interim tamen multa sunt, quæ vsui nobis esse possunt, propter multarum rerū cognitionem, quas complexus est. Nam cum de optimo genere scriberet, eius generis exemplum exhibet in hoc scripto. Itaque conuenit hunc libellum vel in primis studiosis magnifieri atque exosculari.

Quæris igitur.) Propositio, quę sit perfecta oratio. Nam argumentum libri est de cōpositione,

quæ est extrema & summa pars elocutionis, tametsi obiter repetat etiam, vt diximus, præcepta inuentionis.

Nec uerò Aristotel.) Si Platonem copia & amplitudine orationis non vicit, tamen in methodo vicisse constat.

Qui aut Iyalisi.) De hoc pictore vide Plinium. Plutarchus in vita Demetrij scribit. Apellem admiratum esse opus Iyalisi pictum in Rhodo, & emisisse huiusmodi uocem, esse quidem præclarum & admirabile opus, sed tamen nesciuisse eum manum tollere de tabula Dicunt autem quidā Iyalisum nomen esse vrbis, & eius viri qui vrbem condidit: quidam verò monumentum pictum. Fuit autem hoc nomine vrbis in Rhodo insula. Apud Suidam lego Bacchum ab illo pictum, sed arbitror locum mendosum esse.

Atq; ego in summo orat.) Redit ad propositionem, & præfatur ex pręceptis definitionis rem nudam & per se considerandam esse, non qualis est in hoc aut illo. Hanc absolutam & perfectam rei definitionem Plato vocat Ideam. Et rectè iubet Ideas concipere, hoc est, vetat contentos esse vulgò collectis opinionibus, sed iubet perfectam & absolutam notitiam comparare, iuxta præcepta Dialectices. Hæc demum rectè iudicabit, rectè gubernabit actiones, vt perfecta Idea in animo architecti rectè gubernat ædificantem. Illæ vulgares opiniones facilè extorquentur hominibus, sicut videmus in vulgo accidere, quod alias ali probat, quia non habet perfectam notitiam honestarum rerum. At perfecta notitia certius iudicat. Quòd verò dicantur Ideæ esse perpetuę, intelligendum est, sicut Aristoteles inquit, demōstrationes & definitiones perpetuas esse, hoc est, semper sui similes, quia vera definitio & demonstratio semper est sui similis, ubicunq; aut quacunq; ætate cogitetur. Et ex hoc loco Ciceronis iudica-

ri potest. Ideas apud Platonem intelligendas esse non animas aut formas cęlo delapsas, sed perfectam notitiam, iuxta dialecticam. Vt cùm virtutem definimus & consideramus per se, nõ qualis est in Catone aut Socrate, quia in his non est integra. Ita hic Cicero præfatur se dicturum esse de ipsa eloquentia, non qualis fuit in plerisq; oratoribus, sed imaginem se propositurum esse dicit per se consideratè. Hanc imaginem seu definitionem vocat Ideam.

Informabo.) Id est, in animo instituam aut cõcipiam. Nam sic loquuntur Latini.

Et ait semper esse.) Id est, sui similes esse apud omnes sanos.

Ac video hanc primam.) Occupatio est, nam imperiti reprehensuri erant hanc philosophicã disputationem de Ideis, hoc est, de definitione rei per se conceptæ. Huic reprehensioni respondet bifariam, & quod primùm philosophia instruxerit oratorem, & quod sine philosophia existere oratores non posint.

Tum subobscuram.) Id est, non omnes philosophi tenent eam.

Res ipsa cognita.) Id est, hic libellus informabit, qualis esse debeat eloquentia, non qualis sit.

Ego autem & me sępe noua. Est duplex responsio ad occupationem.

Variorumq; sermonum.) Id est disputationum non de natura solùm, sed etiam de ratione dicendi & moribus.

In quibus Platonis.) Neminem perinde refert Cicero atq; Platonem, multum enim verborum atq; rerum ab illo sumpsit.

Exagitatus.) Acutior factus.

Agrestioribus musis.) Quasi diceret, res subtilius disputari in scholis, quàm ab illis qui in rebus uersantur.

Sed tamen ornata verbis.) Id est, etiam si ratio

rheto-

rhetorum qui in foro dicerent, reprehensa est à philosophis, quod carere cognitione rerum & locorum communium, tamen quia fuit in admiratione ad vulgus,, facilè rhetores iudicium paucorum philosophorum & contempserunt & neglexerunt.

Nā nec latius.) Quia destituunt eum loci coēs.

Nec verò.) Hic incipit partiri Philosophiam in dialecticam, in doctrinam de moribus, & in cognitionem rerum naturalium.

Quod alia intelligendi.) Id est, quòd factę sunt diuersæ professiones philosophia & eloquentia.

Tria sunt omnino genera.) Quæ hactenus tractauit Cicero, fuerunt quasi præfatio. Nunc autē incipit tradere præcepta, & principio dicit de tribus generibus dicēdi, quia hic liber maximè versatur in elocutionis & compositionis pręceptis.

Quibus in singulis.) Liuius in grandi genere. Terentius in exili. Cæsar in medio.

Perpauci in omnib.) Scilicet vt vnus Cicero, qui in orationibus est grandis, & interdum mediocris, in philosophicis verò libellis mirabilem proprietatem & parsimoniam conseruat.

Potius expers.) Elegans est correctio, vtraq; excidunt, quando vtrunq; leuiter attingitur.

Vt in corona toros.) Dicuntur tori eminens quiddam in quacunq; re. Plinius vtitur hac voce sæpe, & vocat toros nodos in herbis.

Qui vim accommodarit.) Id est, qui sese accōmodarit ad exprimendam perfectam eloquentiam, & meliorem, quàm in omnibus aliis est videre. Cicero verò, quod ad copiam attinet, similior est Platoni quā Demostheni, verùm quod ad consilium, compositionem & diligentiam attinet, simillimus est Cicero Demostheni.

Itaq; nobis monendi.) Secundū præceptū qui sint Attici. facit aūt duas species, videlicet quosdam esse tenues, alios aliquanto etiā vberiores & gran-

grandiores, qualis fuit Demosthenes aut Plato, aut Isocrates. Et reprehendit errorē istorum, qui solum ieiunos, aridos & siccos vocabant Atticos.

Semper oratorem eloquen.) Oratio pleruncꝫ sequitur fortunam, & quemadmodum sumus adfecti, sic quocꝫ scribimus. Sic in oratione pro Marcel. vsus est medio genere dicendi, id quod in aliis orationibus non facit.

Rhodii nunquam probauerunt.) Apud Rhodios fuit Aeschines, à quo illud subtile ac tenue orationis genus didicerunt.

Ecce autem aliqui.) Aliud genus peruerse Atticum, videlicet breue, horridum & obscurum.

An uictus hominum.) Sicut Athenienses primi ostenderunt nobis fruges: sic etiam eloquentiā. Itacꝫ non debemus vti oratione, quæ ne quidem ab ipsis probatur.

Nomen eius extaret.) Adeò fuit ferè ignotus.

Huius tamen nemo &c. Id est eius uirtutem nō imitantur, sed tantùm vitia.

Mutila.) Breuiora iusto & obscura. Inter Xenophontem & Lysiam non multum interest, nisi quod hic mollior esse videtur, vtercꝫ tamē suauissimus, ac uelut riuuli amœnissimi decurrētes.

Referamus nos igitur.) Epilogus est superiorū, & noua propositio.

Quæ specie dispares &c.) Hoc est sumptum ab Aristotele, qui omnes virtutes connexas in prudentia esse inquit. Hoc tempore Brutus erat Proconsul in Gallia Cisalpina, vel Bononiæ, vel Placentiæ. Galli enim cum transcendissent Alpes, cōsederunt in istis locis.

Catone absoluto.) Cæsar scripsit tres libros Anticatonum, in quibus illum nec prudentē, nec bonū virum esse iudicauit. Semper enim fuerūt graues inimicitię & perpetuæ Cęsari cum Catone. Istis libris responderunt Brutus & Cicero, de quibus sic iudicauit, uideri se sibi disertum, cū le-

gat Bruti: infantem verò cùm legat Ciceronis.

Sed in omni re.) Repetit propositionem, videlicet quærendum esse, quod genus orationis sit optimum.

Χαρακτὴρ.) Est planè idem quod suprà Ideam vocauit.

Sed quoniam plura.) Tria sunt genera causarum, & sic perstringit obiter communia & vulgaria præcepta.

Ἐπιδεικτικόν.) Id est, demonstratiuum, quod quasi ad pompam & ostētationem comparatum est.

Panathenaicam orationem scripsit Isocrates, cùm esset natus annos 94.) Est autem encomium Athenarum & rerum gestarum. Sic enim est in principio: ἡγοῦμαι γὰρ οὐχ ἁρμόττειν, οὔτε τοῖς ἔτεσι τοῖς ἐνενήκοντα καὶ τέσσαρσιν, ὧν ἐγὼ τυγχάνω γεγονὼς, οὔτε ὅλως τοῖς ἤδη πολιὰς ἔχουσιν, ἐκεῖνον τὸν τρόπον ἔτι λέγειν, &c.

Horum ætati successit, &c.) Brutus amauit quoddam triste & breue, siccum & aridum genus orationis. Isocrates autem longissimos ambitus, & circunductiones habet, & primus adhibuit artem ad explendas hiulcas & pendentes sententias. Itaque cùm Brutus versaretur in alio genere orationis, non potuit laudare Isocratem.

Quoniam tria videnda.) Hactenus de genere demonstratiuo, & primò dixit quid sit, postea recitauit exempla: nunc de iudicialibus causis. Principio autem breuiter percurrit præcepta inuentionis & dispositionis, admonet quod oporteat horum peritum esse Oratorem, quanquam id nōdum sit satis.

Qua tamen in causa.) Ego sic lego, quæ tamen qua in causa est vacua prudentia?

Sed hic excellens.) Id est, sciat etiam transferre Hypothesin ad Thesin.

Probat.) Approbat concessum.

Scitum est enim quod Carneades.) Hic fuit Academicus ex noua Academia, quæ nihil certi cōstituit, sed alia aliis esse magis probabilia. Et sapientem virum debere ἐπέχειν, id est, suspendere suum iudicium, quod nihil certi in humana sapientia esset.

Eodem etiam modo.) Pari felicitate, pari cursu elocutionis & actionis.

Rem difficilem.) Quia sunt varia genera dicēdi. Itē diuersæ sunt naturæ, quę diuersum ꝓbant.

Elaborant alij leuitate.) Vt Cicero in Epist.

Ecce alij duritatē.) Vt Thucydides apud Græcos, Varro vel Cato apud Latinos.

De orationis modo.) Id est, de elocutiōe, prius de actione dicam, quàm venero ad elocutionem.

Est enim actio.) De actione, suprà dixit de inuentione, infrà de elocutione. In has enim partes partitus est eloquentiam. Ea autem apud nos actio commendatur, quæ quàm minimum corpus commouet. Nec possumus imitari veteres in hac parte, cùm de actione & pronunciatione hodie nulla extent exempla.

Vocis mutationes.) Id est, singuli affectus habent suas indicationes in voce.

Demosthenes ideò primas, secundas & tertias tribuit actioni, quia iudicauit se non esse satis felicem in agendo propter vitium linguæ, quo laborabat. Itaque iudicabat se destitutum esse hac parte, & ea sæpè vinci à stultis. Sunt autem plerunque maiori admirationi ea nobis, quæ deesse nobis animaduertimus.

Mira est enim quædam, &c.) Id est, est mirabilis quædam musica in voce. Ex tribus enim tonis temperatur tota musica.

Non hic è Phrygia.) Id est, nō Gallicum genus cantillandi. Est enim vmbra quædam carminis in pronunciatione.

In quo illud etiam.)Id eſt, natura voluit indicare alia eſſe eleuanda, alia deprimenda.

Ille princeps.)Perfectus orator.

Rarus inceſſus.) Id eſt, in dicendo nõ multum progrediatur, aut regrediatur.

Non ad numerum articulus.) Sic minoribus Monachis cadũt omnes articuli in concionibus, & eſt cantus imitans aſininum quiddam.

Sed iam illius.)De elocutione. Elocutio propriè pertinet ad oratorem. Actio enim etiam ad hiſtrionem. Inuentio & diſpoſitio ſunt omnium prudentium hominum.

Non inuentor.)Id eſt, quia dicitur orator, non inuentor, ab elocutiõe videlicet, ergo iſta eſt pręcipua virtus.

Quanquam enim & philoſophi.) De oratione philoſophorum. Separat elocutionem philoſophorum ab oratorum. Nam illorũ elocutio contenta eſt Grammatico ſermone: amplificationes aut nullæ ſunt, aut raræ. Compoſitio verò prorſus nihil habet diſsimile quotidiano ſermoni. Vtitur genere orationis philoſophorum Cicero in philoſophicis, & Ariſtoteles. Plato verò eſt oratorius philoſophus.

Neruos.)Solida & valẽtia in pugna argumẽta.

Concinnas magis ſententias.)Id eſt, multa dicunt voluptatis cauſa, quæ tamen nõ ſunt firma.

Ab his nõ &c.)Quia hiſtoria eſt ſimilis poëmati, recipiens multũ figurarum & ornamentorum.

Quod ſub aurium.) Id eſt, nunc deprehenſum eſt, oratores ſuum habere verſum & numerum, ſed verſus oratorum eſt liberior.

ρυθμὸς habet certa interualla, quę conſtant incertis pedibus. Μέτρον ſeu verſus habet certa interualla, quæ certis pedibus conſtant, ſicut verſus Vergilij, Ouidij, & aliorum poëtarum.

Erit igitur eloquens.) Quintũ præceptum, in quo definitur orator, quòd videlicet is demũ ſit

orator, qui cōplexus sit hæc tria officia, docendi, delectandi & mouendi. Liuius mouet etiā, cū loquitur de rebus ignotis & alijs temporib. gestis.

Vt enim in vita.) Sextum præceptum de decoro, quod non potest verbis satis explicari, cerni quidem in scriptis & in vsu vitæ potest. Nam alij homines aliter tractandi sunt, & alijs temporib. alij vultus sumendi sunt.

Non enim omnis fortuna.) Id est, decorum variatur pro varietate circunstantiarum. Alia est enim oratio Aeneæ, qui constans, grauis, & dissimulator calamitatū est. Sic enim est apud Virgil. Spem vultu simulat, premit altum corde dolorem. Alia Mesentij, qui mauult omnia ruere, quā remittere aliquid de sua pertinacia. Sic Mitio etiam cùm irascitur est commodus. Demea verò etiam placatus est acerbus.

Non cum de recto ipso.) Differunt rectū & decorum. Rectum est omnium virtutum. Decorum, est tantū quartæ speciei, quæ vocatur modestia.

Toto genere.) Id est, toto argumento, quia res humiles tractantur magnificè & splendidè.

Tamen eadem res.) Id est, dictum non eodem modo, non idem valet.

Tamen magis offendit.) Est Isocratis preceptū, multò melius est abstinere à figuris, & tantū proprio sermone vti, quàm accersere peregrinas & procul quæsitas figuras.

Qui non sentirent quidem.) Id est, qui erant nimis diligentes, debebat enim speciem quādam negligentiæ habere.

Cùm hoc inquam decere.) Id est, aliud sit decere, quàm oportere. Oportet pertinet ad iustitiam, fortitudinem, & alias virtutes. Decere, pertinet ad modestiam. Oportet nos edere: sed quomodo edamus, ad decorum pertinet. Sic loqui ad oportet, sed quomodo loquamur, ad decorum.

Oportet enim perfectionem.) Id est, hoc quod

est necessarium semper adsit oportet, vt soluere debitum creditori, significat oportere. Decorum versatur in rebus quæ mutantur temporibus. Oportere autem versatur in rebus quæ perpetuo sunt necessariæ.

Sequitur vt cuiusq; generis.) Forma submissi generis, seu Oratoris Attici, vt Terent. & Philipp. Ciceronis. Senex enim & grandis natu dixit parcius, quàm cùm floreret adhuc.

Illis maximis. Id est, non est macies orationi, vt in versibus nos elidimus vocales, sic olim in soluta oratione elidebant.

Circuitus.) Id est, periodus.

Conglutinatioq;.) Compositio, id est, in hoc submisso genere nõ fiunt adeò accuratè periodi.

Ex abdito erutæ.) Id est, redoleant aliquam doctrinam.

Oratoriæ suppellectilis.) Id est, figurarum.

Vt mutuo.) Alij legunt, aut mutuo sumunt.

Docendi causa.) Id est, necessitatis causa. Quãdo non habemus aliud verbũ, tũ oportet isto vti, vt ferre crucẽ, iam enim vsus mollijt hanc vocẽ.

Cæteroquin.) Id est alioquin.

Facetia, est in perpetua oratione, & istiusmodi sunt Terentianæ orationes.

Dicacitas est in vno dicto.

Vberius est aliud.) De medio vel mediocri genere. Est aũt planè verum, nos in Latina lingua plura habere exempla eloquẽtiæ quàm Græcos. Habemus enim Liuium, cuius neminẽ similem scio apud Græcos, quod ad eloquentiã attinet. Deinde Ciceronem, qui in omnibus generibus valet.

Neruorum.) Id est, seriorum argumentorum. Oratores sumunt ornamenta à Poëtis, neruos verò à Philosophis.

Genere melius ille.) Id est, Aristoteles omnes tropos vocat metaphoras.

Tertius est ille. De grãdi genere, in quo est Liu.

Hic est enim,&c.)Id est, ista eloquentia impleuit aures populi.

Ego enim quid desiderem.) Hoc est,ego de re ipsa disputo,non de persona.

Rei formam.) Rem consideratã sine persona.

Tota mihi causa.)Exempla triũ generum.Pertinet autẽ oratio pro Cæcinna ad subtile genus.

De verbis interdictis.) Cęcinna arcetur lapidibus à suo prædio,à quodam qui illud occupauerat.Egit cum illo de interdicto:respondit alter se non eiecisse,se prohibuisse,&c.Itaque est tantùm quædam calumnia verborum.

Subtilitate.)Id est,gracilitate & tenuitate.

Leptinem.)Fuit consuetudo Athenis, vt ciues benemeriti donarentur immunitate.Itaque cùm Leptines vellet ferre legem contra istam immunitatem,Demosthenes aduersatus est.

Cum grauitatis locis.)Id est,cùm est grandis, vt in exemplo Cyrsili pro Ctesiphonte.

Esse igitur perfectè.) Postquã diuersas species oratorum descripsit,nunc informat illum perfectum ac grandem oratorẽ, & quia hic pauca primùm de inuentione repetit,duas res tribuit ei ad inuentionem necessarias,quę alioqui in vulgaribus libellis rhetoricis prętermittuntur,videlicet dialecticam,& locorum communium scientiam, quæ ex philosophia sumenda est. Dialectica res nudas breuissimè concipit: Rhetorica dilatat, & plurimis verbis opus habet,vt res intelligantur, & vt tantæ videantur, quantæ re ipsa sunt.

Omnem quæ ad dicendum.) Id est, Dialecticã.

Spinosiora multa.) Similia paruis logicalibus nostrorum temporum,vt: quod ego sum, tu non es. Item, Quicquid loqueris habes in ore, rotam loqueris,ergo &c.

Tum vt scis.)De diuisione.

Formæ.)Id est,species.

Partes.)Id est,membra, alia enim est generis

in species, totius in partes, &c.

Non doctorem volo.) Id est, non possum etiam præcepta tradere, satis sit, vt scias, quòd omninò oporteat te habere Dialecticam.

Nec verò Dialectica.) De locis communibus.

Omnia profectò.) Exempla sunt in oratione pro Milone, vbi de mente dicit, qui regit & gubernat omnia.

Commemoratio autem, &c.) Illa enim exempla reddunt orationem grandiorem, atque etiam similiorem veri, propter dignitatem illarum rerum quæ dicuntur.

Quoniam autem.) De decoro.

Principiò.) Debemus in exordio aliquid habere, quo statim capiamus auditorem.

Nec historico.) Minus grandi sono, quàm quo historia vtitur.

Cùm verò causa ea.) Quid deceat, & quid maximè spectandum sit in contentione, tum qui loci potissimum sint ornandi & illustrandi amplificationibus & adfectibus.

Alterã in augendis.) Omnis oratio habet probationem, in qua ferè sunt Theses. Posteà cõsistit oratio in delectando & mouendo, quæ continentur in amplificationibus & adfectibus. Auxesis est, vt si quis dicat, quòd nõ solùm liceat Christiano bellum gerere, sed quòd sit etiam res necessaria, mandata principibus. Et sit amplificatio comparatiõe, quòd nulla eleemosyna, nullus cultus, nullum sacrificium, nullum deniq; opus sit Deo gratius, quàm defensio totius Reipub.

Sed proprij signi.) Id est, sic debent tractari, vt videantur nati è causa, non tanquam alieni, velut adsuta purpura.

Κρινόμενον.) De quo iudicatur, & dicitur dubia propositio in causa, de quo cõtrouertitur, vt Omnis cultus ab homine institutus est inutilis. Monachatus est institutus ab homine, ergo &c.

Maior est χρινόμενον. Item: Christiano principi est belligerandum pro subditis. Cæsar est princeps Christiani nominis, ergo Cæsar debet belligerari pro subditis. Hic maior est χρινόμενον: de ea enim iudicatur.

Peripateticorum more.) Id est, non exiliter. Est enim omnino alia ratio disputandi apud philosophum, quàm sit ratio dicendi in foro.

Duo sunt etiam.) De affectibus, qui sunt duplices. ἤθη sunt adfectus moderati, & mitiores animi motus, vt si de imperatoris beneuolentia erga patriam dicamus: quanquam enim imperatorem oportuit etiam exteras nationes defendere aduersus Turcam, tamē decet eum hoc tempore, cùm patria periclitatur, maiore fide ac studio rem suscipere. πάθη, vt si exaggeremus crudelitatem Turcarum, quo modo trucident infantes hærentes in complexibus parentum &c.

Me enim ipsum non pœnitet.) Id est, ego boni consulo. Et perinde est ac si diceret, neque me pœnitet meorum studiorum. Similis est oratio in Terentio.

Nec verò miseratione solùm.) Serg. Galba, qui triginta millia Lusitanorum occiderat cōtra fœdus, hoc modo euasit iudicium populi, quod liberos infantes exhibuerat.

Sed iam ipsa forma.) Suprà dixit, qui loci recipiant ornamenta ex rebus sumpta, videlicet thesis, auxesis, & adfectus. Nunc enumerat ornamenta verborum, scilicet tropos & σχήματα.

Reliqua.) Id est, reliqui tropi.

Sunt enim similia.) Sicut in scena, quanquam omnia ornent, tamen quædam res præcipuè eminent, ita in oratione quædam præ cæteris lucere debent.

Hoc in genere.) Præfatio in locum qui sequitur de compositione, in qua respondet & excusat se, cui videatur contra dignitatem suam facere, quòd

quòd quasi ludimagister hæc puerilia præcepta tradat.

Occurrebat enim.) Propositio. Prima ratio ab officio ducta est illius, ad quem scribit. Secunda ratio ab exemplo ducta est. Si ius ciuile licet, quãto magis illas eloquentiæ artes, sine quibus Respub. regi non possunt.

At alterum.) Obiectio est. Oratores fuerunt occupati, iurisconsulti non.

Sacrorum abalienatio.) Sicut iureconsulti tradunt de traducendis rebus sacris ad alium vsum.

Quid enim possum.) Hoc est, quomodo possem dissimulare.

Quod si ea.) Postrema ratio ab occasione temporis.

Collocabuntur igitur verba.) De compositione. Hic primùm præcipit de literis, vt ain' pro a-is'ne, &c. Secundò de structura dictionum, vt: Tite tute tati tibi tanta tyranne tulisti. Tertiò de periodis & numeris.

Orbem suum.) Id est, ne eadem litera crebrò repetatur. Latini homines libenter coniungunt vocales. Aiunt enim speciem quandam præ se ferre negligentiæ, si dictio præcedens desinat, & sequẽs incipiat à consonante. Itaque Germanica lingua nequaquam conferenda est cum istis elegantioribus linguis, cùm sit aspera lingua, ac equinum quiddam habeat.

Vbi etiam de industria.) Quia habeat speciem negligentiæ, priore desinente à vocali, incipere sequentem à vocali, & hoc in dialogis delectat.

Qua mos est Athenis.) Platonis oratio continens epitaphia interfectorum ciuium. Et laudata est ob eam causam potissimum, quòd multos locos communes contineat, de immortalitate animæ, &c. Itaq; & Athenis constitutum erat, vt illa oratio sit quotannis pronunciata.

Sed Græci viderint.) Id est, Græci faciunt Sina

 le-

lephas in oratione soluta, nos non facimus.

Quid verò hoc elegantius.) Gellius lib. 2. cap. 17. dicit in his, quę Cicer. scribit breuia esse facta, n. literam exemptam esse in pronunciando, vt sit iclitus pro inclitus, coposuit pro composuit, cocrepuit pro concrepuit, cofecit pro cofecit, &c.

Vsum loquendi populo.) Id est, cum populo locutus sum. Aristoteles in Topicis ait, Loquendũ vt plures, sapiendum vt pauci.

De numero mox.) Secundus locus de structura dictionum.

Genus illud tertium.) De numeris orationis & periodis.

Omitto Isocratem.) Quasi diceret, non vtar testimonijs Oratorum quæ fortaſsis suspecta sunt, qui videntur augere magnitudinem artis supra modum, fauore quodam sui artificij, quanquam maximè debebant eorum testimonia valere, qui in dicendo excelluerunt.

Quis porrò Isocrati.) Si numeri essent superuacanei, certè odio Isocratis Aristoteles illos reprehendisset.

Quod ipsi suis sensibus.) Redit ad rationem, omissis testimonijs: quasi dicat, etiamsi non percipiant in integra compositione suauitatem numerorum, tamen fines percipere debebant, vbi facilè iudicari possunt, quæ sunt breuiora iusto, & quasi pendentia, aut etiam quæ sint productiora.

Primùm ergo origo.) Methodus de numeris orationis.

Nam qui Isocratem.) De autoribus numerorũ.

Sed princeps inueniendi.) Id est, ars illa, sicut cæteræ, paulatim inuenta & aucta est.

Id autem est genus.) Est secunda species compositionis, in qua dictiones cõsiderantur, sicut suprà diximus: vt, Hæc non est scripta lex, sed nata quam non accepimus, &c.

Quo-

Quoniam igitur.) De causa scilicet finali.

Productiora alia.) Id est, ideo illa magis offendunt propter obscuritatem.

Quoniam igitur.) De natura numerorum. Hic tertius locus est planè obscurus, quia numerus in oratione soluta est maximè varius, & à paucissimis iudicari potest.

Sed artis intimæ.) Curiosæ cuiusdam subtilitatis. Interiorem doctrinam vocant, quę non cuilibet è populo sit nota.

Et ad quam rem.) Qui pedes sint læti, tristes, graues, qui pedes in impetu describendo valeāt, aut in tardo quodam negocio.

Qualis sit.) Vtrum sint tales pedes, quales in poëtis.

An etiam compositione.) Id est, Vtrum numerus sit aliquid aliud, quā ipsa collocatio periodi.

Esse igitur in oratione.) An sit in oratione numerus, quem probat esse, etiamsi non animaduertatur, natura enim illum sua sponte efficit.

In quo iniquum est.) Etiamsi causam non teneamus quare numerosa, tamen est numerosa.

Natatio naturæ.) Obseruatio, id est, prius erāt exempla, postea eorū obseruatio peperit artem.

Numerus autem non modò depromebatur.) Ego existimo particulam. Sed addendam esse, id est, non solùm numeri nullam rationem habuerunt, sed prorsus neglexerunt.

Perspicuum est igitur.) Qualis sit numerus, an poëticus. Respondet autem ijsdem esse pedibus, quibus in poëmatis vtimur. Neque enim natura habet aliam mensuram vocum in sermone, nisi pedes.

Vt vnus sit è tribus.) E tribus generibus pedū. Quidam enim pedes sunt dissyllabi, quidam polysyllabi, & illi sunt duplices.

Duplex.) Vbi pars parte duplo maior est, fit iambus.

Senarios vero.) Vt pro Marcello est integer Senarius.

Fortuna in istius se societatem gloriæ.

Hyponacteus versus.

Doctis Thalia uatibus fauebat.

Et pro Marcello in eodem loco est Hyponacteus

Tuam esse totam & propriam fatetur.

Ego verò non legi in Cicerone integrum Anapesticum, & Latina lingua non tantum habet Anapestorum, quantum Græca. Quo enim quæque lingua est barbarior, eò minus habet breuium syllabarum. Græca autem habet longas voces, itaq; & plures breues syllabas.

Anapesticus Aristophaneus.

Date uina mihi date serta, iuuant in uino nanque coronæ.

Aristophanes de Nubibus.

ὦ τῆς μεγάλης σοφίας ἐπιθυμίσας ἄνθρωπε παῤ ἡμῖν.

Trochaicus creber in Terentio, vt

Dij boni, boni quid porto.

Ex optima disciplina.) Isocratis. Pæan habet tres breues & vnam longam. Oratio autem quæ multas habet syllabas breues, est suauior & submissior, sicut spondæi sunt grandiores & duriores.

Sed eò vitiosius.) Optimum preceptum est. Periodus subsidere in longum pedem debet, vt pro Marcello. Quanquam iste tuus animus, &c.

Atq; id in dicendo.) Id est, non debetis quærere certos pedes, sed tantùm obseruare certas periodos, ne prior pars periodi sit longior quàm posterior.

Quos autem numeros.) Sextum preceptum de miscendis numeris.

Satis

Satis multa.) Docet quomodo sit facienda periodus, & est præcipua pars totius huius libri.

Aequaliter particulas.) Commata & cola. Debet enim esse proportio quædam membrorum & commatum inter se.

Ergo in aliis.) Id est, in oratione forensi non vbiq; opus est periodis, nam natura rerum non patitur, vt vbiq; cogatur in periodos, præsertim vbi disputationes incidunt, sed satis est orationē distinctam esse.

Tollit funditus.) Imó aculei disputationum propter breuitatem non patiuntur illud lentum & tractum, & periodicum genus orationis.

In accusationis secundo.) Id est, oratione septima in Verrem, cuius initium est: Multa mihi necessario, vt: Neque enim tam facilè opes Carthaginis tantæ concidissent, nisi illud & rei frumentariæ subsidium & receptaculum, &c. Versus Iambicus est in principio, in fine incipit esse Aristophaneus.

Hæc autem forma.) Id est, oratio debet esse mixta, ita vt plurimis quidem periodis constet, sed tamen inserantur interdum inter periodos cola.

Fluit omnino numerus.) De numeris periodorum, quód desinant in longos pedes, & tardiores, & incipiant à velocioribus pedibus.

Sed cùm clausulæ.) Vt de Cretico in oratione pro Archia poëta: Si quid est in me ingenii iudices, quod sentio quàm sit exiguum, &c.

Sed quoniam non modo.) Oratio non debet tota constare periodis, sed interdum vtendum est singulis colis.

Sed habeo mediocria.) Non oportet esse mensuram certam, & tam accuratè seruari spacia & longitudines periodorum, quàm in versu obseruant.

Prima sunt illa duo.) Simile est apud Liuium:

Inferimus bellum, infestisq; signis descendimus in Italiam: tanto audacius fortiusq; pugnaturi, quanto maior est spes, maiorq; animus inferentis, &c. Primùm comma, inferimus bellum: alterum comma, infestisq; signis descendimus in Italiam. Hæc coniuncta absoluunt primum colon. Deinde sequitur periodus, quę habet nodum, tanto quãto. Ita docet Cicero à paruis membris crescere orationem, vt sit in fine aliqua comprehensio. Tale est & illud in secunda Philip. Helluo inuasit in eius viri fortunas, cuius virtute terribilior erat populus Romanus.

Dum illi quoque.) Dum in totum fugit periodos, & longiores ambitus.

Et quoniam plura.) Commendatio huius diligentiæ.

Apud alios autem.) Tria vitia recenset. Quidnam vt expleant periodos, infarciũt inutilia verba, quo nomine aliqui etiam Isocratem reprehenderunt. Deinde quidam nimis concisi ac breues, aut nullos habent numeros, aut nimis breues. Tertium genus est, quod quidam claudant omnia similibus pedibus.

Quantum autem sit aptè.) Prima sententia est apud Salustium. Omnes qui se student. Si subiecisset ordine has sententias, oratio futura erat planior. Itaque omnes qui in Rebuspub. clari euaserunt, animi virtute gloriam consecuti sunt. Etenim non solùm in pace, sed etiam in bello plus pollere consilium, quàm corporis vires, vsu compertum est. Sic iunctæ sententiæ melius intelligi possent, & cerni posset, quò illa commemoratio de priscis regibus spectet, in qua probare vult, ꝙ etiam illi qui bello clari facti sunt, animi virtute laudẽ consecuti sint. Verùm id maximè in magnis bellis animaduersum esse, quæ gesta sunt post Cyrum, anteà non perinde animaduerti potuit, quantum consilia in bellis possint.

Tempo-

Temporibus Ciceronis Lælius & Brutus, qui fuerunt in illo exili genere, damnabant genus dicendi orationis Ciceronis, nullam aliam ob causam, quàm quod propter imbecillitatem naturæ non poterant adsequi illam vbertatem dicendi Ciceronis. Et ſic volebant videri iudicio contemnere Ciceronis genus orationis.

Ita facti ſunt repentè.) Nam qui exiliter dicebant, prætexebant ſuæ imbecillitati titulum Attici generis.

Sanę modo ſi quis.) Facit diſcrimen inter pſeudoatticos & veteres Atticos.

Ornamenta comparent.) Quorundam oratio probanda eſt hoc nomine, quod etſi non eſt compoſita, tamen habet alias magnas virtutes, videlicet abundat verbis bonis & ſententiis grauibus.

Sine ſententiis.) Sine prudenter cogitatis, ſine rebus dignis, quæ nihil ad rem faciunt.

Quàm illud quodcunque mihi.) Scilicet more Academicorum. Cicero iam ſenex volebat perhiberi Academicus, hoc eſt, ſuſpendere iudicium.

Elegans Platonis ſententia eſt.) Exiguũ quiddam de veritate conſequi etiam in extrema ſenecta, eſt magna felicitas.

FINIS.

Emptus 9 ℔.